BAPTISTAE AYMI PARMENSIS IVRISCONSVLTI

DE ALLVVIONVM IVRE VNIVERSO.

De fluuiaticis ſcilicet incrementis cognoſcendis, acquirendis, amittendis, & facillimè diuidendis.

LIBRI TRES.

BONONIÆ,
Apud Ioannem Roſsium. MDLXXX.

Curiæ Epiſc. & S. Inquiſit. conceſſu.

ILLVSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO OCTAVIO FARNESIO

PARMENSIVM ET PLACENTINORVM DVCI II. ETC.

BAPTISTA AYMVS.

SAEPE illud M. Catonis animo mecum repetens Dux Ducum optime, quod in principio ſcripſit Originum ſuarum, Studioſorum hominum non minus otij, quàm negotij rationem extare oportere: vt primùm in hanc nobiliſsimam Iuriſciuilis militiam nomen dedi, omnes neruos intendi meos, vt noſtri tyrocinij prima qualiacunque rudimenta extarent; quibus apud te præcipuè iuſtiſsime Princeps; qui in nos iure, ac merito vicariam Dei auctoritatem geris, cui & otij & negotij reddendam eſſe quandoque rationem omnibus exploratum eſt; vtriuſque prima ſaltem ratiocinia conſtarent. atque hoc præterea modo vitæ fortaſſe rationem iuxta Areopagiticum illud inſtitutum à me repetenti tibi me non inutilem prorſus in tua Republica eſſe ciuem oſtenderem. Quæ rudimenta licèt in hoc latiſsimo Iuriſciuilis campo exigua futura ſint: edere tamen, & ea in tuam venire notionem Princeps ſapientiſsime, minimè ſum veri-

tus. quando par eſt, omnes omnia experiri, qui res magnas, & magnopere expetendas concipiunt. neque ſi illa præſtantis ingenij vis deficiat: iccirco curſum eum tenere, quem quiſque poſsit, erubeſcendum eſt. prima enim ſequentem honeſtum eſt in ſecundis tertijsq; conſiſtere, vt inquit ille. ac certis medium, & tolerabile rebus Rectè concedi, & præſertim in Iuriſciuilis cognitione affirmat Horatius.

Proinde feceris humaniter & ex tuo more Dux Illuſtriſſime, ac Excellentiſsime, ſi ingenij noſtri tyrocinium hoc benignè exceperis, & tuo præſidio tutum per ora hominum volitare permiſeris: parma enim tam firma tectum tuum hunc Parmenſem tyrunculum nullos deinde maleuolorum congreſſus formidaturum eſſe certam ſpem concipio.

Bonóniæ Nonis Iunij. MDLXXX.

ILLVSTRISSIMO QVADRAGINTA VIRORVM SENATVI BONONIENSI.

BAPTISTA AYMVS. S. P. D.

QVOD *precatus ſum à Deo Opt. Max. Patres conſcripti, vt mihi quandoque daretur occaſio, qua in hunc veſtrum Ordinem amplißimum, atque adeo in vniuerſam hanc ciuitatem meum propenſißimum ſtudium honorificè, quoad per me fieri poſſet, declararem: voti nunc compotem eſſe factum, & non ſolum allatam opportunitatem, ſed iniunctam mihi propè neceßitatem agnoſco, & maximè lætor. Cum enim ego per adoleſcentiam Iuriſciuilis ſtudio operam omnem in hoc veſtro nobilißimo Gymnaſio dederim; hicq́ etiam Doctoratus lauream aſſecutus ſim: ac hic deinceps veſtro beneficio iuriſdicundi prima tyrocinia fecerim; atque opuſculum hoc, quod nunc euulgamus, hic pariter & natum ſit, & Deo propitio etiam impreſſum; multaq́ præterea & magna extent veſtra in me collata beneficia; non ſine mea maxima ingrati animi nota præteriri potuiſſet hæc occaſio, qua &*

hic, & vbique locorum, & gentium, ad quas nostras hasce lucubratiunculas deferri contigerit testatum propensæ meæ voluntatis erga vos studium facerem. Vt, quoniam, cum gratia referri non potest, quanta debetur; prædicanda tamen est, & habenda, quantam maximam animi nostri capere possunt: hac ratione eius gratiæ, cuius satisfactioni me longè imparem agnosco, memoriam saltem quàm latissimè posset extenderem, & quàm diutissimè liceret conseruarem. Reliquum est P. C. vt vos supplex orem atque exorem (quæ vestra est animorum celsitas, & magnitudo) vt hoc exiguum, sed ingentis mei in hunc ordinem amplissimum studij specimen libenter accipiatis, & eam voluntatem, qua multis me beneficijs hucusque complexi estis, sedulò semperq; retineatis.

AMPLISSIMIS, ET RELIGIOSISSIMIS COLLEGII PARMENSIS IVRISCONSVLTIS.

BAPTISTA AYMVS. S. P. D.

CAIVS *Lucilius homo doctus, & perurbanus dicere solebat, ut refert Cicero, ea se, quæ scriberet, neque ab indoctißimis, neque à doctißimis legi velle: q alteri nihil intelligerent; alteri plus fortasse, quàm ipse. Cæterùm Excellentißimi Patres alia nobis et fortè potior sedet sententia; vt à doctißimis tantummodo nostra legi cupiamus: etenim hominum præsertim ignorantium mos est, quæ non intelligunt, improbare; nec si aliqua probarint, vlla tamen laus auctori inde futura est. doctorum autem contrariâ penitus solet esse consuetudo: nõ nisi tota re diligenter expensa quicquam improbant, & humanarum mentium imbecillitati multa condonare solent. Si qua verò tua laudarint, non penitus oleum, & operam te perdidisse putas: cum eò laus illustrior, & carior sit, quò laudatiore à viro proficiscitur. Verumenimuerò Patres celeberrimi, & doctos & indoctos nostram hanc tractationem fore lecturos crediderim; quorum alios ab ea (quæ est humanarum mentium varia affectio) fastidio quodam, & satietate tantæ librorum multitudinis cotidie in infinitum enascentis, ipso primo intuitu auocaturos animum existimo. Itemq; alios operis quatulacunque dignitate perculsos, si quid nobis fortè excidit, eorum, quæ placuerint, occultatores, quæ nota digna videbuntur, palàm reprehensores esse futuros. Alios præterea materiæ subtilißima cognitione hebetatos, quod intelligere non poterunt, vt intelligere tamen videantur, vniuersa fore improbaturos. Atenim quod*

ad primos, & alteros pertinet (nam cum postremis his minimè agendum est, à quibus nobis apud eruditos nulla non contemnenda potest oriri vituperatio) non negarim, & hos multa, quæ no tanda meritò videantur, fortasse lecturos, & illos iusta excusatione dignos videri. Verùm (vt cum vtrisque paucis agam) quotus quisque se errorum expertem profiteri potest; si omnes, vt ait Cicero, errorem cum lacte nutricis suximus? Proinde aut ignoscant, namque pars est, vt nos nostra feramus errata: aut iuxta Seruatoris præceptum, qui sine peccato est, is primus lapides in nos etiam molares proijciat, & obruat. At verò illi, qui de librorum multitudine expostulant, nec mihi in præsentia proban di sunt, quanquam, vt inquit ille, Scribimus indocti, doctiq; poemata passim; nec item accusandi, vti quos pigeat vel desidiæ torpore, vel ingenij imbecillitate plura euoluere volumina. Illud vnum dicam, cum omnibus sit notissimum, quantam hominibus cupiditatem inijciat nouitas, mihi maximè persuasum esse, quòd vbi fortasse per se opus hoc non multum fauoris comparabit; futurum sit, vt ipsa saltem rei nouitas lectorum animis blandiatur. Prætermittimus enim, hanc esse antiquissimam querelam, ab ipso etiam Io. Andrea vsurpatam, vti qui in Nouellarum proœmio, in Decretales plus mille Glossarum scriptores extitisse dolenter commemorat, quorum ne nomina quidem ad nos peruenerunt. Sic tempus scriptorum æstimator, & Criticus hanc ægritudinem, vt cæteras, curare solet.

Cum igitur hæc omnia animo mecum repeterem; tacitusq; quàm sit arduum nouis rebus auctoritatem, dubijs fidem, & obscuris lucem afferre, sæpè reputarem: vos Optimi Patres appellandos censui, tum ad contestandum animi mei erga vos propensissimum studium, tum vt futuris semper temporibus acerrimos eosdemq; maximè beneuolos defensores pararem aduersus has, & similes obtrectatorum voculas, vti quorum auctoritatem, & ordinem longissimo antiquorum temporum interuallo semper emicuisse sciam, & nunquam intermoriturum esse, quousque iustitia populorum cultrix, & ipsa nostra ciuitas

con-

constabit, spem certam concipiam. Namque quis ignorat Ordinis huius antiquitatem, vt pote cum ipsa Iuriscivilis instauratione ferè coniunctam? Si quidem Pandectas à Pisanis victoribus è direptione vrbis Amalfitanæ Pisas esse delatas anno salutis MCXXXVI. iurisq; deinde interpretationem Irnerium antea Philosophum Bononiæ Lotarij Imperatoris iussu profiteri primùm cæpisse traditur circiter annum MCLXX. constat porrò anno præsertim MCCXC. & florentissimum Gymnasium in vrbe nostra, & excellentissimum ideo Collegij huius ordinem viguisse, quorum vtriusque lumina splendidissima tum fuisse Bernardum Glossatorem, Albertum Galeottum, & Iacobum illum Arenam conciues nostros, verisimile est: cum per ea tempora ipsos floruisse certum sit. Vt inde liceat augurari, & Gymnasij ipsius, simulq; Collegij initium multò altius esse repetendum. Cuius rei licèt nulla eorum temporum monumenta apud nos comperiantur, quæ varijs bellorum incendijs perijsse, credibile est: posteriorum tamen temporum monumenta hoc apertissimè testantur, & inprimis antiquiores celeberrimi patrij Medicorum collegij constitutiones. vt ab eruditissimo Hieronymo Zunto eiusdem collegij Medico nobilissimo, mihiq; maxima affinitate coniuncto accepimus. Quod Gymnasium, cum postea, nescio quo fato, dissolutum fuisset, Nicolai Estensis auctoritate tum Parmæ domini anno salutis MCCCCXV. secundò instauratum est, vt præter eas constitutiones nobis apertè significant Vgo Senensis, & Nicolaus Abbas Panormitanus viri celeberrimi, hic eximius Canonici iuris professor, vt nostis, ille Medicinæ. Vgo in expositionis suæ principio in Microtechnin Galeni, Abbas autem in interpretatione primi capitis de Litis contestatione, vbi in initio ferè se sexennium continuum Parmæ ius publicè explicasse scribit, Aduocatorumq; & Procuratorum Parmensium doctrinam ibi quàm maximè commendat. quem credimus ab Estensi illo Marchione, sicut & Vgo de se ipso testatur, fuisse ad publicæ explicationis munus illud accitum.

De

De auctoritate autem, quanta sit, ingenij nostri non est dicere, neque necessarium existimo. Quis enim ignorat Collegium hoc esse vrbis nostræ sanctissimum iudiciorum, & iustitiæ sacrarium, atque secundam tabulam, ad quam ex priori iudicio naufragus quisque per prouocationem confugiat? totiusq́; præterea ciuitatis oraculum, vnde de rebus dubijs certissima responsa petantur? Cuius fama, & celebritas iamdudum exteras etiam nationes, & ipsos toto diuisos orbe Britannos peruagata est. Neque enim ignotum est in illustri illa diuortij controuersia inter Henricum Britanniæ regem, atque inter Catherinam eius vxorem ab hoc amplissimo Collegio petitum fuisse responsum. cuius componendi munus Hieronymo Zunto seniori celeberrimo tum Iurisconsulto fuit delatum. Hic est ille Zuntus clarissimus Decij testimonio causarum patronus, ac mihi socer magnus, qui memoria adeo excellenti fuisse traditur, ut ea ætate propemodum miraculum fuerit, vti qui de vna quaque iuris vel difficillima quæstione ex tempore in iudicio doctissimè disceptare persæpe solitus fuerit. quod nobis sanè damnosum accidit: cum iccirco nihil priuatim conscribere consueßet, & propterea nulla tam eximij I.C. ad nos peruenerint monumenta. Constans est quidem apud nos fama, eum (quod de Q. Mutio Scæuola inquit Cicero) fuisse iurisprudentium eloquentissimum, & eloquentium iurisperitissimum. Cuius rei sit potissimum argumentum, honestissimæ legationis illi, publico ciuitatis consilio, munus iniunctum, ad Paulum III. Pontificem maximum tum renunciatum. Addo iustissimum Florentinæ Reipublicæ testimonium, cuius literis cum ad Rotæ auditorium vltro, seduloq́; fuisset accitus, vxoris funere, & filiorum charitate adhuc ferè infantium detentus honore delato fungi minimè potuit.

Possem hic amplissimi Patres longa exemplorum serie, ad vetustam vrbis nostræ, huiusq́; Collegij amplitudinem ostendendam, multa antiquorum Iurisperitorum, aliorumq́;, qui deinceps in præsens vsque extiterunt, nuncq́; vigent, ingentia nomina commemorare. cæterùm, ne extra modum epistola excedat,

paucorum

*ucorum antiquiorum expositione, quorum celebrantur lucu-
ationes, contentus ero. ne enim in præsentium laudibus totus
cumbam, modestißimi etiam ipsorum mores mihi vel inuito
lum extorquent.*

*In primis autem Bernardum Parmensem Canonicum Bo-
niensem habemus, qui in Decretales luculentißimas interpre-
tiones (quas Glossemata dicimus) edidit, quibus & adhuc
imur. quod tradidit Io. Andreas in Nouellarum prooemio,
ieum Innocentij, & Hostiensis temporibus fuisse testatur,
os anno Salutis MCCXLIIII. floruisse compertum est.
r hæc eadem ferè tempora Albertus Galeottus legum Doctor
rmensis ius publicè profitebatur, vt ipsemet inquit in ipso ini-
sui opusculi, quod Quæstionum summulam inscripsit (vul-
Margaritam appellamus) opus sanè vtile, vt tradidit idem
Andreas in Additionibus ad prooemium Speculatoris, furto-
Speculatoris ipsius oculatißimus inuestigator; vnde scribit, se
dere, illum vix decem versus ex toto eo Galeotti opere præter-
ßisse, quos in Speculum suum non transtulerit. ante Specu-
oris igitur tempora Albertum nostrum floruisse conijcimus,
e annum scilicet MCCLXXI. quo tempore conscriptum
Speculum, ex ipsomet Gulielmo cognoscitur, vbi agit de In-
umentorum editione. Hos excepit Iacobus de Arena Doctor
mius Bartoli testimonio, cuius opiniones vt plurimùm è iuris
nte procedere scribit in prima ex suis Quæstionibus. notiora
em sunt eius commentaria in vniuersum ferè Ius ciuile, quàm
mea prædicatione innotescant, vel laudatione efferantur.
a tempestate, qua etiam Dynus, iura publicè professus est in
rio Gymnasio, vt credo, cùm eo tempore florentißimum esset.
termitto autem Hugolinum Fontanam, quem Distinctiones
leges quasque difficillimas conscripsisse constat, nonnullasq;
terea Disputationes, quarum ab Alexandro factam inter-
n mentionem legimus. prætereo item Franciscum Luca-
n, quem post Imolæ, & ante Alexandri tempora vixisse con-
tur ex eius vtili Tractatu de Priuilegijs fisci, ea fortè tempe-*

state,

ſtate, quaſ ecundò Gymnaſium Parmæ Nicolai Eſtenſis iuſſu reſtauratum diximus. De Plautio Pezone nihil dicam; licèt in non modica laude tot eius egregia in Ius ciuile commẽtaria nobis ponenda ſint. Omittam etiam, & Thimantis illius exemplo, ſilentij velut quodam velo contegam innumeros alios celeberrimos Iuriſprudentes, præſentis, & ſuperioris ætatis lucidiſsima ſydera; ne vel eorum laudibus commemorandis (quæ mea eſt ingenij imbecillitas) non ſufficiam, vel blanditijs, & aſſentationibus beneuolentiam veſtram colligere velle videar Humaniſsimi Patres, quam honeſtiore ratione comparandam duxi, hac ſcilicet (qualiſcunque ſit) propenſæ meæ erga vos voluntatis conteſtatione. Quorum ſi (vt ſcribendi finem faciam) calculis candidis ſcripta hæc noſtra probata ſenſero; aliorum quoque omnium vota deſperaturus non ſum. Quòd ſi tanta acceſsio fieri nequiuerit: omnium tamen inſtar vos mihi eſſe exiſtimabo. Vt propterea, veluti qui ſuffragium Mineruæ (quod aiunt) emeritus eſſe videar, de oblocutorum voculis mihi nullo vnquam tempore quidquam eſſe pertimeſcendum cenſeam.

BAPTI-

BAPTISTA AYMVS
CANDIDO LECTORI
S.

INTER multa, quæ sunt exquisitæ subtilitatis in iure ciuili, nec satis adhuc explorata studiosis, vniuersi Alluuionum iuris cognitionem omniũ esse difficillimam, nec adhuc perfectè enarratam; neminem ambigere puto: vtpote, quæ (si eam partem præsertim attingimus, quæ in incrementorum diuisione versatur) & iuris ciuilis, & Geometricæ simul artis peritia constet. Vnde, cum ea, quæ in iure ab antiquis illis Iurisconsultis accepimus, breuiter admodum explicata sint; qui mos eorum fuit peculiaris satis esse existimantium, paucis rem omnem velut intelligentibus indicare: Geometricæ autem eruditionis plerique ex nostris interpretibus penitus expertes esse consueuerint: factum est, vt in tanta Doctorum interpretantium multitudine, nemo ab ipsis legum incunabulis, seu ab ipsa Pandectarum inuentione vsque adhuc extiterit, qui tam necessariam iuris partem explicandam aggredi sit ausus vno Bartolo excepto; qui de hac re Tyberiadis libellum (vt fama vulgaris est) conscripsit. Si tamen illud opus est Bartoli, & non alterius: quod asserere benignius propemodum videtur, vt ab hac nota tantum virum eximamus. Si quidem & plurima iuris pronunciata illic, & omnia ferè de incrementorum diuisione præcepta à recto, & legitimo iuris tramite aberrare, quilibet ex his nostris sit facilè deprehensurus. Præter Tyberiadem autem nihil aliud habemus. ex quo cæteri postea omnes operis difficultate perterriti vni Tyberiadi tanquam illi Atheniensium Deo ignoto, admirabundi quodammodo, nihil interiora scrutantes penitus deferre consueuerunt.

Quàm porrò necessaria sit iuris huius cognitio; rerum vsus ipse satis indicat. cum tribunalia huiuscemodi litium iurgijs, & concertationibus, nostris præsertim regionibus vndique perstrepant. Quod & alias Aggenus Vrbicus in libello de Limitibus agrorum, vbi agit de Allu-

uionibus in hæc verba testatus est. *Hæ quæstiones*(inquit) *maximè in Gallia tota mouentur, quæ multis contecta fluminibus immodicas Alpium niues in mare transmittit, & subitarum regelationum repentinas inundationes patitur.* Quæ lites plerunque post exacta longissimi temporis curricula, non certa iuris pronuntiatione, sed ob rei hucusque famosam difficultatẽ, vel imperitorum arbitrio Agrimensorum, vel mutua contendentium pactione, ab ipsa litium, & dispendiorum longæua grauitate veluti extorta finem accipiunt.

Ego itaque, qui ab adolescentia, inter cæteras Geometricis quoque speculationibus me oblectauerim; vt ad iuris ciuilis cognitionem multiiugi scientiarum genere, quantum in me esset, instructus accederem: è iuris nostri dignitate esse censui, & publicæ vtilitati admodum conducere; Cùm, quod ad cæteras eius partes pertinet, iamdudum locupletissimis interpretationibus sit enarratum: si hanc quoque partem tam necessariam plenius attingerem, & Bartoli præcipuè Tyberiadim diligentius excuterem, atque hac ratione ipse quoque in tanta scribendi licentia aliquid in iure, quod auribus hominum dignum esset, pro virili in medium conferrem.

Sed tu quis es(mihi inquient fortasse aliqui)qui trigesimum annum vix attigisti, & tanta in Bartolum, & Antityberiadem propemodum moliris? His ita quærentibus, & admirantibus illud in primis in vniuersum dicã: de me singulatim paulò pòst respondebo. Minimè contumeliosum maioribus nostris esse contendam, si quid ad illorum inuenta posteriores adijciant: nec vlli vnquam ab antiquis ad eundem cursum conficiendum viam fuisse præclusam; cum nihil vsquequaque perfectum inueniatur. Addam, quod inquit Laurentius Valla; Errores maximorum virorum deprehendere, id tum doctissimi hominis esse, tum opus vtilissimum, & quo nullum dici potest vtilius. & rectè sanè: cum eò perniciosius, præsertim in iure ciuili, sit erratum, quò maioris auctoritatis assertore nititur, hac nostra præcipuè tempestate, qua interptetum auctoritati multum tribuitur. Proinde Seruium Sulpitiũ impensè laudatum, & acceptum populo Romano postea fuisse legimus; cum in libros Q. Mutij Scæuolæ non solùm Iurisconsultorum principis, verum etiam præceptoris sui Notas eruditè conscripsisset. Hinc ideo ea, quæ in Notis Aemilij Papiniani ex Vlpiano, & Paulo, necnon & Martiano ascripta erant, quæ antea nullam vim propter honorem splendidissimi Papiniani obtinebant; non statim respui à Triboniano, & cæteris Pandectarum compositoribus expresse constituit Iustinianus: sed si quid eruditum in eis esset, in leges referri mandauit.

quoniam (vt paulò pòst ille inquit) qui subtiliter factum emendat, laudabilior est eo, qui primus inuenerit. Quapropter Bartolum (si horum illi vllus est sensus) haud ægrè laturum existimamus, ad animùmue iniuriam hanc reuocaturum; si ea, quæ sibi exciderunt, ritè per posteros reprehendantur: quod in se (qui erat illi veritatis amor) fuisset ipse facturus, si errata sua animaduertisset.

Quod porrò ad me pertinet, illud verè possum dicere, me, & mea quidem voluntate, quę ardentissima erat, sed & prudentissimorũ quoque, atque amantissimorum consilio ad hoc opus descendisse, & præcipuè Ludouici Zunti, atque Antonij Glauarini. quorum alter Zuntus scilicet & Conciuis, & meus est affinis (sororem eius vxorem duxi) ac morum prçstantia, & eximia iurisprudentia iamdudum celeberrimus; vti qui in Genuensium, & Lucensium, & postremò in Bononiensium quoque Rotæ Auditorijs præclaros magistratus præclarè gesserit. Vnde nec adhuc expleto statuto tempore, ab Illustrissimo, & Excellentissimo OCTAVIO FARNESIO Parmensium, & Placentinorum Duce nostro vltrò, studioséq; euocatus Placentiam concessit, Auditoris causarum Ciuilium, Ducalisq; Consiliarij obiturus munera. Alter verò Antonius Glauarinus præstantissimus ætatis nostræ Iurisconsultus, idemq; meus olim Præceptor amantissimus in nobilissimo, & patrio Bononiensi Gymnasio Iura Ciuilia postmeridianis lectionibus magno discipulorum cõcursu, & maxima vtilitate multos iam annos interpretatur. Horum itaq; virorum auctoritate suffultus minimè sum veritus, mihi notam temeritatis inuri, si quantuncunque iuuenis opusculum hoc euulgarem. Quid? si fortè Deus Opt. Max. mihi licet paruulo retexit, quod maioribus occultauerat? Nonne Iustinianus in veteri iure enucleando, vnius forsan, & deterioris sententiam, & multos, & maiores aliqua in parte superare posse, expresse professus est? Scitum est illud Diui Augustini Doctoris Augustissimi. Senex à iuuene, & Episcopus tot annorum à collega, nec dum anniculo paratus sum doceri. Nemo itaque iuuentutem nostram contemnat secundũ Apostolum. quandoquidem, & sæpè est olitor valdè opportuna locutus. vt est in Adagio. Et si Lex est inuentio quædam, & donum Dei (vt ex Demosthene inquit Martianus) si ab hoc fonte perennes Scientiarum omnium riuulos prosilire, impius est, qui inficiatur: quid mirum, inde Haustum aquæ cum Bartolo, & cæteris omnibus mihi quoque fuisse communem? Ego mehercule crediderim, cuique magna audenti gratissimo animo semper occurrendum; vbi præcipuè de communi agitur vtilitate. & non modo vlli dandum vitio esse, quinimo ei haben-

das esse gratias maximas, qui studio publicæ vtilitatis anceps hominum plerunque maleuolorum iudicium Scriptorum suorum editione subire non detrectet. Cui vtilitati pro mea virili parte per hæc consulere, potissimum fuit propositum. Sic votis subscribāt fata secundis.

Non negarim autem, me laudis etiam desiderio in arenam hanc descendisse. Quando (si Ciceroni credimus) vix inuenitur, qui laboribus susceptis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. Trahimur enim omnes laudis studio, & optimus quisque maximè gloria ducitur; quæ ex omnibus huius seculi virtutis præmijs, amplissimū est præmium. Sic etiam antiquos Philosophos in libris, quos de contemnenda gloria scripserunt, nomen suum inscripsisse testatur Cicero, in eo ipso, in quo prędicationem despiciebant, famam aucupantes. Cur itaq; mihi vitio dari poterit; si, vt me quandoq; vixisse, sciant posteri elaborauerim; neq; commiserim, vt quisquam forte alius præsentem hanc laudem mihi qualemcunque præriperet?

Habes Lector amantissime intentionis nostræ rationem. Superest, vt operis huiusce ordinem paucis perstringamus. Quoniā igitur proprietatem sermonum Iuriscōsulto peculiarē esse inquit, & rectè Cicero; vt ideo omne ius, aut in verborū interpretatione versari, aut æqui, prauiq; discrimine esse constitutum dixerit Quintilianus: iccirco nonnulla in Primo libro, quæ ad verborum significationem pertinēt, tractauimus. vt in hac incognita ferè, & difficili admodum iuris parte facilis deinde esset ad legitimas disceptationes progressus; quas omnes in librum Secundum coniecimus. in Tertio autem totus incubui in ipsa incrementorum diuisione, nihil vsquequaq; recedens à veterum Iurisconsultorū præceptis, & a toto legitimo tramite, ex Geometricis elementis ea tantummodo desumens, quæ intentioni necessaria esse visa sunt. In quo toto opere, quoniam (vt bellissimè profitetur C. Plinius) benignum est, & plenum ingenui pudoris, fateri, per quos profeceris; nos ideo quicquid aliunde hausimus, vbique auctori suo fideliter acceptum retulimus. vt inde præterea vnicuiq; constare posset, quanta in cōmunē vtilitatē ex nostro licèt exiguo penore deprompta sint. cuiusmodi multa sunt in II. lib. quamplurima verò in I. & omnia ferè in III. volumine.

Suscipe igitur Humanissime Lector has ingenioli mei primitias, & eas æqui, boniq; consule. Maleuolos autem deprecari, animus refugit, ne mihi ipsi malum ominari videar: quos nullos esse futuros malim augurari, quin potius sperare, omnes in meis legendis tales se præstituros, qualem in alienis me gerere consueui. Vale.

INDEX CAPITVM, ET PARAGRAPHORVM.

LIBER PRIMVS.

FINIS.

BAPTISTAE AYMI PARMENSIS IVRISCONSVLTI.

DE ALLVVIONVM IVRE VNIVERSO, LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM.

¶ Alluuio vnde deducitur.

SVMMAE.

1 *Alluuio ab alluo deducitur.*
2 *Alluere quandoque in iure accipitur pro allabendo addere.*
3 *Alluuio accessionem, & decessionem significat.*

CAPVT PRIMVM.

OMNE ius ferè aut in verborum interpretatione positum est, aut æqui, prauiq; discrimine. vt nobis (quod ad ipsa verba pertinet) inter cætera apertissimè testantur tot leges in titulum de Verborum significatione congestæ, tot Vlpiani, & aliorum commentaria ad quàmplurima prætorum edicta, & interdicta; & vniuersum denique Iuris ciuilis corpus. vt interim Quintiliani ita distinguentis auctoritatem in Institutionum suarum lib. 12. prætermittam. Iccirco de Fluuiaticis incrementis Alluuione, Alueo, & Insula tractationem aggredieti mihi, in primis & vnde cuiusque eorum nomen descendat, dicere operæpretium est; & de multiplici ipsorum appellatione, & significatu disserere. Sic etenim & Vlpianum ipsum, cæterosq; eius ætatis I. C. factitasse, sæpè legimus, & præsertim in

l. 1. & toto Tit. de Iust. & iure. Ab hoc proinde ingressu, aditum sanè facilem ad euidentiorem vniuersi Alluuionum iuris intellectum præstitum iri existimo: de cuius cognitione deinceps tractabitur.

1 ¶ Alluuio igitur ab alluo † deducta est verbo composito ex (ad) & (luo) quod est eiusdem significationis cum verbo lauo. Cic. in Verrem. *Errabas Verres, & vehementer errabas, cum te maculas furtorum, & flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine luere arbitrabare.* Alluere ergo est iuxta luere, siue lauare, & fluere. Cic. in eundem. *Non alluuntur à mari mœnia extrema.* Quoniam autem fluminum ea natura est, vt agris, quibus allabuntur, perpetuò vel addant, vel detrahant; vn-

2 de verbum† alluere accipitur quandoque pro allabēdo augere, & adde re; prout hoc sensu, eo vsus est Vlpianus in l. & puto. §. id quod amnis alluit. Famil. erciscun: factum est hinc verbum alluuio; cuius appel

3 latio † non solùm accessionem, sed & decessionem prædiorum significat. vnde eleganter in l. id quod. in princ. de Pericul. & commod. rei vend. iuxta vtrumque sensum dixit Paulus. *Id quod post emptionem fundo nostro per alluuionem accessit, vel periit; ad emptoris commodum, incommodumq́ pertinet.* Et hoc voluisse Azonem etiam arbitror in Summa. C. de Alluuion. dum inquit, ꝙ alluuio est *accretio, vel decretio latens,* idest quod supra diximus, accessio vel decessio latens. Hinc Iob. cap. 14. *Alluuione paulatim terra consumitur*; quem refert & Bald. in Rub. de Rer. diuis. nu. 20.

ARGVMENTVM.

¶ Alluuionis quotuplex sit in iure significatio.

SVMMAE.

1 Alluuio tribus modis in iure accipitur.
2 Alluuio est incrementum latens nostro adiectum fundo à flumine publico.
3 Incrementum est generale verbum ad omne genus incrementi.
4 Incrementum alluuionis reale est, non personale.
5 Fundi vocabulo omne venit, quicquid solo continetur.
6 Nostrum dicitur, quod statim vsibus, dominioq́ nostro subiici poterit.
7 In agris Limitatis ius alluuionis non agnoscitur.
8 Mare ius alluuionis non habet, vnde insula in eo nata occupantis fit.
9 Alluuio maritima fit occupantis, & ratio redditur. nu. 10.
11 Flumina priuata ius alluuionis non habent.

CAPVT II.

ALLVVIO † tribus modis in iure accipitur; vno modo, quo substantiam denotat, agrum ipsum alluuium scilicet; altero, quo actionem, seu actum, quo alluuioné fieri dicimus, significat; tertio, quo iuris effectum, & nomen sortitur. Vt dicitur de possessione, quæ modo est res ipsa possessa; modo ius insistendi, &c. modo actus ipse possessiuus, vt passim Doct. in l. 1. de Acquir. possess. Hæc autem distinctio nostra ignota fuit Bartolo, cæterisq; omnibus iuris interpretibus, quos viderim: licèt apprimè necessaria sit, vt legẽdo per se satis vnicuique patere poterit. Quod ad primum accpiendi modum pertinet, quo rei substantia significatur; quoniam omnis, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet (vt ait Cicero) à definitione proficisci; vt intelligatur quid sit id, de quo quæritur: alluuionis propositæ definitionem ante omnia præmittere, vtile futurum duxi. & eo magis, quoniam vulgariter creditur Imperatorem, siue mauis Tribonianum, & reliquos Institutionum compositores tradidisse alluuionis huius definitionem in §. præterea. Instit. de Rer. diuis. dum ibi legitur *alluuio est latens incrementum*. & huius sententiæ fuit Bald. in Rub. de Rer. diuis. nu. 20. & Iason. in cons. 126. lib. 4. Quod quàm alienum sit ab egregia, & solerti Triboniani, & cæterorùm iurisprudentia; vel quod magis est, ab ipsa veritate dissonum: iam clarè (ni fallor) me præstaturum puto.

¶ Hanc itaque rectè ita definiri posse, semper existimaui. Vt alluuio † sit incrementum latens fundo nostro adiectum à publico flumine. Sed vix est, vt credam, me susceptæ disceptationis dignitatem posse tueri; ni quasque definitionis propositæ particulas perfectè attigero. cum præsertim à Baldi, & Iasonis auctoritate vrgear. Sed primum illud est, & necessarium, quod aggrediar: qua iuris auctoritate genus, & differentias huiusce definitionis comprobem. Ad hoc ergo est textus in allegato §. præterea. Instit. de Rer. diuis. vbi dicitur, quòd *alluuio est incrementum latens*. en genus, & prima ex differentijs, non tota definitio; vt putauit Baldus, & Iason. reliquæ differentiæ, ante ea verba habentur in principio ibi *agro tuo flumen adiecit*. Similis vsquequaque ferè textus est in l. adeo. §. præterea. de Acq. rer. dom.

Publico. Addidi, quia & hoc præsupponi dicendum est in dicto §. & nisi publicum esset flumen, ius alluuioni non haberet. l. lacus. & ibi not. de Acq. rer. dom.

¶ Iactis definitionis fundamentis, ad quamlibet eius particulam enarrandã venio. & quoniam omnis bona definitio debet constare ex ge-

1

2

3

nere, & differentijs, vt annot. in l. omnis definitio. de Reg. iur. ideo
3 dixi, quòd alluuio est incrementum, quod est generale verbum † ad omne genus augmenti, siue natura, siue artificio, siue casu, vel alio quouis modo contingat. hinc est, quòd fructus veniunt appellatione incrementi. Aut. Qui res. ibi. *cum omni incremento*. C. de Sacrosan. eccle. Item sub eadem appellatione venit donatio propter nuptias. §. est & aliud. vers. sed tamen. Institut. de Donat. & generaliter pro fluuiatico incremento, siue alluuionis, siue insularum vsurpauit Celsus in l. item si fundi. §. huic vicinus. ibi *nam vbi latitat incrementum*. de Vsufr. & in specie (vt dixi) ad alluuionem relatum habetur in eo. §. præterea. Instit. de Rer. diuis.

¶ Constituto genere ad differentias dirigatur oratio nostra.

Latens. Dixi, ne de incremento insulæ, aut aluei posset fortè intelligi: hoc enim euidenter fit, illud auté est præterea ab agro discretum, & separatum. quam differentiæ normam, & modum acceptum refero à Celso in illo §. huic vicinus. post Iustinianum in §. præterea. iam sæpius appellatum. Crusta quoque alterius agri in alienum delata hinc exclusa intelligitur.

Fundo. Verbum hoc non solùm differentiæ, & speciei, sed generis quoque quodammodo vicem subire, mei fuit consilij. vt primò in-
4 crementum alluuionis † reale esse, non personale intelligeretur, iuxta dispositionem. l. si Titio. in fi. de Vsuf. quod iam inferius dicturus sum. Secundo vt contenderem siue foret rusticum, siue vrbanum prædiũ,
5 nihil referre: cum ratione soli fiat adiectio; & fundus † est omne, quicquid solo continetur. l. quæstio est. de Verbo. signif. quod & ait Bart. in Tyb. Par. 1. in verbo *Agro*. in princ. Et singula prata, singulæ vineæ, singuli horti, singula olíueta, pomaria, salicta, arbusta, pascua, nemora, loca aucupatoria, venatoria, piscatoria, siue villam, atque ædificium, siue piscinam, siue aluearia, siue vinaria habeant, siue non habeant, singuli fundi sunt. Si Vallæ credimus, qui in hæc verba ita scribit in Elegant. lib. 6. cap. 41.

Nostro. Id admodum necessarium fuit apponere, vt loca sacra, vel religiosa, aut sancta, quæ in nullius bonis sunt. l. in tantũ. §. sacræ res. de Rer. diuis. excluderentur. Item & theatra, fora, & basilicæ cuiusque ciuitatis, quorum commercium nõ est. l. sed Celsus. in prin. de
6 Contrah. empt. Nostrum† namque id demum appellamus, quod statim vsibus, dominioq; nostro subijci poterit. l. inter stipulantem. §. sacram. vers. nam de ijs rebus. de Verb. oblig. hæc etenim loca ius alluuionis non habent. De qua conclusione, quoniam hoc non patitur præ-

sens

ſens oratio, latiore diſceptatione alibi dicendum reſeruo. Iuriſdictio ergo, licet ſit publici iuris: quoniam tamen datur eius commercium, ſub hac appellatione includetur; vt inferius dicam in cap. 6. lib. 2. Adde quòd noſtrum dicitur, quod eſt ſub noſtra iuriſdictione c. pro illorum. vbi Abb. poſt Gloſſ. nu. 2. de Præben.

Scrupulus eſt, qui forte quempiam torquere poſſet, de agris Limitatis ſcilicet; quorum eſt commercium, & vſibus, dominioq; noſtro ſtatim ſubijci poſſunt, nec in ijs tamen ius alluuionis † agnoſcitur. l. in agris. de Acquir. rer. dom. Sed euellat eum, quiſquis eſt; & putet, me hic definitionem tradere moribus, & inſtitutis præſentibus inſeruientem. Aetate enim noſtra, & ſuperiore, & multo antea licet animaduertere, ab aula (vt aiunt) receſsiſſe morem illum, & inſtitutum per limites diuidendi agros, vt admiratione, ne dicam miraculo, dignum ſit, quantopere hinc torqueantur Doctorum noſtratium ingenia; dū à natura agrorum quorundam ceu Limitatorum, argumenta ad varias, easq; magni ponderis quæſtiones trahere ſumma vi nituntur. de quo genere (ſi Deus adſit) dicturum me quandoque polliceor.

7

Adiectum. Dixi, vt iterum excluderē incrementum inſulæ, quod agro adiectum. ideſt vnitum non poteſt dici. id enim adijci dicitur, quod vnitur, vt inquit Bart. in verbo *adiecit*. in Par. 1. Tyber. Item vt & aluei acceſsio etiam paulatim facta excluderetur: quoniam alluuio adijci dicitur, alueus autem relinqui; vt in ſequenti capite dicam.

Ad fluminis verbum aggredior. cuius ſignificatio, non vulgariter tantummodo hic accipienda eſt, ſed alio etiam ſenſu, eoq; latiore; pro qualibet ſcilicet aquarum congregatione; prout accipitur in l. 1. §. denique ait. de Aqua plu. arcen. vnde Vir. 2. Aeneid.

Rapidus montano flumine torrens.

Siue igitur flumen ſit ex ijs, quæ regia dicuntur, vti Padus; ſiue quæ tributaria, vti Parma fluuius; ſiue torrens, lacus, ſtagnùmue, aut quodcunque aliud huius generis; hac appellatione fluminis continetur hic: dummodo iuris publici ſit, vt inquit Bart. in Tyb. Par. 1. ſuper verbo *Flumen*, in fine, & nos alibi dicemus: Maris autem vis, & impetus per hanc definitionem excluſus intelligitur: mare etenim eorum appellatione venit, quæ communia ſunt, vt Aer. §. & quidem. Inſtitut. de Rer. diuiſ. Sed hic de incremēto à vi publici fluminis procedente dicitur. Quapropter ex eo, quod in mari † non agnoſcitur ius alluuionis; Caius ait in l. adeo. §. præterea. in prin. de Acquir. rer. dom. incrementa apparentia, inſularum ſcilicet, in mari nata non acquiri vicinis poſſeſſoribus, ſed occupantis fieri: nullius enim in bonis

8

esse creduntur. Et argumento inde sumpto idem iuris esse, ego censeo in incremento † alluuionis, vt pariter nullius sit, nisi occupantis: eo quia rationem diuersitatis non inuenio. Vt, quemadmodum ab insula inter agros Limitatos, quæ fit occupantis. l. 1. §. si insula.. de Flumin. ad parem iuris dispositionem in alluuione agris item Limitatis adiecta argumentatur Bart. in Tyb. Par. 1. in verbo *Nostro*. post Gloss. in ea l. 1. de Flumin. in verbo *si limitati*, vt & ipsa fiat occupantis: mihi liceat hic pariter ab insula in mari nata ad alluuionem vi maris adiectam prædijs vicinis arguere: vt vtroque casu in nullius bonis ea incrementa sint, sed occupanti concedantur. Stat ergo verbum Flumen: hic ad differentiam maris, cuius incrementa non vicinis, sed occupantibus concessa intelliguntur. Et si quis † a me quærat diuersitatis causam; inde illi me satisfacturum ausim dicere: quoniam sicut proprietas riparum cuiusque fluminis etiam publici ad dominos adiacentia prædia possidentes pertinet, l. riparum. in fi. de Rer. diuis. eodem iure incrementa ripis adiecta ad proximos possessores spectare debent. Littorum autem maritimorum dominiũ nullius est, sed cuiusque, quandiu occupatum habuerit. §. littorum. Instit. de Rer. diuis. l. in tantum. ff. Eod. Vnde fit, quòd lapilli, gemmæ, & cætera, quæ in littore maris inueniuntur, inuentoris occupantis fiunt, l. item lapilli. Eod. cum simil. Meritò igitur quod accedit rei communi, & occupatoriæ commune est, & fit occupantis; sicut quod accesserit rei propriæ, proprium est futurum. Ex quibus patet, Curt. Sen. in fin. sui cons. 56. perperam addidisse, ita agnosci ius alluuionis in mari, vt in fluminibus publicis.

Publico. Nec hæc adiectio ociosa est: per eam. n. & mare, vt dixi, quoniam est de genere rerum communium; & priuati fluuij excludun tur: in eis enim † ius alluuionis non agnoscitur, vt ait Callistratus in l. lacus. de Acq. rer. dom. & ibi not.

¶ Hęc sit ergo alluuionis definitio, quando substantiã significat, prout vulgariter ferè semper accipitur; sit, inquam, incrementũ latens, quod fundo nostro à flumine publico adijcitur, vt sub hac appellatione accipitur in l. si Titio. in fi. de Vsufr. in l. quod in rerum. §. 2. de Leg. 3. & in l. si conuenerit. §. si nuda. de Pignor. act. ita quoque in l. ex mille. ibi. *alluuionis periculum*. de Euict. & in l. si patronum. §. fi. de Bon. libert.

ARGVMENTVM.

¶ Alluuio vt nomen verbale plerunque accipitur in iure, quo actus ipse, & modus significatur, per quem flumina agris nostris accessionem, vel decessionem afferunt.

SVMMAE.

1 *Alluuio in verbali significatione accipitur, accessionem, & decessionem denotat; prout verbo augmentum, vel diminutionem significanti adijcitur.*

CAPVT III.

ALTERAM alluuionis appellationem aggredior, verbalem scilicet; qua actus ipse, & modus significatur, quo flumina fundis nostris accessionem, vel decessionem afferunt: vtrumque † enim augmentum scilicet, & diminutionem significat alluuio, vt etiam sentit Gloss. in l. Martius. in verbo *trans viam.* de Acq. rer. dom. de qua re est textus apertissimus (vt alias dixi) in l. id quod. in prin. ibi. *accessit pro alluuionem, vel perijt.* de Pericul. & com. rei vend. (tum scilicet, cum vt nomen verbale accipitur) prout verbo vel diminutionis, vel augmenti vim habenti adijcitur. Vnde fit, vt liceat obseruare, veteres Iurisconsultos passim addidisse verbum augmentũ denotans, quotiescunque de contingenti incremento alluuio opus fuit verba facere. testis est Caius in l. adeo. §. præterea *quod per alluuionem agro nostro flumen adiecit.* de Acq. rer. dom. testis Vlpianus in l. si ego. §. idem ait. ibi. *per alluuionem accessit.* de Public. in rẽ actione, testis quoque Paulus in l. 4. ibi *alluuione accessisset.* de Iure dot. & in l. indebiti. in prin. de Condict. indeb. ita Pomponius in l. hoc iure. §. si aquam. de Aqua cotid. & æstiua. ibi. *Sed si alluuione paulatim accesserit*, incrementum scilicet, non flumen, vt ibi not. Glos. quod interpretari, & sumere verbaliter oportet, velis, nolisve. i. si per actum, & modum, quo fit alluuio, accesserit incrementum. vt etiam in l. Martius in fi. de Acq. rer. dom. accipitur ibi *quominus ager, qui trãs viam, alluuione fluminis relictus esset*, i. per actum alluuionis. Item adde. l. 2. ibi. *aut quæ alluuione fluminum nostra fiunt*, Pro suo. vt multa alia loca præteream, in quibus hoc obseruauimus, quæ recensere longum esset, & laboriosum. Constat igitur alluuionem, plerunque vti nomen verbale accipi, incrementumq; aut decrementum significare iuxta sensum verbi, cui adijcitur.

ARGVMENTVM.

¶ Qualiter, & quomodo per alluuionem adijci dicatur.

SVMMAE.

1 Alluuione adiectum dicitur, quod ita paulatim adijcitur, vt intelligere non possimus, quantum quoquo momento temporis adijciatur.
2 Alluuionis incrementum dicitur adijci, alueus autem relinqui, & nu. 3.
4 Quod si. dictionis natura, & significatus.
5 Alluuio fit per superadiectionem latentem, alueus per simplicem fluminis recessum, & nu. 6.
7 Explanatio. l. ergo. §. tribus. de Acq. rer. dom.
8 Explanatio. §. alluuio. eiusdem l. ergo.
9 Alueus relictus per latentem fluminis recessum alluuionis appellatione abusiua, & impropria comprehenditur.
10 Alluuionis latiore significatu venit incrementum illud, quod si non paulatim, superfundendo tamen flumen adiecerit.

PARAGRAPHVS I.

SED pulchrum est, & ferè necessarium cognoscere, qualis sit actus accessionis alluuialis, & quod dicatur per alluuionem adiectum. Ait Caius in l. adeo. §. præterea. de Acquir. rer. dom. quod ita 1 † paulatim adijcitur fundo nostro, vt intelligere non possimus, quantum quoquo momento temporis adijciatur: id per alluuionem adiectum censeri. hoc idem totidem verbis repetitum est in §. præterea. Instit. de Rer. diuis. vt, & si tota die, secundum Azonem in Summa illius tit. & Accurs. in illis §§. diligentissimè intuearis, ex imbecillitate visus tam subtilia incrementa perpendere nequeas. Vt verbi causa, animaduertere licet in cucurbitis; quæ quantumuis citissimè crescant; non ideo tamen augmentum earum quisquam discernere vllo modo poterit, Lynceo ipso licèt oculatior.

¶ Sed prædictis addendum puto, quod flumen paulatim recedendo dimiserit, id continuò propriè per alluuionem adiecisse, minimè dicendum fore. Diuersum enim 2 † in iure reputatur, an flumen locum, qui aluei esset, siccum reliquerit: an vlterius paulatim coalluendo, locum supra alueum eminentem fecerit. quasi voluerint I. C. primum incrementum aluei relicti, alterum alluuionis adiectæ appellatione propria venire. Quo fit, vt Pomponius in l. ergo. §. tribus. de Acquir. rer. dom. dixerit, insulas in flumine diuersimodè fieri; quandoque cum

locum,

locum, qui aluei esset, siccum reliquit amnis, & circumfluere cœpit; quandoque cum paulatim coalluendo, locũ eminentem super alueũ fecit, & eum alluendo auxit. quid his verbis clarius? & hoc voluisse Caium auguror, & expressisse in sæpius appellato. §. præterea. primùm ex illis verbis. *Quod per alluuionem agro nostro flumen adiecit.* incrementum † enim alluuionis dicitur adijci, & accedere, seu accrescere; sed aluei incrementum dicitur relinqui, & per recessum fieri. vt hoc potest obseruari, tum ex eo. §. præterea, tum ex l. insula. in fine primi, & vltimi responsi, de Acquir. rer. dom. Secundum mouet, quoniam post declarationem, quod nam dicatur per alluuionem adiectum, hæc verba subnectit. *Quod si vis fluminis partem aliquam ex prædio tuo detraxerit, & meo prædio appulerit, palam est eam tuam permanere. Plane, &c.* Dictionis aduersatiuæ *quod si* † ea natura est, vt qualitatis proximè præcedentis repetitionẽ inducat, vt inquit Bald. in l. omnes populi. nu. 72. de Iustit. & iur. Alex. in cons. 99. nu. 9. lib. 7. & cadit tantum modo inter res eiusdem generis. Glos. in l. mariti. in fi. vbi Bar. de Adult. Alex. in cons. 9. nu. 4. lib. 7. Si contrarium igitur statuit Caius inter incrementa alluuionis, & incrementum crustæ agri alieni nostro prædio vi fluminis adiectæ; vt alluuio statim, & ipso iure nobis quæratur; Crusta verò ex eo tempore, quo vnita demum fuerit fundo, cui appulerit: possum probabiliter arguere, eum intellexisse incrementum alluuionis † ita fieri per superadiectionem, sed paulatim; sicut incrementum, quod adijcitur per crustæ superillationem, quod non paulatim, latenterue, sed euidenter contingit. vt oppositionis aduersatiuæ vis, & natura, suum sibi vendicare locum queat. Alluuione ergo id dicatur adiectum, quod à flumine paulatim super fundendo, & coalluendo adiectum fuerit. Siue super alueo id contigerit, vt in l. Martius. ibi. *& alluuione in antiquum locũ redijt*, vt in l. ergo. §. tribus modis. de Acquir. rer. dom. & alibi sæpè; siue super ipso prædio nostro superinducatur. Sicuti, verbi gratia, pinguedo agrorum superiorum, aquæ pluuiæ vi inferioribus adijcitur. l. prima. §. fin. de Aqua plu. arcen. de quo genere ait Cic. de Natur. Deorum *Mesopotamiam fertilem efficit Eufrates, in quam quotannis quasi nouos agros inuehit.* Huiusmodi est incrementum Nili, qui Aegyptum operit, fœcundissimoq; limo obducit. de quo in l. 2. C. de Alluu. Et talia alluuionum incrementa in locis depressis, vti vallibus contingere sæpè solent. de quibus Columella de Re rustica, lib. 8. cap. 2. vbi Valles, quæ fluminum alluuie, & inundationibus concreuerunt, vineis aptas esse, inquit. Cuius loci occasione annotandum est, alluuionem, & alluuiem pro

3

4

5

eodem

eodem vſurpari. Et quoniam alluuiem pro aqua ſordida quoque, & lutoſa admodum, quæ propè ripas alluit, dictam legimus apud Liuium lib. 1. *In proxima alluuie pueros exponunt*, Romulum ſcilicet, & Remum iuſſu Amulij patrui in Tyberim proiectos: ab hac appellatione licet ſuſpicari inde alluuionis, ſiue alluuiei nomen factum, vti quæ plerunque ex aquis limo turbidis producatur. Sed ad rem redeo.

¶ Quod flumen autem non ſuperfundendo, ſed paulatim tantùm recedendo dimiſerit; id nullo modo alluuionem dici rectè, & propriè cenſeo, ſed aluei incrementum: quoniam nullam video rationem diuerſitatis, cur non debeat appellatione aluei † ita venire id, quod paulatim recedendo reliquerit flumen; atque illud, quod mutato alueo ex toto, à fluuio derelinquitur, vt dicitur in l. adeo. §. quod ſi toto. de Acquir. rer. dom. & hoc nullus inficiatur. Et hanc differentiam inter alluuionem, & alueum ante nos agnouit Accurſius, & conſtituit in l. ergo. §. alluuio, & in l. Martius. & expreſsius in l. inſula. gloſſ. 2. de Acqu. rer. do. Et licèt quò ad hoc rectè ſenſerit; ex alio tamen nota dignus eſt; vt pote qui putarit alluuionis verbum in ea l. Martius. impropriè accipi. quod verum eſſet, ſi ſecundum appellationem ſubſtantialem intelligeretur: ſed accipiendum eſt ibi iuxta ſenſum verbalem, vt ſupra dixi, & verum eſt.

6

¶ Et hæc eſt noſtra de differentiâ inter alueum & alluuionem opinio. de qua nec vllum alium differentem legi, nec ei refragantem inueni vno Bartolo excepto, quem poſtea ſecutus eſt Corn. in conſ. 191. nu. 10. lib. 3. Is in Tyb. Par. 3. in prin. aſſerit, id propriè alluuionem eſſe, non ſolum quod flumen ſuper ponit, ſed etiam quod retrocedens nil apponendo dimiſit, arg. l. ergo. §. tribus. Eod. Sed eum textũ ſuperius ad hanc noſtram ſententiam induxi, nec ei re vera obſtat, licèt in eo legatur † *Nihil intereſſe* (& in hoc vim facit Bart. vt arbitror) *vtrum de aluei duntaxat ſolo mutato, an de eo, quod ſuperfuſum ſolo veteri ſit, quæratur: vtrumq́ enim eiuſdem generis eſt*. quoniam hoc referri aio, ad parem iuris diſpoſitionem (cuius & ego ſum ſententiæ, & dicam alibi) non ad nominis & proprietatis æqualem, & propriam appellationem: in quo differentia eſt. nam vno modo inſula dicitur fieri per aluei mutationem; altero per alluuionem alueo ſuperfuſam. & hic eſt illorum verborum ſenſus. aliàs quid opus fuiſſet, tàm diligenter Pomponium tres modos deſcribere, quibus inſulæ fieri contingunt; ſi & iuris, & nominis, & modi quo fiunt, vniformis eſſet diſpoſitio, appellatio, & conſtitutio?

7

Minimè autem arbitror Bartolum vim feciſſe in verbis. §. alluuio

† eiuſdem

t eiuſdem l. ergo. tum quia adducit. §. tribus modis. tum etiam quoniam licèt ibi dicatur, quòd *alluuio agrum reſtituit eum, quem fluminis impetus abſtulerat*, & paulo inferius, *receſſu fluminis reſtitutus, &c.* ex quibus verbis videtur conijci, quòd id dicitur reſtitui per alluuionem, quod fluminis receſſu reſtituitur: rectius tamen intuenti facilè conſtabit, nihil ad rem facere. Altero enim de duobus modis, & nullo præterea alio verbum alluuio accipi poteſt eò loci; aut generaliter pro verbo iuris effectum habente, quod iam definiam in capite 5. & textum hunc, ad hoc inducam: aut ſumitur pro immoderata aquarum violentia, & inundatione, quæ per ſubitum receſſum, agrum repentino quoque impetu occupatum antiquo domino reſtituit. vt hoc modo intellexiſſe videtur Gloſſ. in l. adeo. §. quod ſi toto. verſ. ſed vix eſt, & in l. Martius. in fin. de Acquir. rer. dom. & rectè quidem: nam ſi reſtituitur priori domino alueus relictus; (vt hoc nomine augmentum illud appellatur ibi in fine) ergo neceſſario intelligimus, quando impetuoſo receſſu derelictus fuit. aliàs non reſtitueretur, vt voluit & rectè Bart. ipſe in Tyb. Par. 3. ſuper verbis. *Sed vix eſt*, & nos alibi dicturi ſumus in cap. 22. lib. 2. Sed prior interpretatio magis ſatisfacit.

Nec inſuper moueor ob l. Martius. licet ea multum moueatur Bar. ibi. *flumen paulatim acceſſit, & alluuione in antiquum locum redijt*. quoniam inde non arguitur, ergo receſſus fluminis alluuio eſt. imò hæc eſt eorum verborum interpretatio, *alluuione redijt*, ideſt per actum & modum alluendi redijt. ſtat enim, & accipitur verbaliter, hoc eſt paulatim coalluendo locum, qui aluei fuit, eminentem faciendo receſsit flumen, & in antiquum alueum redijt. Qui modus interpretandi verbum alluuionis in ſuperioribus comprobatus extitit.

Nec magis, quàm prædicta Azonis auctoritas in Sum. C. de Alluu. à Bart. adducta eidem ſuffragatur; licèt dicat, quòd alluuio ſit accretio, vel decretio latens: intelligo enim ſecundum illum ſenſum Azonem illud dixiſſe, quo ſuperius in cap. 1. & in principio præſentis capitis latè comprobaui, alluuionem ſæpè accipi, & ſignificare acceſsionem latentem, auctoritate Pauli præſertim nixus in l. id quod. in prin. de Pericul. & comm. rei vend. ibi. *quod fundo acceſsit per alluuionem, vel perijt*. prout ita quoque accipitur in l. fi. ibi *alluuionem vitia*. C. de Alluuion. ſi diligenter aduertatur, vel ſi legis illius prooemium adeatur, quod eſt in l. 1. Cod. Theod. eod. tit. vnde ea. l. fin. tranſcripta eſt. de quo nos in ſequenti libro cap. 10. propè finem. verba faciemus.

¶ Concludo ergo, vt huic diſceptationi extremam manum imponã, quod flumen paulatim recedendo ſolùm, de alueo ſuo dimiſerit, allu-

uionem dici propriè non posse; vti quæ & coalluendo, & superfunden do à flumine producitur. Abusiuè tamen, & latiore significatu alueus 9 † paulatim dimissus potest dici per alluuionem adiectus, vt sensit etiam Accur. in ea.l. Martius. quod supra dixi; prout & incrementum 10 † illud, quod licet non paulatim, superfundendo tamen adijcit flumen; vti cum super alueum euidentes adaggerat arenarum cumulos. quib. assentitur Corneus primus, & postremus omnium, quos viderim, in cons. 191. lib. 3. nu. 10; propriè enim incrementum hoc alluuioné dici non posse contendit, cum hanc accessionem adeo patentem fateamur, vt apertè oculorum sensu percipi queat, quantum quoquo momento temporis à flumine fuerit relictum: & hunc sensum inquit habuisse Gloss. in ea.l. Martius, & eam legem de tali incremento interpretandam, & hoc modo ab impugnatione Bar. defendendam. de qua paulo ante diximus. Mouetur etiam Corn. ex textu l. 1. C. de Alluu. Sed nec hic, nec ille textus quicquam ad rem facit: nam in ea l. 1. agitur de ea specie incrementi, quod contingit, cum paulatim ita vni aufert flumen, vt alteri parti paulatim etiam adijciat; & hoc alluuionis nomine, & iure censetur; prout ita eum textum interpretatur Gloss. 2. in c. ex transmissa. de Præscript. De alluuione propria agitur quoque in ea.l. Martius, vt constat ex illis verbis. *rursus minutatim recessit, & alluuione in antiquum locum redijt*. quibus adde, si placet, quæ ad hanc legem, & ad similium intellectum latè supra congessimus. Vera tamé est Cornei sententia, in quam & ego pertransiui: scilicet ex eo, quod coalluendo à flumine fiat hoc incrementum, & ex alluuie producatur, relictumq; verè dici non potest, quinimò superadiectum; alluuionem quodammodo dici posse istud incrementum. Quæ sententia comprobatur ex l. fin. C. de Alluu. quod manifestius intelligetur, si legis illius principium ex Theod. Cod. desumptum adibitur, quod nos in finé cap. 10. lib. 2. descripsimus.

ARGVMENTVM.

¶ Quomodo per alluuionem esse adiectum, probetur.

SVMMAE.

1. *Per alluuionem adiectum dicetur, etiam si vnde detractum sit incrementum, non probetur.*
2. *Qualis esse debeat concludens testis depositio in probando, quid fuisse per alluuionem adiectum.*

CAPVT IIII.

HVIC vicinus tractatus est, ne quidquã quod ad proprietatem alluuionis penitus indagandam pertinet, ignoretur: Vtrum ei, qui agro suo per alluuionem adiectum contendit, sit necne necessum probare, & à quo prædio detractum sit illud incrementum, & an paulatim.

Hinc vrget Gordiani constitutio in l. 1. C. de Alluu. vbi sancitum est. *si paulatim ita auferat flumen, vt alteri parti applicet, id alluuionis iure ei quæritur, cuius fundo accessit*: vtrunque igitur probandum videtur, vt dici possit iure alluuionis quæsitum: & quod accesserit paulatim, itemq; ex cuius agro, & an paulatim detractum fuerit incrementum. & per eam constitutionem Glos. 2. in c. ex transmissa. de Præscr. in hanc transiisse sententiam putari potest. Adde Bald. in Rub. de Rer. diui. nu. 20. ibi. *tria sunt*, inquit, *alluuio, insula, & alueus. alluuio ab hac parte per minutissimas partes addit, ab alia, ex opposito scilicet, diminuit, & corrodit*. Hæc ille. Quin & Lucanus de alluuione sic cecinit.

Illos terra fugit dominos, his rura colonis
Accedunt donante Pado:

Inde verò, & ex aduerso obiicitur, & validissimè sanè text. in l. adeo. §. præterea. de Acquir. rer. dom. in Institut. de Rer. diuis. iisdé fermè verbis repertus. vbi dicitur alluuionem esse latens incrementum; item id dici per alluuionem additum, quod ita paulatim adiicitur, vt non possit cognosci, quantum quoquo momento temporis adiiciatur. En incrementum tantummodo, & quomodo adiiciatur, considerari; de prædio vnde detrahatur, vel an paulatim, nullum verbum, vt nec cogitatum dicere possis. vt ex eo constare possit, minimè curandum † fore, vnde & quomodo incrementum alluuionis processerit. Quod nulla tum demum tergiuersatione negari poterit; si ad alluuialis incrementi definitioné respexerimus, à qua cuiusque vocabuli vis, & natura desumi consueuit. eius particula ad rem hanc pertinens desumpta est ab allegato. §. præterea. Instit. de Rer. diuis. vt iam dixi. ibi. *Alluuio est incrementum latens*. Et hoc placuit Iasoni, qui in hanc etiam sententiam respondit in cons. 126. lib. 4. tum ex prædictis, tum ex eo motus, quoniam cum de alluuione exemplum dandum est, passim Doctores ad cucurbitas confugiunt, in quibus solum latens incrementum potest considerari: prout Azo primus omnium in Sum. Inst. de Re. diu. nu. 26. in mediũ exemplum hoc deduxit, inde Accurs. in dictis §§. præterea. & post eos cæteri omnes, Bart. in Tyb.

1

Par. 1. super verbis. *per alluuionem autem*, Bald. in Rub. de Rer. diuis. nu. 20. Balduin. in §. præterea. Institut. eod. Rimin. in §. 1. nu. 39. & 40. Institut. Quib. alien. licet, &c, & ante hos probat Corneus in cons. 191. nu. 10. lib. 3. Hæc autem sententia Iasoni adeo placuit, vt eam non solùm iure, sed æquitate admodum naturali subnixam testatus sit. Alias rarò, vel nunquam ferè de alluuione posset quæri. cum ab experto fluminum impetu constet, ea non paulatim adiacentibus agris detrahere, sed integros fundos quandoque abscindere. Quibus addas, quòd si constaret etiam, à quo fundo detractum fuerit, non continuò, imò nullo modo per rerum naturam sciri posset, quò deferatur, & quibus agris adijciatur alluuies illa. Nec aliud Gordianũ, aut Baldum sensisse putabis: communem enim fluminum naturam describere, quàm alluuionis normam præscribere, fuit intentionis eorum, si rectè intuearis.

¶ Quærendum consequenter venit, qualem testes rationem scientiæ afferent; vt probent, quid esse per alluuionem adiectum. cum visus imbecillitas non possit tam minuta incrementa perpendere: testis verò debeat de eo deponere, quod simpliciter corporeo sensu percipit. l. qui testamento. §. fin. de Testamen. l. testium. C. de Testibus. cum simil. Quapropter Corn. in cons. 191. nu. 10. lib. 3. non solùm in hac re difficilem esse probationem censuit, quinimo impossibilem.

Bartolus in Tyb. Par. 1. in verbo *Per alluuionem*, his ita occurrit, 2 & respondet. testem † qui dixerit, se vidisse incrementum minutatim allatum, seu alluuionem à publico flumine fuisse minutatim adiectam, eum rectè probaturum. licèt enim (ait ille) videri non possit, dum adijcitur; quod additum tamen est rectè postea perspici potest. Sicuti in puero crescente, in quo cognoscitur, quod creuerit, & quantum; licèt non videatur crescere. Ex loci ergo inspectione post allatum incrementum oculorum sensu comprehendi potest, quòd adiectum erit per alluuionem. nam cum ponimus, & concedimus tale incrementũ factum, concedimus etiam, & quisque scire potest, factum minutatim, & à flumine, ex quo per alium impossibile est fieri, quàm per flumen. hæc Bartolus. quibus conueniunt, quæ tradidit Baldus in Rub. de Rer. diuis. nu. 22. Ita scilicet posse probari incremẽtum latens esse adiectum; vti cucurbitam hodie maiorem esse, quam fuerit nudius tertius hac ratione. quoniam vidi. Itemq́; sicut testis potest dicere incrementum in cucurbita esse ex cœlesti virtute, haud secus in alluuione rectè dicturus est, incremẽtum ex vi fluminis processisse: quia aliun de esse non potest. sufficit autem probare principia, ex quibus infertur

aliquid, quòd inde esse, necessum est. Hucusque Baldus.

Mihi tamen ratio hæc penitus non concluderet, incrementum esse per alluuionem adiectum; cum potuerit etiam esse incrementum aluei frustatim, & per saltum relicti. nisi dicas, & hoc alluuionis iure, & nomine censeri latè sumpto vocabulo, vt superius diximus. Rectius ergo testem dicturum arbitror, si de causa scientiæ interrogatus dixerit, se scire, quoniam vicinus est; & cotidie fortè agri illius aucti culturæ vacabat, vnde potuit sæpè sæpius animaduertere, & videre paulatim augeri fundum. Caueat autem testis, ne dicat, se cognouisse, quantum quoquo momento temporis adijceretur: quoniam (vt inquit Iason in cons. 126. in fin. lib. 4.) impossibile est per rerum naturam, momenta temporum per corporeum sensum percipi. nihil enim probaret, quin redderetur admodum suspectus: quia experimentum verorum sermonum est, vt concordent cum rebus sensatis, vt magnus ait Auerroes secundùm Bal. in cons. Scismatis. §. 2. nu. 17. & in l. 1. nu. 15. C. de Seruis fugitiuis.

ARGVMENTVM.

¶ Alluuio vt nomen iuris, quandoque in iure accipitur.

SVMMAE.

1 *Alluuio, & ius alluuionis pro eodem aliquoties sumuntur.*
2 *Agri dicuntur habere alluuionem, siue ius alluuionis, non autem personæ. & nu. 11.*
3 *Flumina dicuntur habere alluuionem.*
4 *Alluuio est ius addicendi per aquarum vim ex priuato in publicum, & ex publico in priuatum.*
5 *Explanatio. l. ergo. §. alluuio. de Acquir. rer. dom.*
6 *Flumina quomodo dicantur habere ius alluuionis.*
7 *Agri quomodo habeant ius alluuionis.*
8 *Incrementum siue latens, siue euidens reale est, non personale.*
9 *Alluuio vt verbum iuris ad incrementa tàm latentia, quàm separata, seu euidentia refertur.*
10 *Ius alluuionis de iure gentium processit.*
12 *Alluuio ex publico in publicum addicit, atque etiam ex priuato in priuatum.*
13 *Ager occupatus, & fluminis subito recessu derelictus ex hoc alluuionis iure ad antiquum dominum debet pertinere.*

CAPVT V.

SVPEREST de tertio modo, quo in iure sumitur alluuio, breuiter differere; cum scilicet pro verbo iuris accipitur, vt idem sit, † quod ius alluuionis, quo sensu accipitur in l.ergo.§.alluuio.de Acq.rer.dom.de quo textu paulò pòst dicam. Hoc ius tàm agros habere, quàm flumina, sæpè legimus. de † agris apertissima est Florentini auctoritas in l.in agris.Eodem; vbi quod in principio in agris Limitatis non agnosci ius alluuionis dixerat, paulò post alios agros alluuionem habere dicit. vt alluuionem, & ius alluuionis pro eodem quandoque accipi, itemq; agros dici alluuionẽ habere, rectè proposuerim.

1

2

3

De fluminibus † apertè Proculus in l.insula. de Acq. rer. dom. illic *Flumen illud, si alluuionis ius habeat*. item quoque Callistratus in l.lacus. Eod.ibi. *ideoq; in his ius alluuionis non agnoscitur*. Alluuionem † hoc modo acceptam, ita definiri quodammodo, seu describi posse censeo. vt sit ius addicendi per aquarum vim ex priuato in publicum, & ex publico in priuatum. hæc autem definitio comprobatnr ex textu (ni fallor) apertissimo d.l.ergo.§.alluuio, † vbi *Alluuio*, Pomponius ait, *agrum restituit eum, quem impetus fluminis totum abstulit. Itaque si ager, qui inter viam publicam, & flumen fuit, inundatione fluminis occupatus sit; siue paulatim, siue non paulatim, sed eodem impetu recessu fluminis restitutus est, ad pristinum dominum pertinet. Flumina enim Censitorum vice funguntur, ut ex publico in priuatum addicant, & ex priuato in publicum*. Hucusque Pomponius.

4

5

Alluuio hic nec vocabulo substantiæ, nec verbali appellatione accipi, & intelligi potest. quò ad primum; incrementum alluuionis semper vt nouus ager acquiritur prædia possidentibus, quibus adiectum fuerit; non autem vt antiquus ager priori domino restituitur. l. Martius.de Acq.rer.do. & hoc certissimum est, & in sequenti libro dicam in cap. 22.§.j. Quò ad secundum; id dicitur per alluuionẽ adijci, quod paulatim adijcitur.§.præterea.Instit.de Rer.diuis. non autem per impetũ, prout in Pomponij specie restitutio facta proponitur subitò, & impetuoso recessu fluminis. & hoc modo speciẽ illam intelligit Gloss.in l.adeo.§.q; si toto.ver.si cuius tamẽ.& in ea. l.Martius.in fi.de Acq.rer. dom.q; nulla tergiuersatione negari potest, clara etenim sunt verba.

Superest ergo, vt tertio modo accipiatur ibi alluuio pro verbo iuris, vt ille sit sensus: Agrum, quem fluminis impetus totum occuparat, & abstulerat, per eius recessum subitũ alluuio, seu ius alluuionis priori domino restituit, hoc est, ita dictante alluuionis iure ad pristinum dominum debet pertinere. Ratio autem subnectitur; quoniam sicuti flu-

mina, in quibus ius hoc alluuionis agnoſcitur, ex priuato in publicum addicunt occupando, ita ex publico in priuatum, recedendo: funguntur enim vice Cenſitorum. & propterea ager. reſtitutus per receſſum fluminis, ad priorem dominum ſpectare æquum eſt, & hoc generaliter licet fortè de ſubtili ratione diſputandi ſecus interdum eſſe debere videatur, vt dicitur in illo. §. quod ſi toto. verſ. ſi cuius. vnde, quod deeſt in. §. alluuio, hinc debet ſuppleri.

Si alluuio itaque agrum reſtituit domino priori, quem fluminis impetus abſtulerat; quoniam flumina, in quibus ideo agnoſcitur ius hoc alluuionis, ex priuato in publicum, & ex publico in priuatum addicũt. Alluuio igitur, ſiue ius alluuionis, eſt ius addicendi per aquarum vim ex publico in priuatum, & ex priuato in publicum.

¶ Alluuionem autem flumina † illa habere dicentur, attenta hac appellatione, quæ acceſsionem vicinis agris facere poterunt, & deceſſionem: quod eſt de publico in priuatum, & de priuato in publicum addicere. & quibus hoc negatur, illa non habere alluuionem dicenda ſunt, vt lacus, & ſtagna. Vnde Calliſtratus in l. lacus. de Acquir. rer. dom. *Lacus*, inquit, *& ſtagna licet interdum creſcant, & interdum exareſcant* (ſiue, vt Cuiacius legit, *decreſcant*) *ſuos tamen terminos retinent: ideoq; in his ius alluuionis non agnoſcitur*. quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet acceſsionem, vel deceſſionem vicinis prædijs afferre non poſſunt, vt ita interpretatur Vlp. in l. vicinus. §. fin. de Aqua pluuia arcenda. Seu de priuato publicum, & de publico priuatum facere nequeunt. quod nihil aliud eſt, quàm ius alluuionis non habere.

6

¶ Pariter etiam agri. † & ipſi dici poterunt habere alluuionem, ideſt ius, quo ex priuatis in publicum, in alueum videlicet, & ex publicis in priuatum deducantur. quod eis tum contingit, quando à fluminis alueo occupati, & ideo publici iuris facti, derelicti poſtea ad priorem rurſus dominum redeunt. vt in l. adeo. §. quod ſi toto. verſ. ſi cuius tamen. de Acquir. rer. dom. vel vicinis alijs acquiruntur. quod plerumque fit. d. l. adeo. §. præterea. & l. Martius. eod.

7

Vel quando eis per aquarum vim poteſt ex publico addici, adijcitur; vt fiat priuatorum, quorum ſunt agri, incrementum quod illis adijcitur. Vnde quoniã in agris Limitatis non agnoſcitur ius alluuionis, incrementa illis adiecta, non dominorũ, ſed cuiuſque occupantis fiunt, vt dicitur in ea l. adeo. §. præterea. & in l. 1. §. ſi inſula. de Flumi.

¶ Ideo autem ius alluuionis, & definitionem eius ad flumina tantùm, & agros rettuli, non ad perſonas: quoniam hoc ius, & genus acquiſitionis reale eſt, & rei tantùm ratione fit, non perſonæ. vt hoc proba-

8 tur, siue sit † latens incrementum, in l. si Titio. in fin. de Vsufructu: siue sit euidens, & discretum, in l. egi. §. fin. de Excep. rei iud. vnde ideo ibi statuitur exceptionem rei iudicatæ in fundo, præiudicare in incremento illi addito.

¶ Dixi *per aquarum vim*; ne de iure Censitorum, & similium posset intelligi. reliqua plana sunt, & aperta. Illud tantum addo, verbum addicendi ad flumina, tanquam ad agens, relatum actiuè accipiendum; si ad agros actiuè, & passiuè interpretandum. neque enim est inconueniens, vt idem verbum in eadem oratione positum actiuè, & passiuè accipiatur, prout ad diuersa refertur, vt in l. testamenti factio. de Testa. coniuncto. §. testamenti autem. Instit. de Hæred. qualit. & diff. & præsertim si de gerundio, vt hic, quæratur: cuius vis naturalis est, vt actiuè, & passiuè possit accipi, quod annotarunt Bal. Saly. & post eos cæteri in Rub. C. de Edendo. Ius addicendi ergo in fluminibus est, vt addendo, vel diminuendo addicant; in agris, vt per accessionem, vel decessionem addicantur, id est augeantur eo iure, & diminuantur.

9 ¶ Sciendum est autem, quòd † per hoc ius alluuionis, non solùm incrementum latens, alluuionis scilicet, sed & euidens vt aluei, discretúmq; vti insularum acquiritur; vt apertè probatur in l. insula. de Acq. rer. dom. vbi Proculus interrogatus de ratione acquirendorum incrementorum insulæ alluuionis, & aluei, præmittit primùm, flumen, in quo nata incrementa sint, si alluuionis ius habeat; inde acquisitionis, & diuisionis modum perscribit. vt inde certum sit ius alluuionis dici, & referri ad omne genus incrementi, siue latens sit, siue euidens, & discretum. His adde, quoniam & insulæ ipsæ interdum fieri dicuntur per alluuionem. l. ergo. §. tribus modis. ibi. *Cum paulatim coalluendo locum eminentem supra alueum fecit, & alluendo auxit.* Item in agris Limitatis, in quibus non habere locum ius alluuionis dicitur in l. in agris. eod. Vlpianus insulas ideo eis acquiri negauit in l. 1. §. si insula. de Flum. vt inde certò affirmare audeam, & alluuionem, & alueum, & insulas acquiri iure alluuionis, & sub eius iuris appellatione contineri. Quinimo omnia incrementa alluuionū verbo intelligi constat ex l. fin. C. de Alluu. ibi *alluuionum vitia*, aut saltem incremētum alluuionis, & aluei, de qua re diximus in capite abhinc secundo, in fi. §. j.

10 ¶ Porro, vulgariter constat hoc ius alluuionis † de iure gentium processisse, & iure gentium alluuionem, alueum, insulásq; nobis acquiri. l. adeo. §. præterea. de Acq. rer. dom. & licèt hoc de incremento tantùm alluuio illic dici videatur, de omnibus tamen debet intelligi: quoniam ex l. 1. eiusdem tit. constat toto eo titulo de Acquirendo rerum dominio

iure gentiũ tractari. Hoc est autẽ illud ius gentium, quod primæuum nostri vocant, quod naturali ratione inter omnes gentes peræquè seruatur, vt inquit Paulus in ea.l.1. à qua ratione illam prodidit regulã idẽ Paulus, secundum naturam esse, commoda cuiusq; rei consequi eum, quem sequuntur incommoda, in l. secundum. de Reg. iur. vnde hoc ius gentium naturale itidem dicitur, vt in. §. singulorum. Instit. de Re. diui. Hinc Iustinianus cõstituit in §. cum autem. Instit. de Empt. & vend. si post emptionem fundo aliquid per alluuionem accesserit, ad emptoris commodum pertinere, vt eius commodum sit, cuius periculum est.

¶ Hic omittendum non est, quod inquit Bart. in Tyb. Par. 1. in verbo *iure gentium*, hoc ius ideo competere deportatis, & cæteris, qui iura ciuilia perdiderunt, cum, quæ iurisgentium sunt, retineant. l. quidam sunt. in fin. de Pœnis: ab eo perperam dici. quoniam hoc † ius personæ non competit, sed rei, vt proximè diximus. nec homo potest dici habere ius alluuionis: hoc enim fluminibus tantùm; & agris attributum legimus. vnde quisquis possidere immobilia bona poterit, idem & acquirere incrementa illis adiecta. 11

¶ Postremò his est addendum, flumina in vim huius iuris non solùm addicere de publico in priuatum, quin etiam de publico † in publicũ, vt est expressum in l. Martius. de Acquir. rer. dom. vbi via publica in alueum fluminis paulatim redacta, eius recessu restituta proponitur, ita vt quod publicum fuisset, nemini accreuerit. de alueo igitur fit via, de publico scilicet in publicum addicitur. Rursus addas, flumina ex priuato quoque in priuatum addicere, vt conijcitur euidenter ex l. adeo. §. præterea. vers. quod si vis fluminis. Eod. nam si pars aliqua ex tuo prædio vi fluminis detracta, longiori tempore fundo meo hæserit, vt arbores, quas secum traxerat, illic radices egerint; ex eo tempore fundo meo acquisita censetur, iure scilicet alluuionis: ille etenim versiculus, Quod si, &c. inter eas orationes constitutus est, vbi de alluuione, insula, & alueo acquirendis agitur. quod etiam inferius dicam. Palàm est igitur, flumina, cum de parte vnius agri alteri incrementum afferant, ex priuato in priuatum addicere. 12

Ius itaque alluuionis, vt paucis superiora perstringamus, multiplices parit effectus: ex publico enim in publicum, & ex publico in priuatum addicit, & è conuerso de priuato publicum, & de priuato priuatum efficit. & vlterius agrum † restituit eum alluuio hæc antiquo domino, quem occupatum recessu postea subito flumen dimiserit. 13

ARGVMENTVM.

¶ An quodcunque vi fluminis delatum fuerit, alluuionis iure quæratur.

SVMMAE.

1 *Quæ naturaliter flumen secum trahere consueuit, ea tantummodo alluuionis iure, cum prædio nostro adiecta sunt, nobis quæruntur.*
2 *Vsucapitur tit. pro suo, ab alluuionis iure procedente.*
3 *Cur occupantis fiunt lapilli in littore maris reperti, non autem in ripis fluminum inuenti.*
4 *Res, quæ de sui natura in alterius bonis esse cognoscuntur, vi fluminis delatæ, nec nobis alluuionis iure, aut occupationis intuitu quæruntur, & nu. 6.*
5 *Res vi fluminis delatæ fundo nostro, si dominus earum certus est, eius esse adhuc intelliguntur.*
7 *Ius alluuionis non impeditur, licet incrementi delati certus sit dominus.*
8 *Furtum est, inuenta, aut vi fluminis delata non reddere, nullaq; excusat consuetudo.*
9 *Res pro derelicta haberi quando verè dici possit, & nu. 11.*
10 *Rerum à flumine delatarum dominium legitimum occupando non nanciscimur, nisi relicti titulo adiuuemur.*
12 *Res à flumine delatas, cuius dominus ignoratur, tutius est vendere, quàm pro derelictis possidere, & earum pretium in pios vsus erogare.*

CAPVT VI.

OPPORTVNA nunc est ea disceptatio, an ne quodcunque per aquarum vim prædio nostro allatum fuerit, alluuionis iure nobis quæratur. Bart.in Tyb.Par. 1. in prin.huius fuit sententiæ, vt omne fundo meo vi fluminis adiectum iure alluuionis mihi acquiratur: quoniam in l. adeo.§.præterea.de Acq. rer. dom. Caius ait, *quod per alluuionem, &c.* quæ dictio, idest quancunque rem debet interpretari; prout aliàs Vlpianus in l. 1. §.ait prætor. Nautæ caup.& stabu. nihilq; secundùm Bartolum refert, an terra pura allata fuerit, vel lapidibus commixta, etiam si lapilli forent, aut gemmæ: nec obstat.§.item lapilli. Instit.de Rer.diuis.quia (vt inquit ille) in eo agitur de inuentis in littore maris, ideo fiunt occupantis, cum adhuc sint in bonis nullius. at à fluminibus prædio nostro adiecta, iure alluuionis illico nobis quæruntur. Hoc idem ius statuit si ligna, aurum, argentum, pecuniàue allata fuerint, eaq; solo cohæreant, & sint infixa: hoc enim videtur

significari

ſignificari per verbum *adiecit* poſitum in eo §. præterea. quòd ſi non cohæreant, occupantis fieri cenſet idem Bart. ſuper verbo *adiecit*, in prima par. Tyberiadis.

Bartolo ſubſcripſit Bald. in Rub. de Rer. diuiſ. nu. 22. eo excepto, quòd de lignis, trabibuſue delatis diuerſum ius ipſe conſtituendum putat: quia concreta eſſe non poſſunt, ideſt coniuncta; ideo ſuis dominis reddenda ait, vt dicitur in l. ſi quis nec cauſam. §. fin. Si cert. petat. Superiora autem vera intelligit Bartolus, ſi dominus rerũ earum ignoratur, aliàs dominij noſtri non efficiuntur, ſed à domino vendicari poſſunt. l. hoc amplius. §. de ijs. de Damn. infecto. Cuius intuitu Io. Petr. de Ferrarijs in ſua Praxi, in libello Action. confeſſor. in verbo *Seruitus*. nu. 14. ſe conſultum reſpondiſſe ait; Molendinum impetu fluminis delatum, infixumq; alieno ſolo à domino potuiſſe vendicari, præſtita cautione de damno præterito, & futuro.

¶Ego ſanè Bartolo aſſentiri vſquequaque nequeo: rectè autem ita hac in re poſſe ſtatuĩ crediderim iuxta diſtinctionem, quam aliàs ipſemet Bart. tradidit in l. rem quæ nobis. nu. 4. vbi cæt. de Acquir. poſſeſſ.

Si quæritur † de ijs, quæ nunquam fuerunt in dominio alicuius, & quæ naturaliter flumen ſecum trahere conſueuit, vti de arena aurea Tagi Luſitaniæ, & Pactoli Lydiæ fluuiorum. vnde Iuuenalis. 1

Quod Tagus, & rutila Pactolus voluit arena.

Qualis fuit fluuius ille; de quo aliàs interrogatus reſpondit Paul. de Caſtro. in conſ. 353. lib. 1.

Si quęreretur de incremento gemiferi Gangis, vel Acceſini, de quib. Plin. lib. 33. cap. 13. ſi talia prædio noſtro adiecta ſint: Bartolo aſſentior, ea noſtra fieri iure alluuionis, nec alterius inuentoris, occupatoriſve eſſe, ullo modo poſſe. Vt etſi fortè gemma † alterius fuiſſe, poſtea probaretur, nihilominus dominus fundi, cui adiecta eſſet, poſſit ſe tueri triennali vſucapione, adiecta cauſa tituli pro ſuo ab alluuionis iure procedentis. vt dicitur in l. 2. Pro ſuo. adiecta Glo. in verbo *Noſtra*. 2

Nec obſtat ſuperioribus, gemmas, lapillos, & margaritas in litore maris inuentas fieri occupantis. l. item lapilli. de Rer. diuiſ. l. 1. in prin. de Acquir. poſſeſſ. quoniam † (& hæc ratio potior eſt, quàm ea Bartoli) litorum communis eſt vſus, proprietas verò nullius. §. litorum. Inſtitut. de Rer. diuiſ. & ideo in mari non agnoſcitur ius alluuionis, vnde inſula in eo nata fit occupantis. l. adeo. §. præterea. de Acquir. rer. dom. Riparum verò vſus eſt publicus, ſed proprietas vicinorum l. riparum. de Rer. diuiſ. qua de cauſa arbores quoque in eiſdem natæ eorundem ſunt, vt ibi dicitur. Vnde æquum, & iuſtum eſt, quod 3

meo

meo à flumine adijcitur, meum esse. Vel dicam generalius; quoniam in mari non agnoscitur ius alluuionis, quod in fluminibus sibi locum vendicat, vt supra diximus in cap. 2. nu. 10.

4 ¶Si verò res, † quæ deferuntur, eius sunt generis, vt vel ex natura, vel artificio non fluminũ accessiones esse, sed in bonis iam alterius extare intelligantur; natura, vt arbores violentiore fluminum irruptione radicitus euulsæ; artificio, vt pecunia, annuli, trabes, arma, & quæcunque alia specificata, quæ vt primùm à quouis in speciem aliquam sunt producta, eius statim sunt. l. adeo. §. cum quis. de Acquir. rer. dom. Si hæc, inquam, & similia à flumine prædio nostro adiecta fuerint, nec nostra iure alluuionis effici; nec alterius inuentoris, & occupantis arbi-

5 tror. Aut enim quis sit dominus, † certũ est; & ille poterit vendicare, vt dicitur in l. hoc amplius. §. de ijs. de Dam. inf. in l. si quis nec causam. in fi. Si cer. pet. quod & Bartolo, & Baldo placuisse superius dictum est.

6 Aut ignoratur: & tum neque † iure alluuionis, neque etiam vti bona vacantia occupare licitum est. Non acquiri iure alluuionis, vt credam, hac potissimùm ratione adducor. Si quando certus est dominus rerum delatarum, eæ nobis non acquiruntur iure alluuionis, sed domino competit ius vendicandi, vt proximè dixi: cur quando ignoratur,

7 in eis hoc ius alluuionis agnoscimus: cum ab hac vel sciẽtia, † vel ignorantia domini non pendeat ius, vel acquirendi, vel non acquirendi per alluuionem? indifferenter enim nobis hoc iure incrementa cætera quæruntur. cuius rei argumento sit, quod inquit Caius in eo. §. præterea. Crustam agri tui, si longiori tempore hæserit fundo meo, vt illic arbores radices egerint; ex eo tempore fundo meo acquisitam esse. & hoc incrementum iure alluuionis acquirimus, vt in principio subsequentis capitis dicam. nihil igitur alluuionis effectum remoratur scientia, vel ignorantia, cuius sit res delata. Adde præterea, si crusta, quæ est incrementum terreum, indistinctè, & illico nobis non acquiritur; multò minus superiora nobis acquiri, dicendum venit.

Nec minus licet occupare vti bona vacantia, seu pro derelictis habita. Quoniam in primis omnes scire debent, quod suum non est, ad alium omnibus modis pertinere; vt sanctè censuit Iustinianus in l. fin.

8 C. Vnde vi, & huiuscemodi rerum † vsurpatores tanquam fures, & prædones notat. ita quoque Vlpianus, & perbellè in l. falsus. §. qui alienam de Furtis. quem audiamus quæso. *Qui alienum quid iacens*, inquit, *in terra lucrifaciendi causa sustulit, furti obstringitur. Siue scit, cuius sit, siue ignorauit. nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cuius sit ignoret.* Si hæc in foro fori, quid erit in foro poli? Ait Augustinus in c. si quid inuenisti.

14.q.5. *Quod inuenisti, & non reddidisti, rapuisti*. idem & Hieronymus in c. multi. ead. q. *Multi*, inquit, *sine peccato putant esse, si alienum quod inuenerint, teneant. & dicunt Deus mihi dedit, cui habeo reddere? discant hoc peccatum simile esse rapinæ, si quis inuenta non reddat*. Hucusque Hieronymus. Ea autem excusatio non est admittenda, si quis dicat se rem pro derelicto habitam capere: ius namque non præsumit, quicquam haberi pro derelicto, nisi probetur; vel aliàs † ex iactus qualitate, aut aliter de voluntate domini appareat. l. qua ratione. §. fin. de Acquir. rer. dom. vti per temporis diuturnitatem, vt inquit Odofr. in l. quæcunque. in fi. eod. pro quo est text. in l. si finita. §. non autem statim. de Dam. inf. Et ideo quæ de rheda currente non intelligentibus dominis cadunt, pro derelictis haberi non dicuntur. §. fi. Institut. de Rer. diuis. & de rebus ui fluminis delatis hoc ius statuit Franciscus de Sartiano post longam disceptationem, & ita Federico de Senis eum consulenti respondit. vt uidere est ex cons. 107. inter consilia Federici. vbi nec contrariã consuetudinem valere contendit. & hoc etiam placuit Ang. de Clauasio in summa. in verbo *Inuenta*. in prin.

9

Aut igitur res huiuscemodi vi fluminis allatæ nulli acquirentur, sed eius, cuius fuerant permanebunt: aut si debent acquiri, id non continget ex alluuionis iure. vt, licèt solo cohæreant, & infixæ sint: non ideò tamen fundi dominus eas consequatur; sed inuentoris fient, quisquis ille fuerit: si pro derelicto sint, † vel præsumantur habitæ à vero domino. De his enim rebus idem iudicandum arbitror, prout de repertis; cum casu vtrunque fiat. & eorum, quæ fortuito contingunt par esse iudicium debeat, iuxta l. qui fundum. §. fundi. de Contrahen. empt.

10

¶Pro derelicto † autem (ne quid omittatur) tum haberi res fluminis impetu ablatas censuit Feder. in eo consil. 107. si neque per se, neque per alios, quàm primùm perquirit dominus. quoniam constitutio l. qui leuandæ. Ad leg. Rhod. videtur necessitatem imponere res inquirendi in mari proiectas naufragij vitandi causa. vnde ex negligentia in perquirendo elidirur ea iuris præsumptio, qua nemo creditur rem pro derelicto habere, vt ait Ang. de Clauas. vbi supra. Iustius fortè erit hoc ex alio, rei scilicet qualitate, æstimatione, aut temporis diuturnitate coarguere. Tutius sanè futurum censeo, si per iteratas proclamationes, libellisq; palàm per conuicina loca propositis, se rem inuenisse significabitur: & ei fore redditurum, qui desideraueris, vt inquit Vlpianus in l. falsus. §. qui alienum. de Furtis. simulq; edicatur, vt intra diē judicis arbitrio statuendam, res delatas exportandas curet, quisquis est dominus. alioquin fore, vt eas pro derelictis haberi iubeat Prætor: qui

11

& aliâs solet ei interdictum reddere, in cuius ædes rudera decidissent; per quod vicinus compellitur, aut tollere, aut totas ædes pro derelicto habere. l. prætor ait. in fi. de Damn. inf. His adde, quod in proposito differit Bart. Alex. & Iaf. in l. rem quæ nobis. de Acquir. possess. ex causa enim quisque cogitur agere; quod annot. in l. 1. C. Vt nemo inuitus agere, &c. quæ in hac specie plerunque agnoscitur, cum res delatæ agro nostro officiunt. & hanc Praxim nos docemur in consi. 107. Fed. de Senis, quam probat Alex. in l. hoc amplius. §. de his. in princ. de Damn. inf. & placuit Imolæ, & Aretino in l. interdum. §. ex naufragio. de Acq. poss.

Si quis igitur res alienas vi fluminis delatas ex his pro derelicto habitas putans occupauerit, saltem tutus erit vsucapione. l. 1. Pro derelicto: vt inquit Bart. in eo. §. qui alienum. nu. 4. & Abb. in c. cum dilecti. nu. 12. de Furtis. quorum tamen est sententia, inuentoris conscientiæ magis consultum fore, si post diligentem inquisitionem dominus adhuc ignoratur: res delatas vendendas curauerit, pretiumque inde redactum in pios vsus erogarit. arg. Aut. omnes peregrini. C. Comm. de success. c. quia frustra. & c. cum tu. de Vsur. quibus addendus est Bald. in l. 1. nu. 5. de Rer. diuis.

12

Ex his itaque constare censeo, ea tantummodo nobis alluuionis iure acquiri, quæ naturaliter flumen secum trahere consueuit; in cæteris obseruandum fore, quod proxime comprobauimus.

ARGVMENTVM.

¶Quando crusta, & arbores alieni prædij vi fluminis delatæ nobis alluuionis iure quærantur.

SVMMAE.

1 *Crusta prædij alieni in fundum meum delata alluuionis iure censetur acquisita, vbi primum vnitatem cum terra mea fecerit.*
2 *Nec vlla amplius actione repeti potest à priore domino, siue agat directa, vtilíue rei vendicatione, siue in factum actione ad interesse.*
3 *Crusta quando vnitatem in alieno fundo fecisse dicatur.*
4 *Crusta ante factam vnitatem, nec sui ipsius nec fundi, in quem delata est, causam, dominiúmue mutat.*
5 *Crustam delatam illico possidere desinit dominus antiquus.*
6 *Arbor aliena in alterius fundum hominis facto translata, etiam si radices ibi egerit, vtili rei vendicatione potest repeti, & nu. 8.*
7 *Arbor aliena vi fluminis, aliòue casu fortuito in alterius agrum si delata*

fuerit, contra mentem Accur. nec rei vendicatio directa, vel vtilis, nec actio in factum ad interesse competit, si illic radices egent, & nu. 9.

8 *Explanatio l. item Pomponius. §. de arbore. de Rei vendic.*

10 *Arbor vi fluminis in agrum meum delata, mea efficitur alluuionis iure, si radices egerit, excluso penitus antiquo domino.*

11 *Fundo meo adiectum dicitur, quod adiacenti ripæ adijcitur.*

12 *Crustæ, & arboris delatæ dominium illico nobis acquiritur, si earum dominus ignoretur.*

CAPVT VII.

TRACTANDVM consequenter venit, si vis fluminis crustam ex agro alterius detractam meo prædio appulerit; proprietatis ne causa ex alluuionis iure mutetur. Generale est, ea, quæ vi fluminum importata sunt, condici, & repeti posse ab eorum dominis, vt placuit Vlpiano in l. si quis nec causam. in fi. Si cer. pet. de crusta tamen distinguitur apud Caium in l. adeo. §. præterea. vers. quod si vis. de Acq. rer. dom. cuius verba repetuntur in. §. præterea. Instit. de Rer. diuis. Prioris enim domini permanere inquit, nisi longiori tempore fundo meo hæserit, arboresq;, quas secum traxerat, in meum fundum radices egerint, ex eo nanque tempore, meo fundo videri acquisitam. hoc idem Alphenus scribit in l. hoc amplius. §. Alphenus. de Dam. infect. si ex fundo tuo (inquit) crusta lapsa sit in fundum meum; ita demum à te vendicari posse, si non coalluerit, nec vnitatem cum terra mea fecerit. Crusta † igitur alieni fundi in meum vi fluminis delata, vbi vnitatem cum terra mea fecerit, mea statim efficitur, iure scilicet alluuionis. de quo Caium verisimile est, intellexisse in eo. §. præterea. vers. quod si vis. quoniam hæc de crusta quæstio inter res, quæ iure alluuionis quæruntur, ab eo constituitur. Vrget præterea dictio *Quòd si*: quam constat esse aduersatiuam, & ideo secundùm Alex. in cons. 99. nu. 9. lib. 7. cadit inter res eiusdem qualitatis, & generis. Perinde est ergo, ac si dixisset Caius, quod per alluuionem, idest paulatim adijcitur prædio nostro, statim & ipso iure nobis acquiritur; secus est in crusta delata, quæ ita dictante alluuionis iure, tum demum mihi acquiritur, cum vnitatem cum terra mea fecerit, quibus optimè conueniunt ea verba *videtur fundo meo acquisita esse*: vnde arguitur hanc esse acquisitionem realem. quod diximus superius in 2. & 5. Capite, contingere in cæteris incrementis fundo meo ex alluuionis iure quæsitis. 1

¶ Crusta † autem, quæ coalluerit, & vnitatem cum terra mea fecerit, nulla amplius actione repeti potest à priore domino, siue directa, siue 2

vtili rei vendicatione, siue agat actione in factum ad interesse, vt inquit Bart. in Tyb. Par. 1. in fi. ob illum. §. Alphenus. ibi. *ita demum*, & rectè; nam cum ipso fundo videtur confundi: sicut dicitur de pecunia mista cum pecunia. in l. si alieni. de Solut. vt alibi dixit Bar. in ead. parte prima, ver. *Adiecit*. in fi.

3 ¶ Vnitatem † porro factã arguitur, vel ex quo arbores, quas secum traxerat, in meum fundum radices egerint: vt inquit Caius. vel ex totidem, tantoq; tempore, si fortè arboribus nuda fuerit, quo radices egissent, vt interpretatur Bart. in Tyb. Par. 1. in fi. vel in summa, cum primùm vnitatem fecisse aliunde poterit cognosci. hæc enim fuit Alpheni mens, vt colligitur ab illis verbis; *Si non coalluerit, & vnitatem cum terra mea fecerit*, vti si fortè imbribus crusta illa dissoluta sit; vt in eodem loco inquit Bart. & in hac disquisitione stabimus rusticorum iudicio, quorum ea est peritia. vt ait Glos. in. §. præterea ad fi. Instit. de Rer. diu. iuxta placitum Imperatoris in. §. quod autem dictum est. Authent. de Non alien. aut permut.

4 ¶ Enimuerò crusta † sicut sui ipsius causam, & dominium non mutat ante factam vnitatem; ita nec fundi pariter, cui superinducta est. eiusdem nãque domini permanet, non minus quàm stercorato agro, vt placuit Labeoni in l. cum vsumfructum. in fi. Quib. mo. vsusfr. ami. Licèt autem proprietas crustæ delatæ statim non amittatur; dominum

5 † tamen ex hoc eam desinere possidere inquit Gloss. in ea. l. hoc amplius. §. de ijs. in verbo *Interdictum*, arg. l. qui vniuersas. §. item quod à mari. de Acqu. poss. adde l. 3. §. labeo Eod. Et ex eo tempore arbitror incipere possidere dominum fundi, cui superimposita est, arg. eius l. cũ vsumfructum. quod videtur voluisse Bal. in l. 1. nu. 39. C. de Confess. Huc facit, quod dictum fuit, dari priori domino crustæ delatæ vendicationem, si vnitatem non fecit. ergo non possidet ille, sed is, in cuius solum delata est, nam rei vendicatio non datur possessori, sed domino contra possessorem. l. qui petitorio. de Rei vendic.

¶ De arboribus vi fluminum delatis, quę in alieno solo coalluerint, difficilior est disceptatio; an antiqui domini omne ius ex eo pereat, prout de crusta statuimus. Accursius, quoties de re hac verba façere contigit, vbique eius fuit opinionis; vt, siue facto hominis, vel casu aliquo arbor translata foret; nulla quidem rei vendicatio directa, aut vtilis priori domino competat: quia (vt ille ait) alterius facta est arbor, alterius terræ alimento. l. sed si ex meis. §. arbor. de Acq. rer. dom. & ratio non permittit, vt alterius arbor esse intelligatur, quàm cuius in fundo radices egerit. l. adeo. §. si. Eod. §. si Titius. in fi. Instit. de Rer. diui. & ideo

expressim Alphenus ait, arborem, quæ in meum agrum translata cũ terra mea coalluit, à domino priore vendicari nõ posse.l. hoc amplius. §.de ijs.de Dam.inf. Nõ obstat l.idem Pomponius.§. de arbore. de Rei vendic.etsi Varus enim, & Nerua dabant vtilem rei vendicationem, hodie tamen non damus, inquit Accurs.in eo.§.de arbore.& in.§. præterea.Instit.de Rer.diuis.

In subsidium tamen actionem in factum ad interesse, dãdam priori domino, censuit vbique Accursius, licèt nulla rei vendicatio concedatur: ad instar ferruminatorum, quibus sata,& plantata comparat, in l.in rem. §. item quæcunque. de Rei vendic. Namque si statuæ alicuius ferruminatione iniunctum sit brachium, vnitate id maioris partis consumitur, & plenè transfertur dominium, & quòd semel alienum factum est, etiam si inde abruptum sit, ad priorem dominum redire non potest: quia ferruminatio per eandem materiam facit confusionem: vt placet Cassio in ipsa l.in rem. §. item quæcunque. de Rei vendic. Hoc autem idem de arbore translata, & secundo eruta dicitur in ea.l. sed si ex meis. §. arbor. Ab hac ergo similitudine arguitur, sicut actio in factum conceditur pro ferruminatis ad interesse, ne quis indebitè alterius facto grauetur, eandem fore concedendam pro arboribus translatis; & ita concludit Gloss. vbiq; locorum illorum, & præsertim in §. si Titius. Institut. de Rer. diuis. cuius decisionem approbari consueuisse ait ibi Faber, & communiter receptam Portius. & Bar. probat in Tyb. Part. 1.in fin.

¶ Quicquid sit, ego illis penitus assentiri nequeo, sed rectè ita distingui posse, existimarim. Si facto hominis translata sit arbor, † vtilem rei vendicationem dandam censeo, si in alieno solo radices egerit: nam si nondum ibi coalluit, eius permanet, cuius fuerat. & tum actio in rem directa competit.§.si Titius.Instit.de Rer.diuis.& hoc expressè placuit Varo, & Neruæ, qui in hac specie vtilem in rem dabant domino; quod habetur in ea.l.idem Pomponius.§. de arbore; ne cuiquam licitũ sit nostra sine facto nostro nobis auferre. cõtra l. id quod. de Reg. iur. 6

Quòd si vis cessat humana, arborq; † in solo meo radices egerit, vel impetu fluminis translata, aliòue casu; tum nec rei vendicationem directam, siue vtilem, nec in factum actionem ad æstimationem, priori domino dandam arbitramur. quod & antiquioribus quibusdam placuisse refert Accursius in ea.l. idem Pomponius.§. de arbore; & ita distinxisse Paulum de Castro in l.hoc amplius.§.de ijs.de Dam.infec. ait ibi Alex.nu.3.licèt in nostro Codice hæc non inuenerimus. & hæc di- 7

stinctio visa est satis rationabilis Fabro,& post eum Aret.num.6.in.§. praeterea.Instit.de Rer.diuis. & probat illic Ias. ad Porcium. quorum vtrunque Fabrum scilicet,& Aretinum, certum erit cuique non oscitanter eos legenti,in hanc venisse sententiam; licet subinferant contrariam opinionem ibi ab Accursio annotatam fuisse Azonis, eamq; satis aequam. De Aretino equidem certiores esse debemus per ea, quae in.§.si Titius. Institut. Eodem. contra Accurs. protulit ad intellectum eius.§.de arbore.

Moueor ego in primis,quòd percurrenti leges de hac re tractantes, quoties de arboris translatione sine hominis facto, agitur; indistinctè eius fieri sancitum constitit, in cuius solo coalluerint, & radices egerint. Sic Alphenus statuit in eo.§.de ijs.atque absolutè vendicationem arboris,priori domino prohibuit. Ita Caius in eo.§.praeterea.ibi. *ex eo tempore,&c.*

Cum autem de translatione arboris, per humanam operationem, actum est, vtilem † in rem actionem priori domino dandam censeri, annotauimus. & ita dedisse Varum,& Neruam refert Vlpianus in eo. §.de arbore. vt dixi. Quorum sententiam licèt ab Vlpiano approbatam non esse putet ibi Accur.Martinumq; contrarium sentientem reprehendat: ego tamen iuxta placitum Aretini in.§. si Titius. Instit. de Rer.diuis.& Martinum rectè sensisse,& Vari,Neruaeq; opinionem ius facere arbitror:alias necessum est fateri illum. §. imperfectum sensum habere;vt ait Aretinus: quoniam cum reprobatos Varum,& Neruam ibi volumus,reprehensionem tamen non legimus,contra.l.2.C. de Veteri iure enucl. Si praeterea nihil, quod in desuetudinem abijsset, ex libris antiquis in Pandectas inferri voluit Iustinianus, vt habetur in l.1. §.sed & si.C.eod.cur vtilem in rem pro arbore,quae facto alterius translata alieno solo coalluit,dandam fore domino priori negabimus;si in volumine Pandectarum Varum, & Neruam dedisse legimus? danda est ergo,& iuxta praedicta intelligenda.l.sed si ex meis.§.arbor.de Acq. rer.dom.quicquid dixerit Accursius.

Sed esto, arboris translatae per hominis operationem, omnem penitus negari vendicationem, cum radices egerit, ad instar ferruminatorum: & ne quis consecutus videatur hinc ansam alterius lucrifaciendi; quaeso demus,ideo competere actionem in factum priori domino ad interesse,arg.l.in rem.§.item quaecunque.de Rei vendic.detur hoc; nihil enim ad rem nostram pertinet: Non continuò † tamen idem dicendum sequitur,cum arbor nulla hominis operatione interueniente in agro alieno radices agit. diuersae enim sunt species:nec ratio.l.in rē.

ne

ne alterius facto alteri fiat iniuria, vt inquiunt illic Odofr. & Alber, in vtroque casu pariter militat, vt vnicuique patet. Nec legis in hac specie prouisio reprehendi potest: seruat enim integrum ius priori domino, quousque cum alieno fundo coalluit arbos; qui autem patitur per desidiam in alterius solo radices agere, sibi imputet, vulg.l. quod quis. de Reg. iur. Odit enim lex negligentes, & reru suarum cōtemptores: hinc vsuscapiones, hinc præscriptiones. Verum sit igitur ex prædictis, arbores, quæ in nostrum fortuito casu transeunt, nostras omnino fieri, ex quo radices egerint in nostro solo.

¶Sed si fortè placet, separare has fortuitas translationes; & de illa tantùm agere, quæ ad præsens institutum pertinet; si fluminis scilicet impetu arbores transferuntur: proculdubio Accursium, & cęteros eius sectatores malè sensisse audacter teneo; & vim fluminum, & alluuionum ignorasse. Si potest enim flumen vnico impetu latifundia nobis adimere, & addere: de arbusculis † postea dubitamus idem ius constituere? Quid? si crustam alicui prædij vi fluminis fundo meo superinductam, ex eo tempore (ait Caius) videtur, fundo meo acquisitam esse; cum arbores, quas secum traxerat, in eum radices egerint; quod habetur in ea.l.adeo.§.præterea.vers.quod si vis, tum enim vnitatem fecisse cum prædio meo videtur; & ideo amplius vendicari non posse à priori domino Alphenus ait in ea l.hoc amplius.§.Alphenus. nec directa, nec vtili in rem actione, neq; etiam actione in factum ad interesse agi posse, testatur Bartolus in Tyb.Par.1.in fi. Quid, inquam, si crusta ipsa omnino mea efficitur: qua ratione diuersum possumus statuere de arboribus crustæ solo infixis, simul delatis? inconueniens est equidem, eandem rem diuerso iure censeri, vt notum est; sed arborum, quæ in fundo continentur, non esse separatum corpus à fundo, ait Pomponius in l.Quintus. de Act. emp. ergo & crustam, & ei infixas arbores iure alluuionis perfectè nobis acquiri, oportet dicere. 10

¶Fundo † autem meo superpositam crustam tum censeo, etiamsi vicinæ ripæ, vel locis, quæ ripæ cedunt, vt in l.pen. de Flumin. sit super inducta: vtroque enim casu fundo mèo adiectam videri scribit Bart. eo loci Tyber. Neque enim necesse est, vt, quæ diximus, locū habeant; super prædio ipso culto crustam esse allatam à flumine. satis est illi adiungi, & iuxta poni. quod suadetur ex verbo *appulerit*: in eo.§.præterea. videtur nanque pars huiusmodi impetu fluminis auulsa, tanquam ratis fundo appellere. & hoc placuit etiam Bartolo in Tyber. Par.1. in verbis, *& prædio meo, &c.* 11

¶Postremò illud vnum scias, quæ hucusque agitata sunt, locum sibi

vendicare; si crustæ,& arborum dominus certus sit: quòd si ignotus; † ab initio vsque delationis fundo, cui adijciuntur, illico acquisitas esse censeri, inquit Bart. in Tyb. Par. 1. in verbis *Partem aliquam*. nec mirum est, omnia enim incrementa alluuionum terrea sunt: quæ ideo statim nobis acquiruntur; quoniam, cuius sint, ignoratur. vt rursus ait idem Bart. in eadem parte, verbo *Adiecit*. in qua re nihil certum constituo, cum indistincta sit Caij superior determinatio.

ARGVMENTVM.

¶De incremento non vi fluminis, sed casu alio fortuito contingente.

SVMMAE.

1 *Incrementa fluuiatica, quæ vel vi fluminis, vel alio casu contingunt vicinis pariter possessoribus acquiruntur.*
2 *Incrementum contingens casu fortuito, iure quasi alluuionis acquiri, dicitur.*
3 *Incrementum aluei paulatim relicti non est propriè alluuio.*

CAPVT VIII.

OPPORTVNE quæri potest. Quid si incrementum contingat non per aquarum vim, sed fortuito alio casu; vti si per terræmotum mons quispiam flumini imminens subito casu flumen aliò auerterit: Aut etiam si incrementum lapidicinæ marmoreæ flumen à ripa repelleret: quales in Asia esse, & in Gallia constat ex Papiniano in l. diuortio. §. si vir in fundo. Solut. matrim. vbi lapis sæpius cæsus perpetuò renascitur: & in monte quodam Pisanæ regionis euidenter apparere testatur Bartolus in Tyb. Part. 1. in verbo *Flumen.* nu. 7. qui illius exempli forte occasione ductus, eo loci hanc excitauit quæstionem. Quid, inquam, viciniśne, dici iure potest, huiuscemodi incrementum acquiri? Placet Bartolo; cum accessiones quæcunque, quæ nullo hominis artificio, sed sola Diuina natura cooperante contingunt, vno eodemq; iure censeantur, vt in l. item si fundi. §. 1. de Vsu fru. & in l. qui fundum. §. fundi. de Contrah. empt. incrementa † fluuiatica, cum non minus fortuita sint, quæ vi fluminis, quàm alia quauis earum (de quibus dicimus) contingunt: vt hæc pariter, sicut illa, vicinis possessoribus acquirantur. Sed si paulatim incrementum fiat, vti si latenter lapidicina excreuerit; id veniat nomine alluuionis: si contra euidenter fiat; tanquam aluei incrementum petatur.

Bartolo sicut in superioribus assentior, vt ea incrementa vicinis ac-

quirantur iure † autem quasi alluuionis (hic enim agnosci non potest ius verum alluuionis, cum nulla uis fluminis interueniat.) ita in hoc vltimo non probo; quoniam aluei † relicti appellatione pariter venit, quod simpliciter relictum est, si paulatim fit à flumine derelictum, atque illud quod euidenter dimittitur. de qua re videas superius in cap. 3. latiore autem significatu alluuio dici potest, vt ibi diximus.

2

3

ARGVMENTVM.

¶ De incremento opere manufacto contingente; an ne hoc iuri alluuionis subiaceat.

SVMMAE.

1 *Incrementum opere manufacto contingens iure quasi alluuionis vicinis semper possessoribus acquiritur perinde, ac si vi fluminis extitisset.*

2 *Insulæ, quæ diuina potestate, siue hominis facto prodita est, proximorum pariter efficitur.*

3 *Explanatio l. pen. §. fin. de Acquir. rer. dom.*

4 *Aedificatum in alueo fluminis proprietate vicinorum est, non secus, ac insula in flumine nata.*

5 *Aedificatum in flumine iuris est publici, si non supereminet, sed sub aquis deliteat, & distinctionis ratio affertur. nu. 6.*

CAPVT IX.

BELLISSIME hic tractari potest de eo incremento, quod non aquæ vi naturali, aut casu alio, sed opere manufacto fieret. Vt si dum operibus, munitionibusq; ciuitas sepitur, flumen structura repulsum paululum auertatur. vt, alter iam agitur annus, licet videre in Parma flumine, quod per eiusdem nominis ciuitatem delabitur, quæ mihi patria est. Aut si flumen alio Principis iussu, & ære penitus auertatur. quod superioribus annis vidimus in Crustumio prope Regium Lepidi delabente. Vel si paludes publicæ aquis deriuatis culturæ gratia exsiccarentur. An ne alueus humano artificio derelictus eodem iure alluuionis censeatur perinde, ac si vi flu minis naturali foret dimissus?

Ex facto aliàs sæpè tractatum fuit, extantq; grauissimorum virorũ responsa, & in celeberrimis subsellijs Romana, & Florentina Rota superinde è regione ferè pronunciatum legimus. Quò exactius igitur, & clarius tota res hæc pateat, iurisperitorum dissidentium sententias in ordinem breuiter disponere, mihi statutum est; & ad regulæ nor-

mam cum ampliationibus (vt vocant) & exceptionibus redigere: hoc enim modo, adhibita distinctionis medela, eas inuicem me concilia-turum spero.

1 ¶Regula sit igitur ea generalis, vt incrementum † insularum, & aluei, siue id vi fluminis naturali contingat; siue opere manufacto, vicinis possessoribus semper acquiratur. vt in dubio pro regula hoc habendum dicit Berous in cons. 140. nu. 18. 19. & nu. 38. lib. 3. licet propriè non possit dici, iure alluuionis acquiri; quoniã (vt & in superiori capite dixi) vi fluminis hoc incrementũ non cõtingit. Iure autẽ quasi alluuionis acquiri dicemus. Vicinis igitur possessoribus gñter acquiratur omne incremẽtum: qm̃ indistinctè ait Caius in l. adeo. §. insula. & §. quod si toto. de Acq. rer. dom. insulã, & alueũ proximis quibusque acquiri: & generaliter etiam inquit Pomponius in l. ergo. §. Celsus. eod. *Cum exsiccatus est alueus, fit proximorum; quia iam populus eo non vtitur.* & paulò pòst idem Pomponius in. §. tribus modis. *Natura*, inquit, *fluminis hæc est, vt cursu suo mutato, aluei causam mutet.* quod est, vt mutato qualitercunque cursu, vicinis possessoribus acquiratur alueus relictus. Cum ergo decisio adeo sit generalis ad vtrunque casum, quòd alueus exsiccatus proximorum fit; rationes autem magis quoque generales, quia iam populus eo non vtitur; & quia mutato generaliter cursu suo, aluei causa mutatur: quis potest negare vtrunque casum sub illa decisione non comprehendi; sit ve fluminis vi, siue opere manufacto alueus exsiccatus, & eius causa mutata? Nec enim est nostrum, ex generali legũ sermone casus excipere, sed generaliter debet à nobis intelligi, & in infinitum vsque. l. 1. §. generaliter. de Leg. præstan. l. si finita. §. de cæteris. de Damn. infect. cum sexcentum simil.

2 ¶Quod autem de alueo dictum est, idem † de insula dici oportet, & è conuerso. nam in proposita specie, nihil scilicet interesse, an incrementũ vi fluminis, vel opere manufacto contingat, quin pariter proximorum fiat: clarè voluisse videtur Labeo, in l. pen. §. fi. de Acqu. rer. dom. Ait enim. *Si id, quod in publico natum, aut ædificatum est; publicum est: insula quoque, quæ in publico nata est, publicà esse debet.* quorum verborum intuitu Bart. in Tyb. Par. 2. in verbo *in flumine nata.* in fin. Insulam, inquit, quæ diuina potestate, siue hominis manu, & opere facta fuerit; eodem iure censeri oportebit, vt proximorum fiat.

3 Et quamuis Imolæ, Romano, Cumanoq́;, ac Castrensi in l. fluminum. de Dam. infect. visum fuerit, per eum † textum Bartoli intentionem vsquequaque non probari, ac alijs quibusdam, vt Ripæ in l. quominus nu. 77. de Flum. Quoniam (vt inquit ille) licet ibi statuat Labeo,

id, quod in publico natum, aut ædificatum est, publicum esse: non inde tamen licet inferre; si vsu est publicum, ergo & proprietate priuatorum, vt dicitur de insula in ea.l.pen.§.si qua insula. nam inferre ab vsu publico ad proprietatem priuatorum, extraneum videtur: cum nihil inter ea commune sit, vt ait Vlpianus in l.naturaliter.§.1.de Acq.poss.

Hæc tamen nec Bartolo, nec nobis negotium facessunt, si enim de ædificato, & nato in publico fit æquiparatio, & idem iudicium generale, & indistinctum à Labeone, vt vtrunque publicum sit; & ideo insula in flumine publico nata publica erit: Quoniam autem insula, quo ad vsum quidem publica est, quo ad proprietatem verò priuata, & proximorum fit, vt in eo.§.si qua insula: consequens est ergo, idem de ædificato decernere, vt vsu quidem publicum sit, proprietate verò priuatum, vt hoc modo ad Bart. intentionem inducit legem illam Ias. in ea.l.quominus.nu. 75. licèt dura quantillum inductio ei videatur. Ego tamen eum omnino fuisse Labeonis sensum arbitror. cum tota ea lege ea tractatio præcipua sit, vt sciatur, quatenus, quid existens in flumine publico, priuatum sit, aut publicum: vt inde sciatur, quatenus nobis acquiratur, vel non acquiratur. Cum ergo natum, & ædificatum æquiparentur illic, & in eadem oratione sint, sub eadem etiam iuris dispositione esse intelligamus. vt, sicuti natum in publico, & ædificatum vsu publicum est, ita & proprietate priuatum sit vtrunque. quem sensum illic habuisse Glossam quoque facilè conijcimus, dum refert aliàs in eo. §.fi.hoc modo legi. *sicut id quod in publico natum, aut ædificatum, publicum non est.* ratione scilicet proprietatis. prout sic se habuisse codicem Alberici, ex ipsomet constat in eius. §. fin. interpretatione. quam Glos. ad hoc annotauit Socin. iun. in cons. 28. nu. 31. lib. 4.

Nec me mouet etiam, quod ait Socin. in eo cons. 28. nu. 30. respectu saltem aluei nihil eum. §. fin. ad rem facere: quia ideo ædificatum in flumine fit proximorum; quoniam solo cedit iuxta regulam. l. adeo. §. cum in suo. de Acquir. rer. dom. Sed cum alueus exsiccatur, tum nihil fit, quod solo cohæreat. ab ædificato ergo ad hunc casum non rectè infertur.

His etenim ita occurritur. Si id concedit in insula per hominis artificium contingente, cur negat in alueo? nec enim verum est ideo ædificatum in fluminis alueo fieri vicinorum, quia solo cedat. Imò, quia solo non cedit, est vicinorum. si enim solo cederet, esset & vsu, & proprietate publici iuris, sicut alueus. quod videtur voluisse Gloss. 3. in l. fluminum. de Dam. inf. vt omne scilicet in flumine ædificatum indistinctè publicum sit, cum solo publico cedat. Ratio itaque Soci-

ni

ni ex his deficit, qua cessante idem dicas in alueo, quod ille fatetur in insula. Quando autem solo cedat, quod in alueo inædificatum sit, paulò pòst dicam.

Per eum igitur textum.l.pen.§.fi. constat, nihil interesse, an incrementum insulæ, vel aluei contingat vi fluminis, vel opere manufacto. per quem ita olim in Rota Rom.decisum legimus apud Cassod. in decis. 1.nu.6.sub tit.de Acq.rer. dom. quo loci illum.§. mirum in modũ ad hoc extollit ipse Cassodorus.

¶Ex superioribus porro inferre possumus; quodcunque in alueo fluminis publici ædificauero † proprietate meum esse futurum, quatenus meo prædio vicinius fuerit: quod enim contrariæ ripæ propius accesserit, ab ea parte accolentibus acquiretur, argumẽto insulæ ibidem in flumine natæ.vt inquit per eum.§.fin.Bart.in l.quominus.nu.18.& in fi.de Flumin.quem approbant Castren.Rom.& Imo.in ea l. fluminum.& Soci.iun.in eo consi.28.nu.31. Non obstat, quod habetur in ea l.fluminum,& in Gloss.illic; vbi dicitur, imò ædificium in alueo publico factum non priuatorum fieri, sed solo cedere, & eius fore iuris, cuius est alueus, publici scilicet: Bartolus namque ad eam legem, eleganter,& notabiliter (vt eo loci inquiunt Roman. & Imola) scrupulũ hunc euellit, distinguendo † an ædificium aquæ supereemineat, & tum non cedat solo, argumento, & auctoritate eius §. fin. An verò aqua adopertum delitescat, & eo casu solo cedat. quod & Angelo in ea. l. fluminum. placuit, nec ibi dissentiunt Rom. & Raphael, licèt apertè non consentiant. Ex quamuis illic Castrensi visa fuerit distinctio hæc diuinationem sapere: nihilominus ratione non caret. vt inquit Corn. in consi. 33. nu. 8. lib. 4. Quoniam alueus fluminis eatenus est publici iuris, quatenus ab aqua fluminis occupatur. l. adeo. §. quòd si toto. de Acquir. rer. dom. Hinc est, si locum, qui aluei fuisset, flumen siccũ reliquerit, & circunfluere cœperit, iuris priuati incipit esse; & iure insulæ proximorum fit.l.ergo.§. tribus modis. ibi *Altero, &c.* Eodem. sic igitur ædificium supereminens fluminis priuati sit iuris, quod aquis verò immergitur, tanquam fluminis, alueiq; portio eodem iure publico censeatur. Sed ad rem.

Sit ergo regulare propter generalem sermonem.l.adeo.§. insula. & §. quod si toto. itemq;.l. ergo. §. Celsus,& §. tribus modis. de Acquir. rer. dom. & propter auctoritatem. l. pen. §. fin. Eod. incrementum aluei, & insulæ proueniens vel vi fluminis sola, vel etiam opere manu facto, pariter proximorum fieri, & eodem iure censeri. & secundùm hæc rectè respondisse dicamus Curt.iun. in consi.250.lib.3.& Albam

in

in conſ. 82. Quæ quoque probat Alciat. in Reſp. 219. nu. 3. hac eadem ratione, quoniam eæ leges non diſtinguunt inter incrementa natura, vel artificio contingentia; imò non eſſe inter hos caſus differentiam, ait ex Gloſſ. not. communiter (vt inquit) approbata in l. idem Põponius. §. de arbore. verbo *tranſlata*. de Rei vendic. de qua re etiam latè ſcribit Caſſod. ſupra allegatus. & de ea Gloſſ. nos paulò antè in cap. vij. abundè diximus.

ARGVMENTVM.

¶ De pluribus huius regulæ extenſionibus, ampliationibùsue.

SVMMAE.

1 *Alueus publicus exſiccatus priuato alicuius ſumptu, & priuata auctoritate, proximioribus nihilominus acquiritur.*

2 *Alueus Principis conceſſu exſiccatus à priuato quopiam, alia tamen intentione, quàm eius lucrifaciendi, vicinis poſſeſſoribus acquiritur.*

3 *Alueus publicus ære, & iuſſu Principis deriuatus, alterius vtilitatis, quàm eius lucrandi gratia, ad vicinos poſſeſſores pertinet.*

4 *Aluei auertendi cauſa, ſi qua alia poteſt prætendi, quàm vt alueum exſiccatum acquirat Princeps, hæc nunquam præſumatur.*

5 *Doctori quantumcunque illuſtri, conſuetudinem extare proponenti, ex communiter recepta opinione non creditur.*

6 *Ripa, & quod ripæ cedit, quacunque intentione, & à quocunque auertatur alueus, vicinis poſſeſſoribus auferri non poteſt, & nu. 8.*

7 *Ripæ appellatione quid, & quouſque in fluminibus contineatur.*

PARAGRAPHVS I.

HVIVS autem regulæ vim extendas; vt procedat, etiam ſi topera, & impenſa graui, longoq; labore alterius, incrementum id contigerit, dummodo ſuopte conſilio, non autẽ decreto, vel auctoritate Principis in publico flumine exſiccando, vel auertendo laborarit. non enim conuenit, vt ille ſuum faciat, quod non iure, aut legitimè operando aſſecutus eſt, arg. l. fin. in fin. C. de Reb. cred. cum licentiam non obtinuerit à Principe, quod fuit neceſſe propter l. 1. C. de Alluu. quod à pleriſque Doctoribus traditur in l. fluminum. de Dam. inf. & placet Caſſodoro in ea deciſ. vnica. nu. 3. & ita reſpondit Socin. iun. in conſ. 28. nu. 31. lib. 4. Nec illi poteſt quicquam ſuffragari eius induſtria, & diligentia, vel ſumptuum ma- 1

gnitu-

gnitudo, quod aliàs proficeret. vt dicitur in l.fi. C.de Alluu. imputandum est enim ipsi, qui in alterius iniuriam, & damnum ea affectauerit, & illis se laboribus subiecerit. vt inquit Alba in eo cons. 82.nu.5. seq; ita fuisse iudicaturum profitetur, nisi impedimento fuisset aduersa valetudo in ea causa, in qua Iudicis prius, postea aduocati partes sortitus fuit.

2 ¶ Iterum amplia, cum priuatus † quis opus facit non animo auertendi flumen, seu alueum acquirendi, sed ripæ muniendæ gratia; quod à Principe concedi solet, vel id etiam licet auctoritate propria, etiam cum modico vicinorum incommodo; si ille de maximo præcauendo agat. l. 1. §. sunt qui putant. vbi Gloss. Ne quid in flum. public. hoc enim casu (vt respondit Nata in cons. 55. lib. 1.) cum præter intentionem alueo relicto flumen aliò auertatur, incrementum illud vicinis acquiri debet perinde, ac si fluminis vi mutatus esset alueus. His adde, quoniam concessio Principis in præiudicium tertij quàm strictissimè interpretari solet. vt in proposito ferè dicitur in l. 2. §. merito. & §. si quis à Principe. Ne quid in loco publ. &c. Quibus igitur vsus aquæ, & fluminis adimitur, ne lucrum saltem aluei relicti per interpretationem adimamus.

3 ¶ Tertio consimilis est causa Principis, qui † præter intentionem alueum fluminis quærendi, flumen quodpiam auertere aggressus fuerit, exigente ita publica vtilitate, etiam si ære proprio id effecerit: quoniam quod communiter omnibus prodest, hoc rei suæ priuatę præferre, Augustissimi est Principis, vt Iustinianus egregiè professus est in l. 1. §. fin. C.de Cadu.toll. Nec est, quod Princeps doleat pecuniæ erogatæ impendio, cum alueum nouum non fecerit ad quærendum antiquum, sed alterius publicæ vtilitatis causa. Vnde impendium suos intentionis effectus peperit. & in his terminis ita iudicatum est in Rota Romana, vt refert Cassod. in ea Decis. vnica. num. præsertim. 2. Tit. de Acquir. rer. dom. & in his terminis intelligunt eam Socin. Nepos in illo cons. 28. nu. 36. lib. 4. & Berous in cons. 140. in fi. lib. 3. Ne in his (vt inquit Socinus) in quibus vtilitati publicæ inseruire professus est, fisci, & vtilitatis priuatæ videatur habuisse rationem: vt aliàs dixit Orthodoxus ille Theodosius in l. 1. post prin. C.de Secund. nupt. Et in

4 dubio † crediderim, talem fuisse Principis animum, fore præsumendum: nam si ita solet Princeps, cum aliquid operis noui instituendũ in publico petitur; ea semper intentione permittere; vt sine iniuria cuiusquam id fiat: Damnum autem pati videtur, qui commodum amittit, quod ex publico consequebatur, quale quale sit. vt habetur

apud Vlp. in l. 2. §. meritò. Ne quid in loco publico, &c. verisimile est, cum alia ingens causa alueum auertendi prætendi potest in Principe, omnino ipsum ab alterius iniuria, & damno puras manus habere voluisse, quale quale fuerit damnum illud. Alueus igitur Principis iussu, & ære, aliò deriuato flumine, relictus eodem ferè alluuionis iure, & eodem modo ad vicinos possessores pertinebit perinde, atque si vi fluminis ipsa foret derelictus, & suberit auctoritati. l. adeo. §. quòd si toto. & l. inter eos. cum simil. de Acq. rer. dom.

Nec sine ratione hęc dicimus: si ideo enim alluuionis iure incrementum aluei, & cætera, cooperante vi fluminum, nobis acquiruntur; quoniam Censitorum vice funguntur: hoc est iure gentium illis in hoc attributa est ea potestas, quæ olim Censitoribus, vt ex priuato in publicum, & ex publico in priuatum addicant, vt Pomponius ait in l. ergo. §. alluuio. de Acq. rer. dom. Cur negabimus, si alueus publicus Principis auctoritate fuerit priuatus redditus, per fluminis auersionem, nobis acquiri? & eodem propemodum iure alluuionis, cum ab ipsius Principis potestate Censitorum auctoritas tota penderet, quorum vices, & similitudinem gerunt, & præ se ferunt flumina? vt hoc arguendi modo vsus est Curt. iun. cons. illo. 250. nu. 16, quoniam (vt is ait) propter vnumquodque tale, & illud magis. Clem. 1. vbi. Gloss. super verbo *profectò*. de Reliquijs, & vener. sanct. Aliàs ridenda esset Pomponij æquiparatio, quinimo irrita hinc fieret, si quod de flumine dicimus, diuersum esset ab eo, quod Principis iussu fit, cui in hoc quodammodo assimilantur flumina.

Et hæc vera arbitramur, quicquid dixerit Curt. sen. in cons. 72. ad finem. vers. aduertat etiam. vbi passim per Italiam vsu receptum testatur, alueos non solùm ipsius Principis, sed alterius cuiusque opere manufacto exsiccatos indistinctè tanquam bona vacantia fisco, vel Principis, seu ciuitatis in cuius territorio fuerit, acquiri. Quod nec in iure recipi potest ex prædictis; nec de consuetudine eius testimonio credendum est, cum vulgariter, & à plerisque Doctoribus hoc axioma receptum sit, præsertim ab Alex. in l. post dotem. nu. 29. Solut. matri. & Ias. in l. de quibus. nu. 89. de Legibus. Doctori quantuncũque benè docto, & celebri, de consuetudine testanti, non esse credendum, prout Curt. iun. in eo cons. 250. num. 35. in hunc modum auunculi auctoritatem eneruat, ad quem te remitto. 5

¶Quarto, & vltimo loco amplies, & extendas regulæ huius intentionem ad eum casum, quo etiam vel Princeps, vel Principis auctoritate priuatus, animo eo solo alueum exsiccatum acquirendi, opus face-

6 ret. vt nihilominus solum † aluei illud, quod ripę appellatione veniet, vicinis possessoribus acquiratur penitus;& ad eos alluuionis iure,& iurisgentium auctoritate pertineat tàm vsus,quàm plenæ proprietatis ratione. Quoniam ius alteri quæsitum tolli non potest à Principe sine causa. quod habetur in l. 1. C.Si adu. ius, & vtilit.&c. de qua re paulò post dicam. Riparum autem proprietas illorum est, quorum prædijs hærent,etiam tum,cum flumini deseruiunt. qua de causa arbores quoque in ijsdem natæ eorundem sunt, iuxta placitum Caij in l. riparum. de Rer.diuis. vnde quandoque in modo,& in mensura fundi veniunt, vt ait Bald. in Rub.C.de Contra.empt. in 4. quæst. & Alex. in consil. 120.nu.6.lib.2. Ripæ autem in proposito † locus ille totus cedit, ex quo primùm à plano vergere incipit vsque ad aquam, vt dicitur in l. pen.de Flum.& Alex.eo nu.6. cuius loci proprietas publica non est,vt in ea.l. pen.

7

¶Sed quoniam aquarum in fluminibus multiplex,& varium est incrementum; vt cuique notum credimus: ideo normam quærere,quatenus ripa intra alueum procurrat, opportunũ est & necessarium. De re hàc apud neminem legi. mea autem hæc est sententia.Cum ripa sit id,quod flumen continet naturalem rigorem cursus sui tenens, vt in l.1.§.ripa.de Flumin.plenissimum scilicet rigorem,prout inquit Paulus in l.flumina.Eod. qui rigor hyberno tẽpore perpẽdi poterit; quod etiam videtur sentire Gloss.in eo.§.ripa.vti quæ allegat pro simili textum.l.litus est. de Verbi signif. Certior autem sit naturalis cursus fluminis,& indubitatior æstate potius, quàm hyeme secundùm Vlpiani sententiam in l. 1.§.is autem. Ne quid in flum.pub. Id omne ergo ripæ cedere crediderim,quod interiacet ab extremo naturalis rigoris hyberni procursu,vsque in eum locum,in quo se certus fluminis cursus per æstatem plerunque continere consueuerit. Naturalis porro rigor, & certior fluminis cursus,ab hyeme,& æstate superioris anni inuestigari debebunt ex l. 1.§.is autem. Ne quid in flum. publ.

8 Quodcunque † igitur inter naturalem fluminis procursum maiorem, & recessum fluminis naturalem extabit; id omne tanquam fluminis ripa ad vicinos possessores pertinebit, quamuis totus reliquus alueus exsiccanti acquiri deberet Principis permissu, & concessu. Iuri enim quæsito iure gentium præsertim, Principem nec præiudicare voluisse, credendum est, nec etiam potuisse, fatendum: nisi vrgenti aliqua causa motus fuerit, vt plenissimè scribitur in l.1. C.Si contra ius,vel vtilit. publ. vt voluit in proposito Curt.iun. in sæpius appellato consi. 250.nu. 22. toto octauo fundamento. & rectè hucusque.

Quod

Quòd autem hoc idem ius statuit in toto alueo, labitur profectò; quoniam non ita aluei publici proprietas est vicinorum, sicuti riparum: eiusdem namque iuris, publici scilicet, est alueus, cuius & ipsum flumen. l. 1. §. simili modo. de Flumin. l. adeo. §. quòd si toto. ibi. *nouus autem alueus*. de Acquir. rer. dom. Vnde arbores natæ in alueo publici fluminis, publicæ & ipsæ futuræ sunt. nam Paulus inquit in l. pen. §. fin. Eod. quod in publico natum, aut ædificatum est, publicum esse.

ARGVMENTVM.

¶ De duabus huius regulæ exceptionibus.

SVMMAE.

1 *Alueus publici fluminis consultò, vt acquirat, Principis ære exsiccatus, Principi, non vicinis acquiretur.*

2 *Flumina in dominio, & patrimonio Principis esse dicuntur.*

3 *Iuri quærendo etiam de iure gentium Princeps absque causa præiudicare potest.*

4 *Alueus priuati cuiuspiam sumptu, auctoritate tamen publica exsiccatus, illi acquiritur.*

5 *Flumen auertere penitus ex decreto Principis, priuato licebit, etiam cum vicinorum incommodo haud magno, si priuati illius magna vtilitas hoc suadeat.*

PARAGRAPHVS II.

DVO casus ab illa regula sunt excipiendi, per quos omnis ferè controuersia inter Doctores componitur.

¶ Primus est, cum Princeps † ea intentione expressa flumen auertit, vt alueum veterem exsiccatum acquirat, tum etenim incrementum illud ipsi penitus acquiritur, vicinis conticentibus. Quis enim ei succensere potest; qui proprio ære, & propria diligentia sibi consulat iuxta. l. fin. C. de Alluu. & in re propria id agat, quod sibi vtile futurum iudicat. l. in re mandata. C. mandati? Nullus porrò dubitat flumina † publica esse in dominio, & patrimonio Principis. c. 1. Quæ sint Regal. hoc ait Ang. in l. Fluminum. de Dam. inf. Cepoll. de Seruit. cap. de Flum. publico, Berous latè probat in cons. 140. nu. 4. lib. 3. & de rebus publicis disponere ad Principem solùm pertinere. vt in l. sacra. §. sciendum. de Rer. diuis. l. 2. in prin. & ferè per totum. Ne quid in loco publ. &c. cum infinitis simil.

Nec iustè conqueri poterunt circuncolentes ex eo, quod per fluminis vim incrementa alluuionum, insularum, & totius fortè aluei prædijs sui adijci potuissent. tum ex eo primùm, quoniam de futuris contingentibus ratio non est habenda à Principe præsertim, quem vno ore omnes fatentur in l.fin.C.Si con. ius,& vtil. pub. & in c. quæ in ecclesiarum. vbi latè inter cæteros Berous.de Constitut. iuri † alteri quærendo etiam de iure gentium, sine causa posse legitimè præiudicare.vt hoc clarè conijcitur ex l.in agris. de Acq.rer.dom. expressius ex l. quominus. de Flumin. vbi dicitur, quòd Princeps potest vetare, ne quis à flumine quomodocunque publico aquam ducat, quod ius vnicuique competit de iure gentium: acquisitum tamen non dicitur, donec sit duci cœptum, sed quærendum. ita ad hoc eleganter induxit eũ textum Iason illic num. 9. & Ripa. nu. 9. & 10. Tum etiam, quia non tantùm de incrementis sperandum illis est, quantùm de periculo diminutionis timendum. cuius rei testes aduoco, qui propè flumina agros possident. Et si Curtiũ seniorem rectè respondisse, placet defendere: iuxta prædicta responsum illius accipiamus, quod est in cõs. 72. col. fin. alioquin explodenda venit eius sententia.

3

¶ Alterum casum excipio, & extra limites regulæ reseruo, illum scilicet, cum priuatus † quispiam Principis decreto accedente flumen, paludesue publicas auertere, & deriuare aluei lucrandi gratia, magna opum, & pecuniarum vi aggreditur. alueum etenim hoc modo exsiccatum ad eum pertinere, non ad vicinos possessores, & reor, & verum est. Illi enim non solùm lucrum huiuscemodi auferendum non est, quin potiùs gratia habenda, qui suo sumptu non sibi solùm, sed vtilitati publicæ consulat, cum sterilia ad culturam redigat. arg. l. fin. C.de Alluu. & l. 1. & 2.C.de Frum. vrb. lib. 11. l. 1. C.de Ann.frum. vrb. Romæ. Eod. adde l. 2. de Nund. In hanc autem sententiam descendere, nullus dubitet, tum ex præmissis, quia certum sit iuri quærendo etiam sine causa posse Principem præiudicare; tum etiam quia, cum quid in publico fieri petitur, oportet vtilitatem facientis spectari sine magno vtiq; vicinorum incommodo. Hinc quandoque Princeps solet concedere aliquid in flumine publico fieri, imò † penitus auerti, si hoc magna vtilitas facientis suadeat, parum autem circuncolentiũ intersit, vt est clarus textus iuncta Glos. in l. 1. ibi *Plerosq; scio.* Ne quid in flum.publ. Nec vsus publicus caussari potest, quin liceat Principi cõcedere in publico quid fieri, vt dicitur in l. 2. §. merito. & §. si quis à Principe. Ne quid in loco publ.&c. Et per hæc, & multa alia, & in his terminis responderunt Berous in eo cons. 140. lib. 3. & Socin.

4

5

Nepos in cons. 28. lib. 4. licuisse Dominio Florentino, concedere facultatem Illustris. Domui Mediceæ auertendi Clanarum flumen, & alueum inde suo sumptu exsiccatum illi fore acquisitum in pręiudiciū vicinorum. & quò ad hoc votum decisiuum protulit Rota Florentina iuxta prędictam opinionem, quod habetur apud Gherardum Mazoll. in cons. 4. nu. 133. & in hanc quoque sententiam venit Natta, & ita distinxit in cons. 55. lib. 1. in 2. membro, hac motus ratione inter cætera. Cum enim alueus publicus mea opera sit factus priuatus, meus esse debet, quia si remansisset publicus, nec meus, nec vicinorum fuisset: ergo cum nullum opere meo illis fit præiudicium, mihi potius, quàm illis debet acquiri, ne cum alterius damno locupletentur, contra. c. locupletari. de Reg. iur. in 6. & quoniam æquum est commoda ad eum pertinere, cuius fuerunt incommoda. l. secundum naturam. Eod. & iuxta prædicta responsum Alciati 302. intelligendum est; ne cōtradicere videatur sibimet ipsi, & suo respon. 219. de quo superius.

Ex his igitur (ni fallor) sublatas Doctorū controuersias arbitror. à quibus licèt plura deducantur hinc inde, præsertim à Curtio iuniore: quoniam autem exceptis superioribus reliqua ad rem parum facere visa nobis sunt, & leuia; consultò omisimus. cum cuilibet præterea in promptu, & ad manus esse possint. Vera quidem ea quæ asseruimus, omnino credimus, iuriq; & æquitati consentanea. Sed de his satis.

ARGVMENTVM.

¶ Principem posse, prædijs flumini proximis ius alluuionis actiuum auferre, vt incrementa nascitura alterius cuiuspiam sint.

SVMMAE.

1. *Ius alluuionis actiuum agris auferri potest à Principe, contra Ruini sententiam. nu. 6.*
2. *Ius quærendum facilius tollitur, quàm quæsitum.*
3. *Prælatus ecclesiæ præiudicium facere potest in iure quærendo.*
4. *Princeps potest sine causa legitimare filium post mortem patris, non adita adhuc hereditate, in agnatorum præiudicium, ex recepta opinione.*
5. *Ius quærendum de iure gentium, absolutè potest à Principe auferri.*
7. *Concessio incrementorum sine derogatione. l. fin. C. de Alluu. nulla est.*

CAPVT X.

NON solùm autem Principis concessione, aluei incrementũ, quod aquis impendio nostro, & labore deriuatis continget, consequi possumus in præiudicium accolarum: quin etiam generaliter omne incrementum tàm latens, quàm euidens, & separatum vi fluminis, non opere nostro extiturum, si Princeps concesserit expresśim. Vt hinc certo constare queat Principem † posse prædijs flumini proximis ius alluuionis actiuum auferre. Princeps enim (vt proximè diximus) potest absolutè in iure nondum quæsito vnicuique præiudicium facere, siue illud ius quærendum sit de iure ciuili, siue de iuregentium. vt & aliàs † generaliter facilius permittitur, quod ius quærendum non quæratur, quàm quæsitum auferatur.

1

2

3 Hinc dicitur Prælatum, † ecclesiæ præiudicium facere posse in quęrendis, non in quæsitis, Innoc. in c. 1. de Donat. Glo. in c. fi. 16. q. 6. arg. l. fin. C. de Acq. poss. vnde Fed. in cons. 9. respondit, Prælatum repudiare posse legatum ecclesiæ factum. de quà re Fely. in c. quæ in ecclesiarũ. nu. 50. de Constitut.

Quod ad ius quærendum de iure ciuili pertinet, iuris est indubitati. Nam cum ius adeundi sit de iure ciuili l. lege obuenire. de Verb. signif. quod & ait Gloss. in l. 1. de Acq. rer. dom. & Alex. in consil. 2. num. 14. lib. 1. nec dicatur in bonis nostris esse, vt habetur expressim in l. pretia rerum. Ad l. Falcid. ibi. *Pedius scribit*: ideo potest Princeps † sine causa legitimare filium post patris mortem, hæreditate adhuc non adita, in præiudicium agnatorum. secus foret, si iam adita fuisset hæreditas per agnatos: illis enim foret ius quæsitum, quod placuit Bald. in l. 2. nu. fi. C. de Iur. & facti ignor. & Paulo in l. Gallus. §. & quid si tantum. nu. 16. de Lib. & posthum. & hoc communiter receptum ait Alex. eo loci nu. 16. vbi Ias. nu. 122. & 123. Felyn. in c. quæ in ecclesiarum. nu. 49. de Constit. Ruin. quoque in cons. 7. nu. 6. & in cons. 36. nu. 3. vbi cõmunem dicit. lib. 1. Iuri itaque quærendo per ius ciuile, præiudicare potest Princeps.

4

5 Quod spectat ad ius quærendum † de iure gentium, & hoc idem citra omnem hæsitationem dicendum venit. vt probatur euidenter in l. quominus. de Flum. de quo in superiori capite. §. fin. nu. 3. dictum abundè fuit. Et in proposito res hæc non est sine ratione: quoniam per huiuscemodi concessiones nullum damnum vicinis affertur; sed lucrum potius sola spe subnixum auferri videtur, cui derogare liberum est Principi. l. 2. §. si quis à Principe. Ne quid in loco pu-

bl.&c. Damni enim, & lucri diuersa est ratio. l. fin. §. pen. C. de Codicill. l. Proculus. in fin. de Dam. inf. quod & ait Bart. in proposito ferè in ea.l.quominus.in 2.quæst.nu.5.Quod & ego probo. quicquid dixerit Ruin. in cons. 95. nu. 3. & 4. lib. 1. quo loci contrariam sententiam defendere nititur: Principem scilicet, sine causa non posse cuiquam præiudicare non minus in iure quærendo, ac in quæsito de iure gentium; & ideo non posse donare insulas nascituras in præiudicium proximorum: quod est † ius alluuionis prædijs vicinis adimere non posse. Quoniam, inquit, concessio insularum futurarum tacitã habet conditionem, si nascentur.l.interdum.de Verbor.oblig.l.1.in fi. de Cond.& demonstr. & consequenter collata censetur in illud tempus, quo iam natæ erunt insulæ.l.in tempus.in princ. de Hæred.instit. & quo iam dominium illarum vicinis erit acquisitum. ergo, &c.

6

Item ait, sicut Princeps non potest auferre dominium sine causa, quoniam est de iure gentium, l.ex hoc iure. de Iustit. & iure: nec pariter potentiam, & modum acquirendi dominium; qui modus à iure gentium procedat. qualis est hic incrementa fluminum acquirendi modus. l. adeo. §. præterea. de Acquir. ter. dom. Quod videtur esse intentionis omnium interpretum, & præsertim Castren. & Alex. in eo. §. & quid si tantùm. Aiunt enim illi, ideò Principem legitimando spurium post mortem patris, posse his, quibus est hæreditas delata, sed nondum adita, absolutè præiudicare: quoniam ius adeundi, modus scilicet acquirendę hæreditatis, est de iure ciuili.l.lege obuenire.de Ver. signif.cum simil.sicut potest in cæteris, quæ de iure ciuili quæruntur. Doct.in l.fin.C.si contra ius, vel vtilit.pub.& in c.quæ in ecclesiarum. de Constitut. Quasi voluerint contrarium, si modus quærendi dominium sit alio iure, quàm ciuili introductus: vtputa vel naturali iure, vel gentium. Hæc Ruinus, quem falli certum est.

Nam si ad argumentum primum respicimus, ex eo corruit potissimùm: quoniam, licèt concessio sit conditionalis; vt ideo non nascatur actio, vel petitio, nisi cũ incrementa extiterint.l.interdum.vbi Ias. post cæt.de Verb.oblig.retrotrahitur tamen conditio ad tempus concessionis.l.necessario.§.quòd si pendente.de Pericul.& comm.rei vend.l.qui balinei.& l.potior.in prin.Qui pot. in pig. hab. Vnde Paulus ait; *si filiusfamilias sub conditione stipulatus, emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio: patri actio competit: quia in stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.* Hæc sunt verba l. si filiusfam.de Verb.oblig. Sic itaque, si quò ad acquisitionem incrementorum tempus concessionis inspicimus: iam palàm est agi de auferẽdo proximis possessoribus ius nondum quæsitum, sed

quærendum. ideo illi poteſt Princeps, ſi libuerit, abſque cauſa præiudicium facere. Quod verò ad ſecundum Ruini argumentum ſpectat, minori negotio diluitur. nec enim ea fuit interpretum ſententia; ſi concedunt Principem poſſe abſque cauſa ius adeundi auferre, quoniam ex iure ciuili deſcendit: in cæteris Principis facultatem coarctare, vt in iure quærendo de iure gentium illud ei permiſſum negent; quod iam ei licere, ſuperius probatum extitit. Ius alluuionis itaque vicinis prædijs adimi poteſt à Principe, & incrementa naſcitura alijs concedi.

Principem tamen ad tales conceſſiones paſſim, & ſine delectu faciendas deſcendere, periculoſum eſt: nec in foro conſcientiæ penitus tutum: cum hoc ius alluuionis maxima ratione indultum ſit vicinis prædijs ob pericula, quæ eis à vi fluminum perpetuò imminent. vnde hoc lucrum ex cauſa oneroſa competere inferius dicturi ſumus. vt hæc conceſſio contra naturam eſſe videatur: cum per eam ad alium commoda ſint peruentura, alterius autem totum pericum futurum ſit. con. l. ſecundum naturam. de Reg. iur. cum ſimil.

Quapropter iuſtè prohibitum eſt à Theodoſio Imperatore in l. fi. C. de Alluuion. ne fiant hæ conceſſiones, quinquaginta librarum auri pœna petentibus decreta. Vnde conceſſio † quæ fieret ſine expreſſa derogatione legis huius, nihil prodeſſet, ſed obreptitia cenſebitur. l. fi. C. Si cont. ius, vel vtil. publ. vbi Bald. nu. 6. Saly. nu. 4. & Caſtren. nu. 5. hoc expreſſim conſtituunt in ſimilibus conceſſionibus. Prohiberi autem has conceſſiones cõſtat ex verbis illis. l. fi. *neque à quolibet peti.* Item ex illis vltimis, *vel ſi preces introduxerit petitoris.* & licet de incrementis iam natis concipi videatur ea conſtitutio, nihilominus de naſcituris quoque intelligi æquiſſimum eſt ob ea, quæ paulò antè propoſuimus, & cum in vtroque caſu eadem fermè ratio agnoſcatur.

ARGVMENTVM.

¶ Excipiuntur eccleſiaſtica prædia, quibus non poſſe Principem hoc ius alluuionis auferre, probatur.

SVMMAE.

1. *Ius alluuionis eccleſiaſticis prædijs auferri non poteſt à Principe.*
2. *Princeps non poteſt legem abrogare, qua priuilegium Eccleſiæ ſit conceſſum.*
3. *Princeps rei illius dominium auferre non poteſt, quæ non ſit ſuppoſita eius iuriſdictioni, etiam ſi cauſa adfuerit.*
4. *Incrementa, rei intuitu non perſonæ acquiruntur.*

5 *Exceptio rei iudicatæ in fundo præiudicat in incremento.*
6 *Ius alluuionis ademptum à Principe aliquibus agris, non restituitur, etiam si ad Ecclesiam agri peruenerint.*

PARAGRAPHVS I.

RECTE porrò ab hac regula excipit Ruin. eo cons. 95. nu. 5. & à Principis potestate subtrahit ecclesiastica prædia; quibus per talem generalem incrementorum concessionem alicui factam, nec posse † ius alluuionis adimi, nec in dubio ademptum intelligi optimè defendit. Nam si Princeps † non potest legem suam abrogare in præiudicium ecclesiæ; cui per eam priuilegium erat acquisitũ, vt inquit Innoc. in c. nouit. Verbo *Theodosius*. nu. 6. de Iudic. de qua te latè Fely. in c. quæ in ecclesiarum. nu. 30. de Constit. multò minus beneficium competens de communi iure gentium auferre poterit. 1 2

His addo, † quoniam cum auferre rei suæ dominium per rescriptũ, priuilegiùmve, sit actus iurisdictionem concernens, vt annot. in l. fi. C. Si cont. ius, vel vtil. pub. Iurisdictio autem exerceri nequeat super re nõ subdita, & contra personas non subditas: hisce neque ius quæsitum, neque quærendum cum causa, vel sine causa auferri poterit, nec huiuscemodi prædijs ius alluuionis adimi. Ad hoc vide, quæ latè congerit Fely. in eo c. quæ in ecclesiarum. nu. 30. vbi Dec. nu. 95. & 96. & cæt. ad quos te remitto. 3

¶Quoniam verò incrementa fluuiatilia quæruntur nobis nostrorũ prædiorum intuitu: & hoc † ius alluuionis rei cohæret non personæ; vnde dicimus hos, vel illos agros habere ius alluuionis, quosdam non habere. l. in agris. de Acq. rer. dom. quod de personis dictum non legimus. & ideo fit, vti † exceptio rei iudicatę in fundo præiudicet, & in incremento; siue illud latens sit. l. si Titius. in fi. de Vsufr. siue separatum. l. egi. §. fin. de Excep. rei iud. quoniam (vt inquit Glos. eo loci) hæc incrementa rei accrescunt; secus in vsufructu, qui personæ accrescit, vt dicitur in ea. l. si Titio. §. fin. 4 5

Iccirco non erit forsan insubtile, & ab omni ratione alienum, superiorem Ruini exceptionem distinguere. vt tum demum Princeps non possit vllo modo præiudicare ecclesiasticis prædijs in iure quærendorũ incrementorum, cum concessionis illius tempore ea prædia in dominio ecclesiæ fuerunt.

Quòd si postea ad ecclesiam peruenerunt; secus sit; vti hoc vitio per concessionem Principis affecta prædia ad ecclesiam cum sua causa translata sint. Videntur enim hoc casu ea † prædia amisisse ius allu- 6

uionis,

uionis,& redacta ad instar agrorum Limitatorum; quod ius, licèt ad manus ecclesiasticas peruenerint; non recuperant, sed transeunt cum sua causa.c.cum sint. de Decim. Vnde dicimus, si prædia tributaria ad ad ecclesiam perueniunt: eam teneri ad solutionem tributorum. Glos. est in c.1.de Immun.eccles. in 6.vbi Gemin.in fin.Glos.in c.1.de Censibus,facit.c.tributum.vbi Glos. 23. Quæst. 8. postquàm autem sunt effecta ecclesiæ prædia; non effici tributaria, si libera fuerunt. de qua re videas Felyn. in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ.nu.76.& sequen.de Constitut. vbi cæteri interpretes. Latè Festas. de Collectis. 4. par. cap. 1.

ARGVMENTVM.

¶ Donato flumine, non censeri donatum ius acquirendi incrementa in eo flumine nascitura; ius scilicet alluuionis vicinis prædijs ob id ademptum non intelligi.

SVMMAE.

1 *Ius alluuionis vicinis prædijs ademptum non intelligitur ob donationem fluminis à Principe factam, vna cum pertinentijs, contra Alciatum, & Curtium seniorem. nu.6.*

2 *Princeps iuri quærendo in dubio præiudicare non præsumitur. etiam si motu proprio donatio processerit.*

3 *Lucri, & damni par est iudicium, cum lucrum à damno causam traxerit.*

4 *Lucrum dotis pro lucro non habetur, quoniam ex onerosa causa contingit.*

5 *Lucrum iure alluuionis contingens ex onerosa causa haberi dicitur.*

7 *Alueus cedit flumini, quandiu eius est alueus.*

8 *Principis concessio, contra eum tantummodo latissimè interpretanda est.*

9 *Ius alluuionis ademptum censetur, vbi concessio nihil operaretur.*

10 *Flumen nouum videtur, mutato per impetum alueo.*

11 *Ius in flumine competens extinguitur, mutato per impetum alueo, & nu. 12.*

CAPVT XI.

SCIENDVM est autem per simplicem fluminis concessionem, seu aquæ fluminis, & pertinentiarum, incrementa in flumine nascitura concessa non intelligi, nec ius † alluuionis vicinis prædijs ademptum præsumi: Nam quotiescunque aliquid in publico fieri, & haberi permittit Princeps: vt sine iniuria, damnoue cuiusque id fiat, permittere præsumitur: l. 2. §. merito. & §. si quis à Principe. Ne quid in loco public. Damnum autem pati videtur, qui commodum amittit, quod ex publico consequebatur, quale quale sit, vt dicitur in eo. §. merito.

rito. In dubio igitur iuri quærendo præiudicare non præsumitur, vt inquit Castren. in l. Gallus. §. & quid si tantum. nu. 14. de Libe. & posth. per eum. §. merito. nec etiam in modico, vt latè probat Dec. in c. quæ in ecclesiarum. num. 120. de Constit. & in cons. 525. etiam si concessio motu proprio, & ex certa scientia processerit, vti respondit idem Decius in cons. 580. nu. 3. Magis ergo est, vt circumuentum Principem præsumamus, quàm alicui ius acquirendi incrementa fluuiatica adem ptum dicamus. 2

Item, licèt aliàs lucri futuri spem amittens non dicatur damnum pati. l. Proculus in fin. de Damn. inf. quando tamen † lucrum trahit caussam, & originem à damno, de eo iudicamus vti de damno. Vnde lucrum † dotis pro lucro non habetur: quoniam ex caussa onerosa illud contingit, vt inquit Gloss. sing. in l. si donaturus. in fin. vbi Bal. nu. 3. Alex. nu. 6. Iaf. nu. 13. & cæt. de Condict. ob caussam: & hoc communiter recipitur secundùm Alex. eo loci: de qua re latè Roland. à Valle De lucro dotis. quæst. 4. nu. 16. & passim in illa quæstione: ad quod est textus elegans in l. 1. §. lucratiuas. C. de Impon. lucr. descript. lib. 10. vbi Ang. ad hoc annot. 3 4

Cum itaque † ius alluuionis prædijs attributum, ius scilicet quærendi incrementa nascitura in flumine publico proximis possessoribus cō petens, dici verè debeat pertinere ex caussa onerosa: de hoc lucro, & iure iudicandum videtur vti de damno. Principis igitur concessionē huic iuri præiudicium afferre, iniquum est præsumere. 5

Certum est sanè iure gentium primæuo, ratione scilicet naturali factum (quod antea diximus) vt accessiones, & incremēta hæc ad accolas spectarent: quoniam magnas agrorum decessiones, & detrimenta perpetiuntur ab immensa perpetuaq; fluminum vi: ideo inquit Iustinianus in §. cum autem. sed & si post. Institut. de Empt. & vend. *Si post emptionem fundo aliquid accessit per alluuionem, ad emptoris commodum pertinet: nam & commodum eius esse debet, cuius periculum est.* Quapropter si Princeps in dubio non creditur, commodum, quod ex publico quis consequebatur, quale quale sit, per cōcessionē suam auferre, vt dicitur in eo. §. merito. multò minus hoc ius alluuionis, & hoc lucrum, quod ex caussa onerosa proximis possessoribus iure gentium conceditur.

¶ Quæ sententia † mihi vera videtur; quicquid responderit Alciat. in Resp. 219. & 223. & ante eum Curt. sen. in cons. 72. in fin. Licèt enim alueus cedat flumini (de hoc ipsi responderunt in primis) quia impossibile est, alueum publici fluminis non esse publicum. l. 1. §. similimodo de Flum. & per eum textum Bart. in Tyb. Par. 3. verbo *cuius,* 6

& ipsum; & ideo donato flumine censeatur & alueus donatus: Nihilominus illud non est ita absolutè intelligendum. Cedit † enim flumini alueus, quandiu ei deseruit, flumine autem recedente desinit esse iuris publici, & pars fluminis. ideo donato flumine donatus etiam censetur alueus, qui flumini deseruit, & quandiu deseruit illi. flumine verò recedente alueus incipit esse eorum, qui propè ripam prædia possident.

7

Rursus donata aqua fluminis, licèt censeatur donata omnis vtilitas ab aqua illa proueniens; & beneficia Principum sint plenissimè interpretanda. l. fin. de Constitut. Princip. intelligimus † tamen de vtilitate, quæ ad Principem pertinuit, & in eius præiudicium, non autem aliorum; vti piscationum, iurisdictionis, & similium. sic ait Innoc. in. c. cum dilectus in fi. de Donat. sic distinguit Bart. in l. si quando, num. 4. C. de bo. vacan. sumpto arg. à l. 2. §. meritò. & à. §. si quis à Principe. Ne quid in loco publ. Cum igitur vtilitas incrementorum fluuiatilium ad Principem non pertineat, sed iure gentium sit proximorum. l. adeo. §. præterea. de Acquir. rer. dom. ad hæc concessio Principis nō venit per iniquam interpretationem extendenda. Nisi † fortè aliàs concessionis verba, & ipsa concessio esset frustatoria, vt ait Alciat. in respon. 223. cui in hoc consentio. facti tamen species, in qua ille respondit, extra hanc aleam ponenda est: licèt ipse in hoc magnam vim fecerit. vtilitas enim illius cōcessionis in multis alijs poterat considerari; nec fuit necesse ad incrementa illam iccirco extendere. Sed hæc nihil ad nos.

8

9

¶ Multum autem referre puto (vt id obiter dicā) quomodo sint concepta concessionis verba. nam si aqua fluminis donata sit, & per impetum toto naturali alueo relicto aliâ fluere cæperit: durat adhuc, vigetq; eadem concessio: est enim eadem aqua. sicut idem vinum dicitur, licèt in aliud dolium transfundatur, vt ait Bald. in Rub. de Rer. diuis. nu. 28. Quòd si flumen concedatur; mutato per impetum alueo, nouum † dicitur flumen, omnisq; ideo expirat concessio. de qua re est tex. & ibi Glos. in l. hoc iure. §. si aquam. de Aqua cotid. & æsti. vbi quoque Bar. annotauit, & in l. quominus. nu. 32. de Flumin. Cepol. de Seruit. cap. de seruitute aquæductus. quæst. 7. & in c. de Alueo. Hæc autem distinctio videtur esse ex mente Ripæ in ea. l. quominus. num. 113.

10

Mutato sanè per impetum toto alueo, certi iuris est flumen aliud, & nouum videri. Hinc est † quòd si concessio facta sit iuris aquæ ducendæ ex aliquo flumine: hoc ius amittitur, mutato penitus alueo, vt in ea. l. hoc iure. §. si aquam. & ibi Bart. idem in ea. l. quominus.

11

nu.32.in 16. quæst. & eo loci Iason & Ripa. Hinc † eadem ratione dixit Bald. in Rub. de Rer. diuis. nu. 28. quòd ius colligendi pedagium, vel portorium in flumine extinguitur ob mutationẽ alueí per impetũ factam, argumento eius. §. si aquam. sic ait & Cepol. de verbo eum more suo referens in Tract. de Seruit. in cap. de Alueo. Et hæc fuit decisio ante eos Dyni in eo. §. si aquam. quem illic refert, & probat Alber. & Ang. Albericus quoque de re hac scribit in l. de quibus. nu. 174. de Legib. Et superiorum ratio ea esse videtur, quoniam flumen ex tribus constat aqua, ripis, & alueo, quod in sequenti capite dicetur; ex quorum variatione idem flumen esse desinit.

ARGVMENTVM.

¶ De alueo fluminis publico.

SVMMAE.

1. *Flumen constat ex alueo, aqua, & ripis.*
2. *Alueus est locus qui inter ripas continetur.*
3. *Ripæ sunt, quæ flumen plenissimum continent.*
4. *Veritas & natura rei per communem vsum loquendi imperitæ rusticitatis mutari non potest.*
5. *Ripa, & locus qui ripæ cedit, est spatium illud, quod inter naturalem fluminis rigorem, & naturalem cursum fluminis comprehenditur.*
6. *Fluminis rigor, & cursus naturalis à quo tempore desumatur.*
7. *Aestatis, & hyemis quantum sit curriculum.*
8. *Alueus publici fluminis est publicus.*
9. *Flumen publicum solo non cedit, nec proprietatis respectu, nec iurisdictionis contra Baldum. nu. 10.*

CAPVT XII.

HACTENVS de alluuione, eiusq; triplici appellatione: super qua re longius immoratus sum, quàm putaram. Ad alueum transferatur oratio. alueus vt publici, quandoque vt priuati iuris accipitur. de priuato agere nostri quidem est præsentis instituti: Sed quia quis sit alueus priuatus, tum facile sciri poterit, cum ante cognouerimus, qui sit publicus, à quo priuatus terminos accipit: ideo de publico primùm dicere, vtile futurum existimo.

Flumen constat ex aqua, & alueo inquit Cur. Sen. in additionibus ad cons. 72. vnde concessio flumine alueum etiam concedi putat. Rectius Ripa in l. quominus. nu. 2. de Flumin. constare † ait, ex alueo aqua, & ripis. Alueus est venter fluminis, vt inquit Bart. ex Hugotione

in Tyb.Par.3.in prin.qui ita aquam continet,sicut stomachus vinum, vt ait Bal.in Rub.de Rer.diuis.nu.27. Hunc lectum fluminis vulgariter appellamus: quia ibi flumen incubat. ab alluo fortè alueus dicitur; quòd continuò alluatur à flumine. totum † ergo eum locum,qui inter ripas fluminis cōtinetur,rectè alueum dicemus.Ripæ autem † eæ sunt; quæ,vt Paulus ait in l.pen.de flumin. flumen plenissimum continent: idest secundum Vlpianum in l.1.§.ripa.Eod.quę flumen continent naturalem rigorem cursus sui tenens; nam si extra ripas diffluit,& euagatur,inundatio est,non alueus. Et in iure aliter dici, vel assumi alueum non posse, constanter asseuerat Berous in lib. quæst. famil. q.94. ex quo super hoc opinionē rusticorum circuncolentium attēdi minimè debere,contendit: cum alueus sit nomen iuris; veritas † autem, & natura rei per communem vsum loquendi imperitæ, vt plurimum rusticitatis,mutari nequit.l.cum de indebito.§.sin autem is.ibi.*vel agricultor, & forensium rerum expers.* de Probat. Quod probatur ex l.si dictum. in prin.ibi. *non tamen, vt vulgus opinatur.* de Euict. apertius in l. ita vulneratus. ibi. *respondi, &c.* Ad leg.Aquil.& hoc expressè dixit Bald. in l.1. nu.3.C.de Success.edicto.Nec facessit negotium,quod ait Vlpianus in l.1.in princ.de Flum.flumen à riuo existimatione circuncolentium discerni debere: nam ea quæstio facti est, non iuris. vnde etiam in nostro casu,si quæreretur; quousque flumen plenissimum excurreret:super hoc rustici circuncolentes interrogari,& testificari possent, cū ocu lorum sensu hoc rectè percipi queat. Hæc Berous. Alueus itaque dicitur,quicquid inter ripas continetur. Riparum porro appellatione locum etiam eū hic intelligo,qui ripæ cedit,ex quo primum à plano vergere incipit vsque ad aquam; vt dicitur in l. pen. de Flum.omne † scilicet spatium,quod inter naturalem fluminis rigorem,& naturalem cursum fluminis continetur, vt diximus superius in cap. 9. §. 1. riparum appellatione comprehendetur: reliquum erit alueus.

¶Sed necessarium,& scitu dignum videtur, cuius temporis † fluminis cursus naturalis,itemq; rigor naturalis attendi, & probari debeat. Vlpianus in l.1.§.is autem.Ne quid in flum.publ.quòd ad cursum naturalem pertinet,æstiuum tempus attendendum censuit: quia semper certior est cursus fluminum æstate potius,quàm hyeme. quod & Bartolo placuit in Tyb.Par.3.verbo *naturali:* Sed cuius æstatis,num instan tis,an plurium quoque iam transactarum? Idem Vlpianus ait;non ex instanti,sed priore,& proximè elapsa æstate argumentum fore sumendum. Aestatem † autem in proposita specie,vt legitur in l.1.§.æstatē. de Aqua cotid. & æstiua; incipere peritiores tradiderunt ab æquino-

ctio Autumnali. Aliàs tamen, & propriè æstatem esse trium mensium tradidit Glo. in ea. l. 1. Ne quid in flum. pub. prout communiter annus in quatuor partes consueuit diuidi, Ver, Aestatem, Autumnum, atq; Hyemem, quod valde annotandum dixit ibi Bartolus.

Quod ad rigorem fluminis naturalem attinet: contraria obseruatione ab hyemali tempore inquirendus est, vt diximus in cap. 9. §. j. ad quem locum breuitatis gratia me remitto.

¶ Quousque autem alueus deseruit flumini publico, eius solum est publicum. quoniã videtur impossibile, vt alueus † publici fluminis nõ sit publicus, vt dicitur in l. 1. §. simili modo de Flumin. quod admirandum visum fuit Bartolo in Tyb. Par. 3. super verbo *cuius & ipsum*: nam aliàs solo cedit, quicquid ei superimponitur. §. cum in suo. Instit. de Rer. diuis. sed casus hic de fluminibus, & cæteris aquis publici iuris excipiendus est. aqua enim priuati iuris solo cedit, arg. l. Rutilia Pola. de Contr. empt. Et illud verum intelligas † tàm quò ad proprietatem soli, quàm quò ad iurisdictionem: semper enim flumini solum cedit; vt eiusdem pariter territorij esse alueum, & solum, super quo labitur, cuius est flumen, meritò contendere valeamus. Regulæ enim semper est inhærendum tenaciter, quousque exceptionem legamus, vt inquit Glos. in l. omnis definitio. de Reg. iur. Bald. in l. si tutor. in fin. C. de Seruo pign. dato. manum. & Dec. in l. 1. nu. 6. & 7. de Reg. iur. & hoc expressè probat Corn. in cons. 287. nu. 11. lib. 3. quod scilicet aluei solum flumini cedat, iurisdictionis etiam respectu, adductus ab oratione generali. l. adeo. §. quod si toto. de Acquir. rer. dom. illic. *Nouus autem alueus eius incipit iuris esse, cuius & ipsum flumen*. hoc idem respondit Collegium Ferrariense; vt videre est in Rimin. cons. 64. nu. 12. lib. 1. Vt inde certum sit Baldum † contrarium sententem in Rub. de Rer. diuis. nu. 10. perperam locutum fuisse: quod ex ipsiusmet Baldi verbis euidentissimè deprehenditur. Ait enim, vnumquodq; flumen vniuersitatis potius esse, quàm publicum dici debere; quoniam territorium certos habet limites; & quicquid est intra limites, de territorio est, & alueus tanquam subiectum aquæ trahit ad se aquæ iura, & commoda, arg. l. 1. §. si insula. in fin. ibi: *Quia impossibile est, &c.* de Flum. ergo, &c. Soluit inde Baldus argumentum hoc pacto. argumentum (inquit) tuum procedit, quantum ad iurisdictionem, sed nõ quantum ad proprietatem. Credidit Bald. alueum trahere ad se aquæ iura, & ideo etiam iurisdictionem: quod quàm sit ab omni veritate alienum; quin contra expressa verba eius. §. si insula; nemo non videt. Cũ ergo contraria penitus sententia inde colligatur, alueum scilicet flumi-

8

9

10

ni cedere, ergo & iurisdictionis respectu. si licuit. n. Bal. ab eo. §. perperā arguere: nobis etiam rectè sentientibus idem licere æquum est.

Baldi fortè sententia defendi posset in flumine in aliud territorium irrumpēte, vt tunc iurisdictioni illius subijciatur, cuius est territorium; non ea tamen ratione, quod flumen alueo cedat, sed quia cum nō antiquum amplius, sed nouum flumen videatur, vt diximus in fine proximi capitis, eiusdem esse iurisdictionis debet, cuius & territorium intra cuius limites continetur, per ea, quæ scribit Hier. de Monte. de Fin. regund. cap. 6. nu. 5. 6. & 7.

ARGVMENTVM.

¶ De incremento aluei.

SVMMAE.

1 *Alueus à flumine relictus iuris priuati incipit esse, & proximioribus acquiritur.*
2 *Aluei relicti appellatione quid contineatur.*
3 *Alueus perfectè relictus quando dicatur. & nu. 6. & 10.*
4 *Forma mutata, rei substantia, & status interimitur.*
5 *Forma quid sit, & vnde desumitur.*
7 *Alueum esse relictum ab hyberno tempore coarguendum est, nisi fluminis consuetudo repugnet, & nu. 8.*
9 *Flumen Turbido septenis alternis annis fluit, & occultatur.*
11 *Aluei relicti qualis esse petitio debeat.*
12 *Possessione ciuili amissa, inde amissam etiā naturalem fore, non sēp arguitur.*

CAPVT XIII.

1 RECEDENTE flumine, alueus, † qui publicus fuerat, priuati iuris incipit esse: & acquiritur vicinis possessorib^9. l. adeo. §. quod si toto. de Acq. rer. dom. l. 1. §. simili modo. de Flumin. & licèt flumini publico amplius non deseruiat; vt res tamen facilius intelligatur, aluei nomine adhuc appellari solet, quod pariter obseruatū est

2 de insula, vt in l. insula. in fi. de Acq. rer. dom. Certum est autem, † si toto simul alueo naturali relicto, flumen aliā fluere cœperit, solum illud iure, & appellatione relicti aluei, de quo nunc agitur, venire, atque censeri, vt est tex. in eo. §. quod si toto. & per eum Bar. in Tyb. Par. 3. super verbis, *qui propè ripam.* idem etiam censeo, si partem aluei, quantumcunque sit, per impetum simpliciter recedendo ab alterutra ripa reliquerit: quod & Bart. placuit in ead. Tyb. Par. 1. in verbo *Flumen*, propè finem. Quòd si partes non simpliciter relictas solùm, sed eminentes iā ex alluuie super alueū, vt plerūq;, per impetū nō paulatim flumē dimiserit: alluuionis appellatione laxiori, incrementū hoc censebitur, & appellabit; vt ex Corneo in cōs. 191. li. 3. nū. 10. superius in c. 3. diximus.

idemq; censuimus de alueo paulatim, more quasi alluuionis, relicto.

¶ His consequens est dicere, quando, † & ex quibus alueus verè, & perfectè relictus apparere potest. requiritur enim, si vicinis cedere, & acquiri debet, vt sit perfectè relictus à flumine, vt inquit, & rectè Bart. in Tyb. Par. 3. super verbo *relicto* in princ. Cum igitur alueorum incrementa non priùs nobis acquirantur, quàm iuris esse publici desierint. l. 1. §. simili modo. ibi. *Certè desinit esse publicus*. de Flumin. l. adeo. §. quòd si toto. de Acq. rer. dom. in primis videamus, quæ propria forma sit aluei publici; ea enim perempta, à iure publico ad priuatú transferri alueum, necesse est. Scitum † est namque, & vulgatum illud Marcelli, de quo Vlp. in l. Iulianus scribit. §. si quis rem. Ad exhiben. mutata forma, interimi substantiam, vel statum rei. Forma † porro est status perfectus rei, vt inquit Bal. in l. si plures. nu. 12. C. de Condit. inser. de qua ratio redditur per accidentia, & operationes. quoniam forma substantialis cuiusque rei est inuisibilis, vt ex Aristotele in primo de Anima Baldus tradit in Rubr. de Rer. diuis. nu. 33. & hæc probatio est ab effectu, & probatio de sensu sumpta, ideo optima: nam quærere rationem, vbi habemus sensum, est infirmitas intellectus secundùm eundé Baldum. Forma igitur in rebus præsertim inanimatis ea dicatur esse, quæ ab accidentibus, & operationibus consuetis resultans specialem illis tribuit appellationem; qua denominatione amissa, res dicitur mutari, & in aliam transire speciem. Hinc dicitur rerum vocabula, & appellationes esse immutabiles. l. si quis in fundi vocabulo de Leg. 1. vnde data mutatione res alia videtur. l. Seia. §. fi. de Auro, & arg. leg. Hinc est, si vinum & mel, aut si aurum & argentum confundũtur: cum amittant propria accidentia, & consuetas operationes; amittunt etiam propriam formam, & appellationem, & in aliam speciem transeunt. ex vino enim & melle mustum, & ex auro & argento fit electrum, vt in. §. si duorum. vers. sed & si. Instit. de Rer. diuis. hæc ex Bart. in Tyb. Par. 3. super verbis *stricta ratione*.

Cum itaque alueus quisque ideo publicus sit; quoniam deseruit flumini publico, vt habetur in illis. §. quod si toto. &. §. simili modo: Publicum verò flumen sit, quod perenne est. l. 1. in princ. de Flumin. si igitur † adeo exaruit flumen, vt non sit amplius perenne, quod ait Bal. in ea Rub. nu. 28. nec vsui publico, cui ante deseruierat, non potest in futurum esse aptum, & opportunum, vt idem Bal. in simili distinguit flumen priuatum à publico in l. item lapilli. nu. 5. de Rer. diuis. & circuncolentium existimatione, nomen amiserit, vt ait Bart. in Tyber. Par. 3. in verbo *relicto*. arg. l. 1. in prin. de Flum. ab eo tempore alueus

3

4

5

6

de publico priuatus incipit esse, & perfectè relictus haberi. recesserunt enim illa accidentia, quæ eum sub publici iuris appellatione retinebant; & forma ob id mutata, aliud incipit esse.

¶ Sed à qua potissimùm anni tempestate, alueum perfectè relictum certò arguere poterimus? Quemadmodum diximus aliàs, alueum, & fluminis cursum ab æstiuo tempore desumi, & cognosci oportere; æstatis autem, non instantis, sed superioris secundùm Vlp. in l. 1. Ne quid in flum. pub. ab ordine conuerso dicamus, alueum † esse relictum ab eodem hyberno tempore coarguendum. Nam si ea tempestate derelictus est; qua non solùm naturalem alueum flumina operire, sed ruptis aggeribus etiam, arua latè depopulari mos est; reliquis præterea temporibus multò magis relictum futurum esse, credendum erit. vt ita argumentatus est Bart. in Tyb. Par. 3. super verbo illo *relicto*.

7

Sicut autem in indagando fluminis cursu naturali, diximus in cap. 12. æstatem incipere primo vere, & per semestris temporis spacium autumnali tempestate finiri: ita è contrario hyemē ab autumno exordium sumere, & initio veris terminari, iusta ratione possumus arbitrari. arg. l. 1. §. is autem. Nequid in flum. publi. & l. 1. §. æstatem. de Aqua cotid. & æstiua.

¶ Hæc omnia quidem vera sunt, attenta generali fluminum natura. quandoque † tamen conuersa ratio debet iniri, vt pro hyemali æstiuum tempus consideretur; si ea fluminis sit natura, vt per æstatem tumidus exæstuet, per hyemem verò plerunque exarescat. cuiusmodi Athesim esse in agro Veronensi refert Cepol. de Seruitut. cap. de Alueo in fi. ab aquis niualibus incrementum accipientem; & eò maius, quò ardentiores sunt dies. Quocirca videtur Nili naturam habere, qui circa æstiuum solstitium mirum in modum augetur, vt scribit Diod. Sicul. Rer. antiq. lib. 1. cap. 4.

8

¶ Quod diximus etiam, an alueus sit relictus; à priori hyeme, non instanti argumentum esse sumendum: quandoque ab vlteriori tempore coniectandum est propter diuersas fluminum naturas. exemplo sit Turbido † in Nursinorum agro flumen notissimum ex Bart. super eo verbo *relicto*, quod (inquit ille) septenis alternis annis & fluere, & occultari consueuit. Alueus ergo illius per septennium exsiccatus existens, derelictus non poterit dici: quoniam elapso vnoquoque septennio, consuetudinem reuertendi habet ab immemorabili iam tempore, arg. l. naturalem. §. Pauonum. de Rer. diuisione.

9

¶ Huic conueniens est asserere, si flumen ex causa aliò sit deriuatū, vt rursus in priorem alueum remitteretur, alueum nequaquam relictū

dici

dici posse:iuris enim publici interim permanet. Quod Gothos fecisse legimus in flumine Bisuntio apud Consentiam; vt eò Alaricum eorũ ducem, & Romanæ vrbis secundum victorem conderent cum magna auri, & argenti vi. Quod & Traiani temporibus multò ante, Decebalum Dacorum regem, quem imperator bello persequebatur, fecisse scribit Dion in vita Traiani. Subter vada etenim Sargetiæ amnis captiuorum manibus aliò deriuati, regios thesauros occultasse tradidit, & omnes, qui facti conscij erant, occidi iussisse. Vnus autem Biculis nomine ex captiuis, qui euasit, Traiano rem gestam indicauit.

¶ Non est autem silentio prætereundum, nihil interesse, vt alueus † relictus dicatur, an flumen aliò fluere cœperit, an penitus defecerit, vt nusquàm fluat. quod sepè accidisse legimus, & præsertim apud Dionem in eadem vita Traiani. qui inter cætera, quæ ab immani atrocis terræmotus vi contigerunt Antiochiæ, dum ibi Traianus ageret: fluuios etiam quosdam penitus defecisse, commemorat. Nihil itaque refert, quomodocunque alueus exsiccetur: prout inquit Bart. in Tyb. Par. 3. super verbis *fluere cœperit*. cui hucusque assentior. 10

Quod autem ait præterea, huiuscemodi incrementum vendicanti, si in libello † primùm exprimat, alueum à flumine derelictum, & flumen deinde alio fluere cœpisse: ei ad victoriam sufficere, si tantummodo, alueum esse relictum, probet. Quòd si primò dixerit, flumen aliò fluere cœpisse, dein alueum esse relictum: vtrunque probandum esse. quoniam (inquit ille) potest accidere, vt per duo loca flumen fluat, & vtrobique nomen retineat, vt in Pado apud Ferrariam licet animaduertere: & hæc argumento eorum, quæ de amissione possessionis probanda ait Glos. 1. in l. quemadmodum. ibi. *Sed dic duo necessaria, si à corpore incipias, si ab animo, illud vnũ sufficit*. de Acquir. possess. similis Glos. in l. ferè. 2. de Reg. iur. Quod ad hoc vltimum attinet, inquam, ab eo dissentio; & quomodocunque concipiatur libellus, hoc solùm probandum puto, alueum esse relictum. Certum est enim ex superioribus, quòd ille demùm alueus perfectè relictus probatur esse, qui adeo exaruit, vt fluminis nomen amiserit, nec amplius vsui publico deseruire potest. Quid ergo dubitari potest, si non probetur, etiam flumen alio fluere cœpisse: ne credatur vtrobique & in nouo, & in priore alueo nomen adhuc fluminis retineri, si iam ante probatum fuerit alueum adeo relictum, vt exaruerit, & fluminis in eo nomen cessauerit? 11

Quod pertinet ad annotata in l. quemadmodum, & l. ferè, non obstare prædictis censeo. quoniam generaliter verum est, ad hoc vt dicatur alueus esse derelictus, non considerari aliò ne, an nusquam flu- 1

men fluat,vt dixi: quò ad amissionem verò possessionis probandam, non semper † verum est, eum qui desijt animo possidere, cum ciuili naturalem quoque possessionem amisisse: potest enim esse, vt & à domino ciuilis amittatur, vti si vi deiectus sit; naturalis autem ab eo per colonum retineatur, per quos ferè semper possidemus. hæc probantur. in l. peregre. §. fin. vers. eius verò. ibi. *non aliter amittit.* de Acquir. possess. Gloss. not. in l. 1. §. non autem alij, vbi Bar. nu. 2. de Vi & vi arm. Alex. apertè probat. in l. 3. §. in amittenda. nu. 5. vers. vnde quarto dicit Glos. de Acquir. possess. ideo cum ciuili possessione amissa, naturalē amissam non semper consequatur: meritò qui dixerit, quem piam animo, & corpore desijsse possidere; vtrumque probare oportebit. Sed qui probat alueum perfectè relictum, hoc probato simul etiam vel flumen aliò fluere, vel penitus defecisse, necessariò probatum est. nam vt alibi diximus ex Baldo in Rub. de Rer. diuis. nu. 22. sufficit in vnaquaque re probare principia, ex quibus aliud necessario inferatur. ex diuersis ergo haud rectè argumentatus est Bart. vulg. l. Papinianus. de Min. cū similibus.

ARGVMENTVM.

¶ De insulis.

SVMMAE.

1 *Insula est terra, quæ aquis undiq; clauditur, siue maritima, siue fluuiatilis sit.*
2 *Insula alio nomine dicitur Mediamnis Latinè, Græcè autem* μεσοποτάμιος.
3 *Insula in mari nata fit occupantis.*
4 *Rarò accidisse quid dicatur.*
5 *Insulæ plures in mari natæ recensentur.*
6 *Insulas quinque modis fieri contingit.*
7 *Ager, qui aluei non fuit, & si in insulæ formam redigatur, eius permanet, cuius & fuit.*
8 *Insulæ mobiles publicis iuris sunt, sicut & ipsum flumen.*
9 *Insula hominis artificio contingens, à naturalibus non differt, & cuiq; proximiori acquiritur.*
10 *Insula quando perfectè nata dici poterit, & nu. 11.*

CAPVT XIIII.

SED satis iam ripis adnauigauimus: ad interiora tandem insularum incrementa vela dare audeamus. Insula igitur dicitur † terra, quæ vndique aquis clauditur. vt ait etiam Glos. in §. insula.

Institut. de Rer.diuis.propriè autem in mari; vnde quidam à salo appellatas insulas volunt, quod in salo, idest mari sitæ sint. de his maritimis habetur in l.insulæ. de Iudic.in l. Cæsar. de Publican. & in l. nostionem. de Verb.sign.insulæ tamen nullo discrimine vocantur etiam illæ, quæ flumine, vel lacu ambiuntur. de Fluuialibus Caius in l.adeo. §.insula. in l.insula. de Acq. rer. dom. & sæpius, eo titulo. de lacuum insulis Cic. pro Milone. insula est in lacu Pretio. Insula fluuialis alio nomine Mediamnis † nuncupatur, & μεσοποτάμιος græcè. vnde Mesopotamia dicitur regio maioris Asiæ inter Eufratem, & Tigrim fluuios notissimos, μέσος enim medium sonat, ποταμὸς fluuium.

¶ Insulæ † quæ in mari nascuntur, quod rarò accidit, occupantis fiunt: nullius enim esse creduntur, vt ait Caius in eo. §. insula. Rarò accidisse id putat Bart. in Tyb. Par. 2. in prin. quod semel, aut bis accidit. l.nam ad ea. cum.l.seq. de Legib. Sed hæc interpretatio explodenda est ab illis verbis: si hoc enim voluit Caius, cur in iure de his insulis statuit, vt occupantis fiant, contra l. nam ad ea. & seq. vbi etiam non raro, sed perrarò legitur. Raro † igitur id accipe contingere, quod non frequenter, sæpè tamen accidisse, memoratum est. Quod de insulis maritimis † vtique prædicari potest. Anno enim ab vrbe condita 542. vel vt alij supputant, 556. in initio belli, quod Populus Romanus gessit contra Philippum Regem Macedonũ, duce T. Quintio Flaminio Consule, narrat Iustinus lib. 30. inter insulas Theramenem, & Therasiam, in medio vtriusque ripæ, & maris spatio, terræmotum fuisse, in quo cum admiratione nauigantium, repente ex profundo, cum aquis calidis insula emersit. quo prodigio territis omnibus, Vates cecinere, oriens Romanum imperium, vetus Græcorum, ac Macedonum voraturum. de hac etiam insula scripsit Euseb. in libro de Temporibus, eamq; fuisse stadiorum triginta. Et præterea iuxta Theram, aliam enatam fuisse inquit Olympiade 145. Liuius quoque lib. 4. Decadis. 4. extremò memorat, M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone Consulibus, anno ab vrbe condita 571. propè Siciliam insulam nunquam antea visam apparuisse. Item Delos insula maris Aegei, Cycladum omnium Apollinis præsertim, & Dianæ ortu olim celeberrima, ex eo quod antea incognita, repente sese ostenderit, ab Aristotele eo nomine appellata dicitur, ἀπὸ τοῦ δηλῶ, vt refert Plin. lib. 4. cap. 12. qui de nonnullis alijs insulis enatis scripsit præterea lib. 2 cap. 87. vt iam sæpius hoc accidisse, liberum sit affirmare. Sed hæc omittamus, quæ vt obiter dicta, sufficiant. ad insulas fluuiatiles redeo.

6 ¶ Tribus modis † vt Pomponius ait in l. ergo. §. tribus. de Acquir. rer. dom. insula in flumine fit; vno modo, cùm agrum, qui aluei non fuit, amnis circumfluit; altero, cùm locum, qui aluei esset, siccum reliquit, & circumfluere cœpit; tertio, cùm paulatim coalluendo locum eminentem supra alueum fecit, & eum alluendo auxit. Duobus posterioribus modis, priuata insula fit eius, cuius ager propior fuerat, cum primùm extitit. Primo autem † illo modo; caussa proprietatis non mutatur. vt & Caius ait in l. adeo. § insula. vers. quòd si ex vno. de Acq. rer. dom. quòd ager, qui à duobus riuis comprehensus in formam insulæ redactus est, eius est scilicet, cuius & fuit; quod etiam habetur in l. 1. §. item si amnis. de Flumin. Et de huiuscemodi insula intelligi potest illud Cic. de orat. lib. 1. vbi inter cæteras iuris partes enumerat alluuionum, & circumluuionum iura; quoniam circumalluendo, circumfluendòue efficitur hæc insula.

7

Quartum præterea modum addo ex Pauli sententia in l. si epistolã. §. pen. de Acquir. rer. dom. cum insula non ipso alueo fluminis adhærens nascitur: sed virgultis, aut qualibet alia leui materia ita sustinetur in flumine, vt solum eius non tangat; atque ipsa mouetur, & supernatans huc, & illud impellitur. Quales in lacunis agri Patauini extare inquit Cepoll. de Seruit. cap. de insula; & in Vadimonis lacu in Vmbria non procul ab Ameria insulam nemorosam extare refert Plin. lib. 2. cap. 95. quæ nunquam diu, ac noctu eodem visitur loco. de qua re Plin. iun. & ipse scripsit in epistolis. Huiuscemodi autem insula † nulli acquiritur; sed propemodum publica est, vti quæ ipsius fluminis est insula; vt idem Paulus ait.

8

Quintus addi potest modus ex Bartoli sententia in Tyb. Par. 2. super verbis. *in flumine nata.* in fin. cum non vi fluminis sola, sed humano artificio intercedente fit insula. quam eodem † iure censeri scribit, ac si vi fluminis contingeret; scilicet vt prædia vicina possidentibus ipso iure acquiratur iuxta normam. l. adeo. §. insula. Eod. motus est autem Bart. arg. eius. l. si epistolam. §. fin. in illis verbis. *Quod in publico natum, aut ædificatum est.* de quorum sensu superius in cap. 9. abundè diximus.

9

¶ Quærendum superest, quando terra in flumine nata, & aquis circumfusa poterit insulæ † vero nomine appellari; adeo vt vicinis possessoribus acquiratur. Respondit & rectè Bart. in illis verbis. *in flumine nata* tum illud futurum; cum opinione circuncolentium insula incipiet reputari, arg. l. 1. in princ. de Flumin. quoniam principium, cum incipit apparere, non esse considerandum arguunt verba præteriti temporis super hoc prolata; nam Caius ait in eo. §. insula. *nata*, non na-

10

scitura,

ſcitura, & Pomponius in eo.§. tribus. inquit, ***cum primùm extiterit*** quod perfectum ſignificat, cùm ſit futurum ſubiunctiui. l. 1. §. hæc autem verba. ibi. ***Verbum ſtatuerit rem perfectã ſignificat.*** Quod quiſque iur. &c. & hoc paſſim legitur in eo tit. de Acquir.rer.dom.

Quod ait præterea Bart. natam tum verè, & ſine dubio dici poſſe inſulam, ſi priore æſtate ſic ſteterit, quoniam ante poſſet dubitari, an eſſet inſula, an locus propter æſtum exſiccatus, vt ſolet per æſtatem contingere, & hoc aſſerit ſumpto arg.l. 1. §. is autem. Ne quid in flum. pub. Hic Bartolum hallucinatum apertiſſimè conſtat, ſi locus ille eiuſdem Bart. adeatur, qui in Tyb. Par. 3. ſuper verbo ***relicto*** legitur, de quo nos Capite proximè ſuperiori ad finem diximus. Magis enim eſt, vt tempus † hybernum, quod obſeruari dictum fuit ad coarguendum, alueum fluminis perfectè relictum fuiſſe: illud pariter obſeruandum veniat, cum quæritur, ſit necne inſula perfectè nata. Quoniam ſi priori hyeme ſupereminuit inſula in maxima aquarum vi, quæ eo tempore ſolet eſſe; ergo multò magis æſtiuo tempore ſicca, & ab aquarum inundatione libera permanſura eſt. Quo enim modo certa poteſt elici probatio ab eo, quod priori æſtate ſicca inſula permanſit; vt ſit in futurum permanſura: ſi æſtate flumina perennia quandoque exareſcere, ſcriptum legimus in l. 1. in princ. de Flum. In conſtituendo igitur, an inſula ſit adeo à fluminis poteſtate libera, vt vicinis poſſeſſoribus acquiratur; hybernum ſemeſtre, ſicut in alueo, attendendum dicamus. 11

ARGVMENTVM.

¶ De fluminum publicorum cognitione, in quibus ius alluuionis agnoſcitur.

SVMMAE.

1. *Flumina tantummodo publica ius habent alluuionis.*
2. *Ius alluuionis in priuatis fluminibus non agnoſcitur, ratio eſt, vt nu. 20.*
3. *Fluminis nomen eſt generale ad omnes aquarum congregationes.*
4. *Flumina quædam Regalia ſunt, quædam Tributaria; ex iis quædam perennia, quædam torrentia.*
5. *Flumen publicum eſt, quod perenne eſt. & nu. 14.*
6. *Flumen ſimpliciter poſitum, vt publici iuris ſemper accipitur.*
7. *Lacus, Stagnum, Palus, Riuus, Foſſa, & Fons rem priuati potius, quàm publici iuris ſignificant, publica tamen eſſe poſſunt.*
8. *Publicum duobus modis accipitur, vt illud, quod in pecunia populi eſt, inter-*

dum

dum pro eo, quod in vsu publico est.

9 *Priuatum duobus quoque modis accipitur, interdum pro eo, quod opponitur publico, idest quod non est aptum vsui publico.*

10 *Priuatum interdum dicitur eo sensu, quo proprium.*

11 *Priuata dici possunt litora, & quæcunque alia, quæ sunt iuris publici, idest propria.*

12 *Flumina, et cætera publica sunt priuata, idest propria vniuersè populi Rom. vel Cæsaris, & propriè cuiuslibet populi tam proprietatis ratione, quàm iurisdictionis.*

13 *Flumen omne nauigabile semper est publicum.*

15 *Perenne dicitur, si perpetuam habet causam fluendi, seu si plerunque fluit.*

16 *Flumen publicum arguitur ex magnitudine, & circuncolentium existimatione.*

17 *Flumen est publicum, cuius vsus est publicus.*

18 *Vsus publicus ex quibus cognoscatur.*

19 *Flumen priuatum dicetur, cui ea desunt, quæ publico flumini attribuuntur.*

CAPVT XV.

DE alluuione, alueo, & insula, quæ vi fluminum nobis quæruntur, si ea ius alluuionis habeant; & de ipso alluuionis iure, satis superq; (sic arbitror) tractatum est. vt sperem, multiplicem eorum vocabulorum appellationem hucusque ferè incognitam, itemq; certam, & statam ipsorum incrementorum notionem, & iuris alluuialis naturam, in posterum vnicuique cognitam, & exploratam esse futuram. Consequens est, vt videamus quæ flumina alluuionis ius habere, dicuntur. In publicis itaque fluminibus † ius alluuionis tantùm agnoscitur. quod probatur ex l. adeo. §. præterea. §. insula. &. §. quòd si toto. de Acq. rer. dom. flumen enim, quod per alluuionem addere fundo nostro; & insulam in eo natam nobis acquiri; & alueum ab eodem relictum ad nos pertinere iure alluuionis dixerat Caius: quale esset id flumen, tandem aperuit in vers. nouus autem, eius. §. quòd si toto. idq; esse publici iuris gentium pronunciauit. Et hoc placuit Bart. in Tybe. Par. 1. in verbo *flumen.* in princ. adde l. ergo. §. alluuio. ibi. *flumina enim, &c.* vsque in finem. Eodem. Flumen † autem, quod priuati iuris erit, alluuionem non habebit. l. lacus, & stagna. Eod. vt ibi annotauit Accursius. adde l. vicinus. §. fin. de Aqu. plu. arcen.

¶ Sed quæ pro publicis, & quæ pro priuatis fluminibus in iure haberi, & accipi debeant; certam, & determinatam tradere doctrinam

hoc opus, hic labor est. flumen † hic intelligo generaliter pro quauis aquarum congregatione, prout sub hac appellatione legitur in l. 1. §. denique ait. de Aqua plu. arcen. Quę aquarum congregationes in iure varia, & diuersa nomina acceperunt, prout eorum varia est, & diuersa natura, effectusq; difformes. Inter cætera vocabula hæc celebrantur, Flumen, LacusStagnum, Palus, Riuus, Fossa, & Fons. Fluminum † alia Regalia, alia Tributaria. Regalia dicuntur maiora flumina, vt Padus, Tyberis, Rodanus, & Rhenus, quæ minorum fluuiorum aquis in se receptis in mare defluunt. Tributaria sunt minora flumina, quorum aquis Regalia incrementũ accipiunt. Ex his quędam sunt perennia, quędam torrentia; quæ perennia sunt, semper publica sunt: nam flumen † publicum esse Cassius definit, quod perenne est. vt inquit Vlp. in l. 1. in princ. de Flumin. & generaliter, & propriè loquendo, fluminis appellatio semper de publico flumine intelligitur: quod apertè pronuntiauit Martianus in l. nemo. in fi. de Rer. diuis. vbi ait; Flumina penè omnia publica sunt. si penè omnia, ergo id generaliter, & regulariter est: vnde in l. inter eos. in l. ergo, & in l. Martius. de Acquir. rer. dom. & passim eo titulo flumen simpliciter positum, † de publico semper intelligitur. Et hoc vulgari apud nos appellatione receptum nemo dubitat: quæ in similibus principem locum sibi vendicat, vt dicitur in princ. eius. l. 1. de Flumin. Quapropter si in quopiã instrumento pro confinio legatur flumen, in dubio pro publico accipiendum ait Berous in cons. 140. nu. 16. lib. 3. & qui contrarium contendit, illi onus probandi incumbet. Cætera † autem aquarum vocabula rem priuati potiùs, quàm publici iuris significant. de Lacu, & Stagno præcipuus est textus in l. lacus, & stagna. de Acquir. rer. dom. de Paludibus in l. fi. §. fi. C. de Alluuion. & palud. de Riuo apertissimè dicit Vlpianus in ea l. 1. vbi flumini publico Riuum opponit. de Fossa idem Vlp. in l. 1. §. Fossa. vt in flum. publ. nauiga. lic. de Fonte postremo constat ex toto tit. de Fonte. Lacus porrò est, qui perpetuam habet aquam. Stagnum, quod temporalem continet aquam ibi stagnantem, quæ quidem aqua hyeme plerunque colligitur. Fossa est receptaculum aquæ manufactum, à fodiendo dicta. hæc Vlpianus in l. 1. Vt in flum. pub. nauig. liceat. Riuus est locus per longitudinem depressus, quo aqua currat, vt dicitur in l. 1. de Riuis. Possunt autem hæc etiam publica esse, vt in l. 1. Vt in flum. pub. de Lacu præcipuus est textus in l. litus. in fi. de Verb. signif. de Fossa in l. 1. §. si fossa. de Flumin. Cùm igitur publica erunt, in illis quoque ius alluuionis locũ habebit. vt inquit Bart. in Tyb. Par. 1. super verbo *Flumen*. in fi.

3
4
5
6
7

¶ Sed iam dicamus, quomodo publicum esse flumen, seu priuatum in iure sumatur, & quibus ex modis, & rebus id cognoscatur. Publicum † igitur ex Celso in l. sed Celsus. in prin. de Contr. empt. duobus modis accipitur. Interdum vt illud quod in pecunia populi est. l. quod in litore. de Acqu. rer. dom. l. inter publica. de Verbo. signif. Interdum pro eo, quod in vsu publico est. ita per eam l. sed Celsus. Bart. distinxit super illo verbo *flumen*. Secundùm primam appellationem omnia flumina, & omnes aquæ, quocunque vocabulo veniant, alioquin priuati iuris, publicæ dici possunt: vti quæ sunt in patrimonio publico alicuius municipij: vt de Lacu Perusino ait ibidem Bart. Sed hæc nihil à cæteris rebus priuatis differunt, vt videre est ex ea. l. sed Celsus, addita l. 1. ibi. *nihil enim interest*. de Flumin. ideo flumina hoc modo publica ius alluuionis non habere, dicendum est.

Ex diuerso priuatum † quoque duobus modis accipitur; interdum pro eo, quod opponitur publico, idest quod non est aptum vsui publico. quo sensu dicimus, Lacus, Riuos, & Stagna esse priuata. quo sensu quoque accipit Bald. in l. item lapilli. nu. 5. de Rer. diuis. Interdũ vt priuatum † sit idem, quod proprium, vt in l. si vnus. §. pacta quæ. in fin. de Pact. addo l. 2. §. 1. ibi. *Res enim fiscales quasi propriæ, & priuatæ*. Ne quid in loco pub. ita distinxit Ias. in l. quominus. nu. 37. de Flumi. & post eum Ripa nu. 1. Quæ distinctio annotanda est; quanti enim facienda sit, in resolutione difficillimæ quæstionis inferius agnosci poterit. Secundùm hanc appellationem litora, † & quæcunque alia iuris publici, priuata idest propria vniuersè Populi Rom. vel Cæsaris; & propriè cuiuslibet populi sunt, non solùm † ratione iurisdictionis, & imperij, sed etiam proprietatis, vt in l. litora. Ne quid in loco pub. vbi doctè, & apertè ex eo textu hoc probat Iacobus de Arena conciuis noster, laudatissimus præconio Bartoli. Vnde in litore nemo sine licentia populi dominantis potest ædificare. l. quamuis. de Acquir. rer. dom. Item quoque Bart. in Tyb. Par. 3. in verbo *publici iuris gentium* inquit, loca huiuscemodi esse in dominio eius, qui ibi tenet imperiũ; quod inde arguitur, quoniam soli Principi super his disponere permittitur. l. continuus. §. cum qui. de Verb. oblig. l. sed Celsus. de Contr. empt. l. quominus. de Flumin. Nuncupatim autẽ de fluminibus hoc ius statuit Bal. in l. si plures. nu. 13. C. de Cond. inser. argumẽto litorũ, & quæ de illis dixit Iacob. de Arena. Vt flumina, cum sint de Regalibus. c. 1. Quæ sint Regal. vniuersali dominio sint Cæsaris; proprio verò sint in dominio cuiusque ciuitatis, in cuius regione labuntur; si Regalia habeat, vti ciuitates ferè omnes Lombardiæ, quæ vel vi pacis

Constantiæ,

Constantiæ, vel immemorabilis temporis consuetudine hæc iura, & merum mixtumq; imperium sibi vendicarunt. quod ait Cep. de Seruit. cap. de Flumin. publ. col. 1. ob Glos. in §. iusiurandum. in Authen. de Defensor. ciuit. & Baldi auctoritatem in c. 1. in prin. de Pace tenen.

Hinc, quoniã proprietas fluminis est in dominio Principis, Vecti galium, Portuum, & Pedagiorum prouentus, Hinc procedunt conces siones ædificandi in flumine, aquam extrahendi, & similium, vt dicitur in l. quominus. de Flumin. Hinc flumina auertendi facultatem, & iuris alluuionis adimendi potestatem à solo Principis nutu pendere diximus in cap. 11. & 10. Proprietas igitur fluminum publicorum est Cæsaris, aut ciuitatum, in quarum territorio labuntur, vt dixi, & probat Ang. in l. fluminum. de Damn. inf. & Berous in cons. 140. lib. 3. & hoc modo publica flumina, priuata, idest propria cuiuslibet ciuitatis dici possunt; quæ nihilominus ius alluuionis habent. Aliàs frustra de incrementis fluuiaticis quæreretur, cum omnia flumina publica, vt dictum est, sint vel in dominio Cæsaris, vel Principum, & cuiusque Ciuitatis.

¶ Sed dicamus tãdem quo modo, & qua ex re flumen esse publicũ, discerni potest. Quinque præsertim modis cognoscitur flumen esse publicum; si sit Nauigabile, si Perenne, aut ex Magnitudine, aut ex Communi, & publico vsu, vltimo per circuncolentium existimationem. Si flumen sit nauigabile, † siue mediatè, siue immediatè (idem est enim) semper publicum esse, nemo dubitat, textus est in l. quominus. de Flumin. & in l. 1. in prin. Ne quid in flumi. publ. Publicũ † quoque esse, ex eo probari, si perenne sit; inde patet: cum nihil aliud sit publicum flumen, quàm flumen perenne. l. 1. de Flumin. Perenne † autem ita intelligas, si perpetuam habet causam fluendi, idest quod plerunque fluit, licèt quandoque exarescat. Ait enim Vlp. in ea l. 1. si aliqua æstate exaruerit, quod alioquin perenne fluebat, non ideo minus perenne est. Sicut simili modo ripa determinatur illic ab assueto, & naturali rigore: nec minus esse ripa definit, licèt interdum imbribus, vel alio casu flumen excrescat, & latissimè vagetur. ita arguit, & conclu dit eo loco Accursius, & rectè. quem sequuntur omnes, Faber, & Porcius in. §. flumina. Institut. de Rer. diuis. Berous in cons. 140. num. 17. lib. 3. Gherard. Mazol. in cons. 4. nu. 12. & 143. Quod igitur nauigabile, aut perenne plerunque fuerit, id flumen publicum erit, vt in agro Parmensi Padus, Tarus, Parma, & inter cætera Stironis torrens, qui in Tarum influit, ab Apennino procedens: & quoddam meum prædiolum è duobus lateribus in Carezeti pago præterfluit, dictus Stiro ἀπὸ τῶ

13 14 15

στάγω vti qui steriles reddat agros, quos inundarit.

¶ Hic autem Pagus subest ditioni Soraneæ insignis oppidi vbertate soli, & antiquissimæ Luporum familiç dominatu peruetusto fœlicissimi. ex qua DEIPHOBVM Marchionem illustrissimum, & adhuc colimus, & superstitẽ per plures annos colere nos posse speramus. Huic paruulus est Nepos ex IO. PAVLO primogenito immatura morte sublato, atque ex ISABELLA totius nobilissimi stemmatis Pallauicini, mulierumq; præterea omnium prudentissima genitus, nomen patris referens: quem præclara vtriusque generis decora & relaturum, & superaturum esse certam spem concipimus. Sed eò reuertatur oratio nostra, vnde digressa est, vt viro præstantissimo, & mulieri celeberrimæ mei propemodum amantissimis hasce grates, qualescũque futurç sint, persoluerem.

16 Quod igitur ad magnitudinem † attinet, & circuncolentium existimationem, clarus est textus in ca l. 1. in prin. de Flumin. vbi flumen publicum, ait Vlpianus, à Riuo magnitudine discernendum est, vel existimatione circũcolentium. 17 De vsu † publico, quis dubitat probato vsu fluminis communi & publico, publicum esse flumen eo probatum iri? cum flumen publicum rectè dici nequeat, cuius vsus non sit publicus. l. fluminum. de Dam. infect. l. 2. §. 1. ibi. *loca enim publica*. Ne quid in flu. publ. 18 Vsus † autem fluminis publicus arguitur ex publica, & indifferenti omnium piscatione. §. flumina. Institut. de Rer. diuis. vel si palàm à quouis fuerit ex eo ducta aqua. l. quominus. de Flumin. aut si cuilibet liceat ex flumine aquam, arenã, siue sabulum, aut lapides calcis faciendæ gratia, vel ad ædificium construendum extrahere. vt hoc probatur ex ijs, quæ ait Gloss. in l. item lapilli. de Rer. diuis. & eo loci Bal. de quare latè Berous in eo cons. 140. à nu. 8. vsque ad nu. 15. Flumina igitur publica, item stagna, lacus, torrentia etiam, riui quoque, & paludes publicæ dici, & cognosci ex supra dictis, & similibus poterunt.

19 Ex diuerso autem priuata, † & priuati iuris censebuntur, vbi signa ea defecerint. vnde Gloss. in. §. flumina. Institut. de Rer. diuis. flumina illa priuata dicit, quæ tam citò, & tam sçpe exarescunt, quàm crescunt: vt Rapon, & Meloncellũ (hi sunt duo riuuli in agro Bononiensi haud procul à porta, quam Saragotiam dicunt, Accursij sæpè, Bartoli, Baldi, & omnium ferè interpretum præconio decantatissimi.) Talia igitur flumina priuata sunt, & nihil à cæteris rebus priuatis differunt, vt habetur in l. 1. §. 2. de Flumin. ideo propria cuiusque, quatenus in suo labuntur: vt inquit Bal. in l. item lapilli. nu. 2. de Rer. diuis. & si in confinio sit, communis erit vicinorum. l. 2. §. præterea. ibi. *eam partem*, *quæ*

tibi

tibi accedat.de Aqua pluu.arcen.vbi Glo.apertè hoc ait.& Bart.in Tyb. Par.1.in verbo *agro*. nu.6.& super verbo *flumen*. in princ. Quapropter ius alluuionis non habent, nisi cum extra ripas vagati hi fluuij, vicina prædia limo obduxerint: id enim acquiritur iure propemodum alluuionis, veluti pinguedo terræ superioris, inferioribus prædijs super inducta.l.1.§.fi.de Aqua plu.arceu.& hoc ait Bart. in eo verbo *flumen*. num.2.

Cur autem alluuionis ius non habeant priuata flumina: ea est ratio: quoniam cum nihil à cæteris rebus priuatis differant, vt proximè diximus: ad similitudinem priuati hominis rediguntur. ideo ius censendi, & adiudicandi non habent, quod priuatis non competit. l. cum Prætor. in prin. de Iud. sed publicis personis, vt Censitoribus, vt inquit Bald. in Rub. de Rer. diuis. nu.21.& in l. nemo, ac Christof. Porc. in §. flumina. Instit. Eod.

ARGVMENTVM.

¶ De Censitoribus, quorum vice fungũtur flumina publica.

SVMMAE.

1. *Censitores qui fuerint secundùm nostros Doctores.*
2. *Hæc opinio reprobatur.*
3. *Agrimensorum antiquitus magna fuit, & iudiciaria potestas.*
4. *Censitores eosdem fuisse, quos Agrimensores censuit Cuiacius: qui refellitur. & nu.6.*
5. *Addico. verbum vnum est ex tribus prætorijs.*
7. *Censitores videntur fuisse Mensores, seu Conditores qui in deducendis colonijs agros per limites partiebantur.*
8. *Emendatior Lectio l. ergo. §. alluuio. de Acquir. rer. dom.*
9. *Conditorum potestas, & munus quod fuerit.*
10. *Censitores videntur conuenientius fuisse Auctores diuisionis assignationisq́ in deducendis colonijs.*
11. *Auctores hi qui fuerint, & quanta eorum potestas esset.*

CAPVT XVI.

DE Censitoribus opportunum est dicere, quorum (vt ait Pomponius in l.ergo.§.alluuio.de Acq.rer.dom.) vice funguntur flumina, quę alluuionem habere dicuntur. multi enim & magni effectus in iure ex interpretatione auctoritatis huius fluminibus attributæ sequuntur. Azo omnium primus in summa Institut. de Rer.

diuis. nu. 31. amplam adeo Censitoribus, & per hoc fluminibus attribuit potestatem, vt non iudicum modo, sed Principis quoque auctoritatem eis concesserit. interpretatur enim Censitores, idest iudices, vel potius Principes; vt sicuti iudex, & Imperator quandoque, & sæpè, quod vnius est alteri adiudicat, & tribuit vel iustè, vel iniustè, bonaue, vel mala fide (potuit allegare. l. Lucius. de Euiction.) ita fluminibus permissum putat ex priuato in publicum, & contra, addicere. Quod & Bart. placuit in Tyber. Par. 1. super verbo *acquiritur* nu. 4. Accursius autem in ea l. ergo. §. alluuio. Primo dixit Censitores eos esse, qui prædia militibus diuidunt, iuxta sanctionem. l. in agris. de Acq. rer. dom. Postea credidit eos esse, qui prædia tributaria illorum, qui tributa persoluere neglexerint, publicandi, & vendendi potestatem habent; de qua re dicitur in l. pen. de Rescind. vend. Tandem in hoc residet vt Censitores Iudices fuisse interpretetur: quibus & ipsis ex causa permissum est, ex alterius agro partem aliquam alteri adiudicare. §. fi. Institut. de Offi. iud. secundam Glos. interpretationem probat altera Glos. in Rub. C. de Censit. lib. 10. quam sequitur Iason in. cons. 146. lib. 2. vbi reprobat cæteras expositiones.

¶ Sed hæc nostratium interpretum commentationes, vel potius coniecturæ nimis incertæ, ac frigidæ videntur; nullumq; robur, in quo subsistant, habere, facilè deprehenduntur. & illud præcipuè dū in ea l. ergo. §. alluuio. Pomponium sensisse putant de illis Censitoribus, de quibus habetur in l. forma. de Censib. & tot. tit. C. de Censit. lib. 10. quorum etiam munus ignorarunt. Neque enim ea fuit Censitorū cura, vt ob non soluta tributa, prædia cuiusque publicarent, & distraherent: sed hoc ad Exactores tributorum pertinuit, vt habetur in l. 2. in fi. C. de Exactor. tribut. lib. 10. & in l. 1. C. de Capiend. & distrah. pign. trib. cau. lib. 10. adde. l. 2. C. Si propter pub. pensitat. Censitorum autem munus fuit; in censu ritè, & rectè peragendo, vt hos releuarent, illos ad maiores præstationes cogerent. hoc legitur in ipsa l. forma. Item illis ius fuit, agros desertos alijs assignare, qui tributis satisfacerent. l. si qui. C. de Fundo patrim. lib. 10. Quòd si ijdem fuissent Censitores, qui & Exactores tributorum, tamen quomodo ex priuato in publicum, & ex publico in priuatum addicerent, non legimus. Ex priuato enim in priuatum addixisse distrahendo vt supra, & ex priuato in publicum, agros negligentium ad ciuitatem, cui subessent, transferendo, tantummodo comperimus. vt legitur in l. fin. C. de Exact. trib. lib. 10.

¶ Ego itaque in tā obscura, & perturbata cognitione, certiora quæ-

dam, quæ legendis veterum libris excerpsi, in medium afferre, vtile futurum existimo. vt si tota res inde patere non poterit; minus saltem obscura in futurum videatur. Certum tamen nihil me velle constituere, profiteor.

Agrimensoris antiquitus magnam fuisse potestatem, & quicquid in finalibus controuersijs ille sanxisset iudicij auctoritatem habuisse constat ex Cassiodoro viro Consulari, & Theodorici Gothorũ Regis familiarissimo; vti qui ei Epistolarum magister esset. Is in lib. 3. Var. Epist. in penultima Epistola, de Agrimensoriæ artis nobilitate pluribus agit, atque in fine hæc verba scribit. *Agrimensori verò finiũ lis orta committitur, vt contentionum proteruitas abscindatur. Iudex est vtique artis suæ, forum ipsius agri deserti sunt. fanaticum credis, quem tortuosis semitis ambulare conspexeris. Indicia si quidem rerum inter syluas asperas, & dumeta perquirit. non ambulat iure communi: via illi est sua lectio. Ostendit quod dicit, probat quod didicit; gressibus suis concertantium iura discernit: & more vastissimi fluminis alijs spatia tollit, alijs rura concedit.* Hucusque Cassiodor. Hunc autem fluminum morem eleganter expressisse videtur Lucanus de Pado scribens.

Illos terra fugit dominos, his rura colonis
Accedunt donante Pado.

Ex his porro verbis Cassiodori Iacob. Cuiac. in Notis ad iiij. libros Institut. in. §. præterea. de Rer. diuis. super illis verbis *quòd si vis, &c.* Censitores hos eosdem, quos Agrimensores fuisse suspicatus est; quibus Censitoribus scimus à Pomponio vice versa flumina comparari in eo. §. alluuio. Quæ interpretatio licèt aliqua ratione conueniat; & quod ad iudiciariam facultatem pertinet, pro ea admodum facere videatur illud verbum in ipso. §. alluuio. *addicant* videlicet, vnum ex tribus Prætorijs, Do, Dico, Addico; de quibus Macrob. Saturnal. lib. 2. Omnis enim Iurisdictio Magistratuum Ordinariorum tribus illis verbis continebatur. Hinc Ouid. in Fastorum libro de Nefastis, & Fastis diebus sic cecinit.

Ille Nefastus erit, per quem tria verba silentur
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Do, ad actiones personales attinebat, cum actum erat, aliquem dare, facere oportere: Dico, ad rei vendicationem: Addico autem ad executionem, quæ etiam adiudicatio dicitur: vt hæc apud Alciatũ habentur in l. quinque pedum. nu. 62. C. finium regund.

Nihilominus hæc interpretatio penitus adhuc non satisfacit: neque enim ob id docemur, quomodo hi Agrimensores ex priuata in

publicum,& ex publico in priuatum addicerent: illud etenim alijs ſpatia auferre,alijs rura concedere,eſt de priuato priuatum tantummodo facere. Quapropter Romanæ antiquitatis penetralia interius,& diligentius adhuc perſcrutanda nobis veniunt,ſi aptiora rei huic inuenire intendimus. Sciendum eſt igitur deducendis in Colonias veteranis, & aſſignationibus agrorum præpoſitos, qui & Curatores agrarij dicti ſunt multos ſecum miniſtros habere conſueuiſſe, & præſertim Agrimenſores; vt conſtat ex ijs, quæ in ſequenti Capite pleniore ſtilo dicturum ſum; de his ergo menſoribus Pomponium intellexiſſe opinari poſſumus: quorum magna fuit auctoritas in agris, quin & territorijs transferendis,vt proximè dicturus ſum. Hi modo Menſores, interdũ Agrimenſores,ſæpè etiam Conditores nũcupantur apud Frontinum,Vrbicum,& Hygenum,& cæteros,qui de Limitibus,& Conditionibus agrorum ſcripſere. Quamobrem augurari,nec ab re fortaſſe,poſſumus rectiùs,& iuſtiùs in eo.§. alluuio. legendum eſſe in hunc modum. *Flumina enim Conditorum vice funguntur*, non *Cenſitorum*: de quibus nuſquam apud Frontinum,Flaccum, Hygenum, & cæteros, quibus de ijs Agrimenſoribus ſcribere contigit.facilis porrò eſt lapſus, & vicinũ vitium,vt ex voce Cõditorum librarius *Cenſitorum* ſcripſerit.

Horum Conditorum,Agrimenſorùmue magna(vt dixi)fuit poteſtas; ipſorumq́; in primis cura fuit,& munus, agrũ militibus aſſignandum in Centurias per Limites partiri. aſſignationis autem arbitrium ad Præpoſitos,& Curatores agrarios pertinuit. interdũ tamen & Agrimenſori facultas hæc attributa eſt: de qua re ſic ait Aggenus. *Si quid remanſit, in eius poteſtate profectò eſt, qui aſſignare potuit, hoc eſt qui accepit à Principe aſsignandi licentiam. Nam Agrimenſor omnis doctus Centurias delimitare poteſt,ac ſuis redintegrare Limitibus,aſsignare autem nullo modo poteſt,niſi ſacra fuerit præceptione firmatus.* hæc ille. In hac verò Centuriarum conſtitutione,Conditori liberum erat, loca, quæ libuiſſet,intra Perticam relinquere, nec ea limitibus includere, ſeu obligare. Perticam appello more Frontini,& cæterorum, totam diuiſionis formam, & ſolum vniuerſum; quodcunque coloniæ aſsignatum eſſet. Hi agri limitibus nõ obligati,loca relicta,dicebãtur,de quibus idem Frontinus hæc ait. *Relicta loca ſunt, quæ ſiue locorum iniquitate,ſiue arbitrio Conditoris relicta, limites minimè acceperunt*; *hæc ſunt iuris Subſeciuorum*. De his etiam Aggenus ſic ſcribit. *Relicta loca ſunt,quæ ſiue iniquitate locorum aſsignari nequiuerunt, ſiue voluntate Conditoris,ideſt Menſoris relicta limites minimè acceperunt*. Alia quoque loca extra limites, & Centuriationem,intra fines tamen territorij aſsignandi relinquere poterat, ſi ratio limitum hoc

poſceret,

posceret, aut si aliter ei videretur. Hic ager Extraclusus dicebatur, & non assignatus; ideoq; Extraclusus, quia vltra limites finitima linea claudeetur; vt inquit Frontinus.

Et in iure territorij transferendo, agnoscimus etiam, quanta fuerit Conditoris auctoritas ex libello Frontini de Limitibus in ea parte, vbi agit de controuersia super iure Territorij. is ita scribit.

Huius soli ius, quamuis habita ratione Diuus Augustinus de statu Municipiorum tractauerit, in proximas vrbes peruenire dicitur. quarum vrbium ex voluntate Conditoris maxima pars finium Coloniæ est attributa: aliqua portio mœnium extremæ Perticæ assignationis inclusa. sicut in Piceno fertur, inter montium Præcutianorum quandam oppidi partem Asculanorum fine circundari. De Conditore etiam in hæc verba scribit Hygenus, vbi agit de assignationibus, & sortitionibus. *Eodem exemplo & cæteras sortes assignare, agrum se secundum legem D. Augusti eatenus debebimus, qua falx & aratrum exierit, nisi ex hoc conditor aliquid immutauerit.*

En igitur quanta foret Mensoris tum potestas, & in agris limitandis, & centuriandis, atque in territorijs transferendis: vti qui poterat sua voluntate alterius Municipij territorium, quin & ipsius oppidi partem intra perticam includere. Vt hic ex priuato publicum, & ex publico publicum eos fecisse cognoscamus.

¶ Cæterum, quoniam nec hoc penitus satisfacit: Si nominis proprietas conueniret; possem iure hos Censitores eosdem fuisse, contendere, quos plerunque Siculus Flaccus Auctores diuisionis, atq; assignationis appellat: rei enim effectus optimè conuenit. de quibus habetur etiam apud cæteros, qui de Limitibus, & agrorum conditionibus scripsere, & ab illis dicuntur; *Hi qui assignare potuerunt*. Sic eos nuncupat Aggenus in loco superius recitato. Sic & Frontinus, & reliqui, vt cuique eos legenti patere poterit. Horum porrò Auctorum diuisionis, & assignationis, quos Curatores agrarios superius esse nos diximus: maxima proculdubio fuit potestas & in agris, & in territorijs transferendis, eosq; & ex priuato in priuatum, & ex priuato in publicum, atque ex publico in publicum, & ex publico in priuatum addicere potuisse, apertissimè constat ex his, quæ dicturi sumus. de quibus sanè Accursium in eo. §. alluuio. primùm sensisse, & sub nube interpretatum esse superius dixi. Sed cum menti eius fluctuanti nihil certum constaret; facilè per incertas diuinationes, ad aliàs interpretationes delapsus est. Quòd ad transferendam iurisdictionem, & Territoria pertinet, quod est ex publico in publicum addicere: quid Siculus scribat in fine libelli de Condition. agrorum, videamus *Præterea*,

inquit, *Auctores assignationis, diuisionisq́, non sufficientibus agris Coloniarum, quos ex vicinis territorijs sumpsissent; assignauerunt quidem futuris ciuibus Coloniarum. Sed iurisdictio eis agris, qui assignati sunt, penes eos remansit, ex quorum territorio sumpti erant.* & paulo ante idem Flaccus. *Ergo fit*, inquit, *vt plura territoria confusa vnam faciem Limitationis accipiant: aliquibus vero Auctores diuisionis relinquerunt aliquid agri eis, quibus abstulerunt, quatenus haberent iurisdictionem, aliquos intra muros cohibuerunt, &c.* Iurisdictionis ergo & territorij transferendi arbitrium, & potestatem penes eos fuisse cognoscimus; hoc est Auctores diuisionis de publico ad publicum transferre potuisse. In agris autem assignandis reliquum potestatis eorum (quod quæritur) agnoscimus. Quod potuerint ex priuato publicum facere, idem Flaccus probat in illis verbis. *Subseciuorum mentio repetenda est. Auctores diuisionis, assignationisq́ aliquando subseciua Reipub. Coloniarum concesserunt; aliquando in conditione illorum remanserunt.* Item de subseciuis Aggenus. *Hac aliquando*, inquit, *Auctor diuisionis, aut sibi reseruauit, aut aliquibus concessit, aut Reipublicæ, aut priuatis personis.* Ex quibus verbis illud quoque colligitur, quòd de priuato priuatum facerent. huic sententiæ conueniunt, quæ scribit Frontinus in hæc verba. *Est ager similis subseciuorũ conditioni, extraclusus, & non assignatus; qui si Reipublicæ Pop. Rom. aut, ipsius Coloniæ, cuius fine circundatur, siue peregrinæ vrbi, aut locis sacris, aut religiosis æquè ad Pop. Romanum pertinentibus datus non est: iure Subseciuorum in eius, qui assignare potuerit, remanet potestate.* Quomodo autem ex publico in priuatum addicerent, facilè ex superioribus colligimus. cum prædia Municipij publica in centurias redigerent. Hæc habui, quæ de Censitoribus dicerem, ex quibus satis tum consecutus videbor, cum per ea viam veritatis doctiori alicui saltem indicauero, si mihi eam perfecisse, non contigerit.

ARGVMENTVM.

¶ De Limitatis agris, in quibus ius alluuionis non agnoscitur.

SVMMAE.

1 *Ius alluuionis non agnoscitur in agris Limitatis.*
2 *Coloniarum nomen vnde ortum sit.*
3 *Coloniarum militarium origo.*
5 *Explanatio. l. Lucius. de Euiction. & nu. 22.*
6 *Coloniarum militarium institutio.*
7 *Agrorum conditiones quinque fuerunt antiquitus.*

CAPVT XVII.

IN agris Limitatis non habere locum † ius alluuionis, ait Florentinus in l. in agris. de Acquir. rer. dom. Qui ergo fuerint agri Limitati, & quis sensus Iureconsulti in ea lege; altius repetito principio, dicere operæpretium futurum existimo; hucusque enim plerisque ætatis nostræ Doctoribus obscura est ea cognitio, obscurior autem superioribus, & planè incognita antiquioribus fuit. Vnde multa eorum placita, iuri admodum reluctantia legimus. Nec ociosa erit præterea hæc disceptatio; multarum enim legum sensus per nos inter dicendum patefient. 1

¶ Sciendũ est igitur ab initio vsque Romanæ vrbis conditæ Romulum primum Regem oppida, quæ bello ceperat, ea neque diruere, neque seruitute multare consueuisse: sed in agros de eis captos tuendi, & propagandi simul imperij causa Romanos ciues eò colonos deducere; vnde † Coloniarum factum nomen intelligitur. Huius vestigia cæteri Reges, atque exactis Regibus Senatus Populusq;, ac postremò sublata Republica Imperatores secuti sunt. Inter cæteras causas, quæ deducendarum Coloniarum celebrantur, ea postrema fuit, & sæpissimè vsurpata; vt milites veteranos præmijs afficerent. tum illæ Coloniæ inde † Militares appellari cæptæ sunt; quarum initium factum est à Sylla perpetuo primùm Dictatore, post Marianas partes profligatas. Cuius exemplum Cæsar & ipse rerum potitus, imitatus est. quod iam antea animo conceperat, militibusq; fuerat pollicitus. Vnde Lucanus illum ita apud eos querentem inducit.

Quæ sedes emeritis, quæ rura dabuntur.

Quæ noster Veteranus aret, quæ mœnia fessis?

Auunculi vestigia secutus est Augustus Cæsar, & reliqui deinde Imperatores. de qua re nos quoque in Pandectis mentionem factam legimus. in l. item si verberatum. §. item si forte. † de Rei vendic. & in l. Lucius † de Euictionibus.

Cùm autem emeriti milites deducendi erant: Lex † ante promulgabatur, Agrariam inde nuncupabant; qua quis Ager, Quibus, per Quos, Quo modo, seu mensura, & Quibus limitibus ager diuidendus esset, præscriptum erat. Deducendis militionibus, & assignatibus agrorum præpositi Curatores agrarij sunt appellati. hi fuerunt aut Triumuiri, interdum Quinqueuiri, Septemuirive, aut Decemuiri, quandoque etiam Vigintiuiri; quibus magistratus, idest potestas, & iurisdictio; & imperium, idest belli gerendi facultas demandabatur. Imperio autem opus fuit, quoniam sub vexillo colonos tanquam exercitum deducerent, vt ait Hygenus in libello de limitibus constituendis. His multos ministros assignari mos fuit, Finitores præsertim, idest Agrimensores pro mensuris, & limitibus agendis. Modus autem agri cuique militi pro portione, & merito officij assignabatur, interdum facta sortitione nominum, & acceptarum. Hæc pleraq; ex Sigonio in Libello De Antiquo iure Italiæ cap. de colonijs. & cap. de Colon. militaribus, decerpsimus, viro haud obscurè inter ætatis nostræ literatos omnium Principe, & Romanæ Antiquitatis instauratore diligentissimo.

¶ Sciendum est quoque antiquitus Conditiones † agrorum, speciesue

ciesue quinque præsertim fuisse. agri alij Occupatorij, seu Arcifinales fuerunt, alij Mensura per Extremitates comprehensi, quidam Diuisi & assignati: de ijs præsertim Frontinus in libello de Limitibus, & ad eũ Aggenus Vrbicus. Agri quarto alij Quæstorij dicti, postremo Vectigales, siue Publici. De his præsertim Siculus Flaccus in libello de Conditionibus agrorum, & Hygenus in libello de Limitibus constituendis. De vnaquaque harum conditionum vtile, & propè necessarium est dicere ad perfectam rei notionem habendam, & ad exploratam † explicationem. l. in agris. tandem eruendã. super qua summi duo viri insudarunt Alciatus, Iacobusq; Cuiacius, de quibus inferius agam. in hac enim lege excepta Conditione occupatoria, de reliquis omnib. agitur. De comprehensis mensura per Extremitates in illis verbis. *Agrum qui hostibus deuictis ea conditione concessus sit, vt in ciuitatem veniret.* De Diuisis & assignatis in illis. *Quid cuique datum esset.* de Quæstorijs in illis. *Quidq; venisset.* Postremo de vectigalibus, seu Publicis in vltimis verbis legis. *& quid in publico relictum esset.* vt inferius ex ordine demonstrabimus. Vnde constabit, quales fuerint Accursij, & sectatorum tenebræ in illius legis interpretatione. quos singulos refellere, nec vtile, nec ingeniosum duco. per se enim his nostris comparata eorum placita deprehendentur, & corruent. Ad rem redeo.

8

¶ Arcifinalium † igitur agrorum Conditio antiquior est cæteris. ab initio enim, vt ait Flaccus, cum gentes, & populi solo patrio relicto vel vi, vel sponte nouas sedes quærerent; agrorum vniuersitatem captam Territoriũ dixerunt: quod ab eis territos fugassent hostes. hinc est, quod inquit Pomponius in l. pupillus. §. territorium. de Verb. signific. Vt quisque autẽ particulatim excolẽdo, vel spe colendi arcendo vicinum occuparat, Arcifinalem agrum dixit, seu Occupatorium, eaq; appellatio in agris illis ad posteros transmissa fuit.

9

Apud Romanos hoc sæpè obseruatum postea est in deducendis Colonijs militaribus, vt scribit Frontinus in libello de Colonijs; quo loco seriatim, breuiterq; enumerat omnes Romanorum Colonias. inter cæteras scribit Bouillæ oppidi agrum Sullana lege milites ex occupatione tenuisse. idem in Cassino, in quo quisque, prout occupauit, tenuit, & aliàs sæpè, vt ibi legitur. Hi ideo agri neque limitibus diuisi, neque mensura acti fuere. inter se tantùm discernebantur terminis, fluminibus, arboribus notatis antemissis, superciliјs, vepribus, riuis, & fossis: vt sors, vel possessorum voluntas tulerat. quod hodie in fundis nostris obseruari perspicimus. Nulla eorum tabula publica, nulla Forma, monumentùmue publicum erat, vt in agris Limitatis; quod

publicæ fidei testimonium possessoribus redderet. in his etiam ius alluionis obseruabatur, vt ex Vrbico paulo post dicemus. Adeo vt, verbi causa, agri nostra tempestate ad instar occupatoriorum possideri penè dici possint.

10 ¶ Secunda † agrorum conditio fuit, cum à Populo Romano victore tributarium solum alicui ciuitati definitum fuit, & concessum per vniuersitatem totum simul, non limitibus, sed per Extremitatem mensura vnica comprehensum. Extremitas est linea finitima, vt ait Vrbicus, ea scilicet, qua Territorium, & agrorũ vniuersitas cuiusque ciuitatis finitur, vel fluminum interuentu, viarùmue, aut montium & similium. Hic à Frontino, Ager mensura per Extremitates comprehensus dicitur; cuius modus vniuersus, & vniuersè alicui ciuitati fuit assignatus; vt Salmanticensibus in Lusitania, & Palatinis in Hispania citeriore, & in compluribus alijs prouincijs. Hos agros multis locis mensores, quamuis per Extremitatem mensura comprehendissent; in Formam etiam, & in tabulam æneam, in modum limitũ condiderunt, inciderunt\q;, vt ait Frontinus. Hinc ergo licet suspicari, cur Trebatius (vt refert Florentinus † in ea.l.in agris.) dixerit,

11 agrum illum, qui hostibus deuictis ea conditione concessus sit, vt in ciuitatem veniret; non esse Limitatum, nec pro Limitato habendum: ne fortè ex eo, quod ager per extremitatem mensura comprehensus consueuit interdum à mensoribus in modum limitum in Formas cõdi, quis putaret illum esse inter Limitatos censendum. de qua agri per Extremitatem mensura comprehensi conditione, & specie ibi intellexisse Trebatium, † euidentissimum est ex illis verbis. *qui ea conditione*

12 *concessus sit, vt in ciuitatem veniret*. hoc est, Ager, qui secundùm eam conditionem, qualitatèmue concessus sit: seu qui est de ea conditione, & specie agrorum, qui in ciuitatem veniunt, idest per vniuersitatẽ ciuitati conceduntur, non in partes diuisi. Hi sunt autem agri Mensura per extremitatem comprehensi: Verbum † enim *ea conditione*.

13 vulgari ratione non est accipiendum; sed iuxta proprietatem materiæ, in qua loquebatur Trebatius, accipi debet, ea cõditione, idest qualitate, seu specie: plures enim fuisse tum agrorum conditiones iam diximus: & notum est, quàm elegantioris eloquij, & propriarum elocutionum in vna quaque materia fuerint studiosi antiqui illi Iurisconsulti. Et iuxta hanc interpretationem ea verba intellexit quoque Cuiacius, sicco tamẽ (vt aiunt) pede pertransiuit in Obseruat.lib.2.cap.9. Vnde patet Alciatum in huius legis interpretatione, toto aberrasse cœlo in lib.1. Prætermiss. in verbo *Limitati*. vbi credidit huius conditio-

nis agros, ſicuti Diuiſos, & aſſignatos, Limitatos dici, & idem ferè eſſe; & vtroſque veteranis aſſignari ſolitos. de quo latius in inferioribus.

¶ Quidam † tertio agri fuerunt, quos Diuiſos, & aſſignatos dixerunt, ideſt per limites in centurias diuiſos, & viritim militibus plerunque aſsignatos, de quibus ita ſcribit Hygenus. *Diuiſi & aſsignati ſunt, qui veteranis, alijsue perſonis per centurias modo adſcripto aut dati ſunt, aut redditi, veteribusq́ poſſeſſoribus redditi, commutatiq́ pro ſuis ſunt.* de his in l. in agris. in illis verbis. *quid cuique datum eſſet.* Hi ſunt agri militarium Coloniarum, quorum diuiſio plerunque fieri conſueuit per limitum inſtitutionem; & tum rectè Limitati nuncupati ſunt; interdum etiam, prout ſcribit Frontinus, per proximos poſſeſſionum, prædiorùmue Rigores. 14

Rigor eſt autem ſecundùm Vrbicũ limes non artificio, manùue factus, ſed à naturali ipſa rectitudine deſumptus, & terminis, ſi opor tuit, definitus, & ſignatus. vt cum agger quiſpiam, ſuperciliumùe pro fine obſeruabãtur; intra tamen triginta pedes tantùm, latitudo ſupercilij pro Rigore habita eſt; aliàs iam mons eſt, vel collis, vt Flaccus, & Aggenus inquiunt. minorem ſanè latitudinem quinq; pedum habere non potuit, & in hoc Rigor conuenit cum Fine; quibus hæc latitudo lege Mamilia præſcripta erat. quæ nunquam per quantumuis longum temporis ſpatium vſucapi, ſeu præſcribi potuit. Et hoc † eſt quod ait Imperator in. l. quinque pedum. C. Finium regund. præſcriptionem quinque pedum finalium nullatenus in iudicio admittendam. quod & Alciato placuit in eius legis Repetitione. 15

Horum agrorum Diuiſorum, & aſſignatorum monumenta publica fieri conſueuerunt, id eſt in tabulis æneis, quæ Formæ dicuntur, eorum centuriationes condi, & incidi. de his † ait Venuleius in l. qui tabulam. Ad legem Iul. Pecul. *Qui tabulã æneam leges, formàmue agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde immutauerit, lege Iulia Peculatus tenetur.* Ea fuit ratio, vt ſi quæſtiones de modo inter poſſeſſores eſſent, per Formarum fidem lis dirimeretur. vti cum quis maiorem locum in territorio habere diceretur, quàm in Formis contineatur: cæteris, qui minorem locum poſſiderent, integrum locum aſſignare compelleretur, de qua † re eſt textus in l. de modo agrorum. Fin. regund. Vel, ſi fluminis irruptione fines turbatis eſſent; vt facilius quiſque, reuocata modi controuerſia ad æs publicum, & adhibito menſore, modum ſuum agnoſceret. vt inquit † Vlp. in l. ſi irruptione. Eodem. quas tabulas apprimè obſeruandas, & à Papiniano di- 16 17 18

19 ctum est in l. in finalibus. Eod. & ab Imperatore † sancitum in l. 2. C. Fin. regund. Vtrobique autem earum legum monumenta nuncupantur hæ tabulæ, quas Formas dicunt Flaccus, Frontinus, & cæteri.

20 Quarta † conditio fuit quorundum agrorum, quos (vt Siculus, & Hygenus scribunt,) Populus Rom. deuictis hostibus ademit, & eos, si qui assignationi superfuerunt, vel de medio assignationũ detractos, & limitibus diuisos in Centurias iugerũ quinquaginta, alio nomine Plinthidas .i. laterculos appellatas, per Quæstores vendendos curabat. Vnde agri hoc modo cẽturiati empti, Quæstorij appellati sunt.

21 de his † in ea. l. in agris. ibi. *Quid venisset*, & in l. Lucius. ibi †

22 *has possessiones ex præcepto Principali partim distractas, partim veteranis in præmia assignatas.* de Euictionibus.

23 Quinta † postremò fuit conditio Agri publici, siue Reipublicæ Rom. siue Coloniarum, quæ deducebantur, siue municipiorum, quibus agri adempti fuerant, & qui superfuerant assignationibus, eis postea sunt restituti. de his Flaccus. *Ager Limitatus*, inquit, *non assignatus, nec venditus dicitur Prætorius. Prætoria enim sunt, quorum vectigal ad ærarium pertinet.* Hi agri ideò Vectigales etiã appellati sunt: quoniam plerunque hæc publica prædia vectigalibus subiecta sunt. de ijs sæpè in Pandectis, vbi etiam titulus proprius habetur. *Si ager Vecti-*

24 *galis, vel Emphiteoticus petatur.* & de ijs intellexisse Florentinum † censeo in illis verbis. *Aut quid in publico relictum esset.* Nisi fortè mauis legere, vt Cuiacius in lib. 2. Obseruat. cap. 9. *Quid veteri possessori redditum esset.* Nec enim omnibus personis victis ablati sunt agri, vt inquit Flaccus. nam quorundam gratia, dignitas, aut amicitia victorem Ducem mouit, vt eis concederet agros suos. Hi autem agri in formis ita inscribebantur. *Redditum illi tantum.* Quod Virgilio contigisse certum est. cum enim iussu Augusti in Cremonensem agrum veterani deducerentur; nec ille omnibus satis esset: ex vicino territo-

25 rio Mantuano agri assumpti sunt. vnde Virgilium † conquestum legimus in Egloga. 5.

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

Ager enim quoque Virgilij fuerat centuriatus, & cuidam Varo tribuno militum obuenerat. nihilominius Augusti beneficio restitutus est. vnde sub Tytiri persona nomen Augusti celebrat tota Egloga. i. & agrum suum sibi redditum narrat.

Tit. Hic mihi responsum primus dedit ille petenti,

Pascite vt ante boues pueri, submittite tauros.

Melib. Fortunate senex, ergò tua rura manebunt,

Et

Et tibi magna satis.

Agri hi publici, seu Vectigales de Subsecivis, & Extraclusis agris plerunq; erant. de quibus ita scribit Frontinus, & Aggenus. Subseciuũ † est, quod à subsecante linea nomen accepit. Horum Subseciuorum duo sunt genera, vnum cum in extremis assignatorum finium Centuria expleri non potuit: extremæ etenim Centuriæ, quæ expleri, & perfici nequiuerant, vel interuentu viarum publicarum, territorialiumq; aliorum finium, vel locorum palustrium, aut aliàs sterilium, quę assignare militibus erat inutile, Subseciuorũ appellatione venerunt. Aliud est genus Subseciuorum, quod in medijs assignationibus, & integris, perfectisque Centurijs interuenit. quicquid enim inter quatuor limites minus, quàm intra clusum est, fuerat assignatum militibus, in hac remansit appellatione, ideò quòd is modus, qui assignationi supererat, linea cluderetur. Hinc nos dicimus horas subseciuas, quas à negotijs quasi resecantes ad otium literarium transferimus.

26

Ager † Extraclusus est, qui militibus assignatus non fuit, & inter finalem lineam territorij, & Centurias interiacuit. Ideoque Extraclusus dictus; quia vltra limites Centuriationis relictus linea tantùm finitima clausus remansit. quod accidit siue iniquitate loci, propter quem assignari non potuit; siue voluntate Conditoris. i. mensoris, qui eum locum limitibus comprehẽdere noluit. Hic ager Extraclusus est similis Subseciuorum conditioni, quæ Reipublicæ Romanorum, aut Colonijs concessa, vt diximus, plerunque fuerunt; aut reddita eis, ex quorum territorio agri sumpti sunt; aut aliàs in eius, qui assignationi præfuit, remanebant potestate. De Subseciuis, & Extraclusis sic etiam scribit Hygenus. ***Subsecivus ager est Limitatus, sed non assignatus intra Perticam quandoque centuriatus, quandoque non; Extraclusus verò non est Limitatus, sed extra Perticam finali linea comprehensus.***

27

¶ Centurijs † autem, quarum sæpè mentionem fecimus, vocabulũ datum est ex eo, quòd Romulus primus agrum hostibus ademptum victori populo per bina iugera partitus sit, centenis scilicet hominibus ducentena iugera: vnde Centuria iustè appellata est, vt Flaccus scribit. Centuria igitur est modus ducentorum iugerum. nec nomen ideo amisit, licèt interdum maior, & minor fuerit modus: secundum enim agri amplitudinem, Centurijs datum fuisse modum inquit Hygenus his verbis. ***In Italia Triumuiri iugerum quinquagenum, alibi ducenũ esse voluerunt. Cremonæ iugera ducentena dena, Diuus Augustus in Beturia Emerita iugera CCCC.***

28

29 ¶ Agri ergo Limitati † sunt (quod per tot discrimina rerum, vt ait ille,& tot agrorum conditiones quærimus) qui in centurias per limites diuisi sunt; siue illi sint assignati, quod hucusque creditum est, siue Quæstorij agri, siue Publici, siue etiam veteribus possessoribus Redditi: quælibet enim horum agrorum conditio limites accipere cõsueuit. quod inter nostrates antea incognitum, in lucem nos nunc proferimus.

¶ Vnum superest, cum de origine militarium Coloniarum, & de diuersis agrorum conditionibus dixerimus: de limitum quoque ratione differere, quorum interuentu mensuræ peragebantur, & vnde Limitatis agris datum nomen est, tum etenim tractationem hanc totã posthac vnicuiq; intellectu facilem esse futuram, spem concipio.

30 Limites † in agris (vt ait Festus) modo termini, modo viæ transuersæ dicuntur: nam limites, de quibus agimus, à limo, idest transuerso dicti sunt. pro termino accepit Virgilius. Aeneid. 12.

Saxum antiquum ingens, campo qui fortè iacebat
Limes agro positus, litem vt discerneret aruis.

31 Pro via, & limite † eo, de quo sermo est, idem in Egloga 1.

Hinc tibi quæ semper vicino ab limite sepes. & in 1. Georg.
Nec signare quidem, aut partiri limite campum.
Fas erat.

32 Hoc sensu quoq; accipitur † in l. id quod. in fi. de Peric. & cõmo. rei vend. ibi. *Viæ publicæ, limites ducti, &c.* de termino. n. vanũ fuisset dubitare.

Antiqui igitur mensuras agrorum normalibus longitudinibus, vt scribit Hygenus, idest limitibus includere consueuerunt. primum

33 duos limites † maximos constituerunt, vnum qui ab Oriente in Occidentẽ dirigeret; hunc appellarunt Duodecimanum, ideo quòd in primis ab eo terra tota metienda in duas diuideretur partes; Decumanus postea dictus est. Alterum à Meridiano ad Septentrionem; quem Cardinem nominauerunt, à mundi Cardine, cui in terra responderet. reliquos limites fecerunt angustiores, & qui spectabant in Orientem Prorsos, qui ad Meridiem, Transuersos appellauerunt. Omnis ergo huius directionis longitudo rationalis Limes est appellatus. Fuerunt aliæ limitum denominationes; sed de duabus sufficiet dicere. alij

34 dicti Actuarij † alij Linearij. Actuarius est limes, qui primus actus est ab eo quintus quisque, quem si numeres cum primo, sextus erit, quoniam sex limites claudunt quinque Centurias. reliqui medij limites Linearij appellati sunt, ab Italis proprio nomine Subruncini.

35 Decumano maximo latitudo fuit † ex Diui Augusti constitutione pe-

dum 40. Cardini maximo 20. Actuarijs autem pedum 12. Subrunciuis pedum 8. Quæ latitudo non solum mensuræ, sed & publici itineris causa data est. Vnde Flaccus scripsit. Limites in agris Diuisis & assignatis peruios semper esse oportuisse, tam itineribus, quàm mensuris agendis.

2 ¶ Constat ergo ex prædictis (vt tandem vela contraham, meq; in portum recipiam) agrum † quemuis, qui hosce limites accepisset, Limitatum fuisse, quod ab Etymologia vocabuli euidentissimum est. quid enim aliud Limitatum dicam, quàm limitibus inclusum? quibus obligari consueuit (vt dixi) & Quæstorius ager, & Publicus, atque etiam veteribus possessoribus Redditus, non solùm Diuisus, & assignatus veteranis. Vt non in Accursio, Bartolo, & cæteris eorum similibus, qui humaniores literas à primo limine vix salutarunt (vt notum est) sed in Alciato ipso alioqui earum doctissimo valde mirandum sit, qui in libro Prætermiss.i. in dictione, *Limitati.* sic inquit. *Apud Florentinum Limitati agri dicuntur, qui de hostibus capti militibus per limites, idest centurias fuerunt adsignati.* hæc ille. Perinde quasi, si non fuerint diuisi agri, & militibus assignati, pro Limitatis non habuerit ibi Florentinus. quod ab omni veritate alienum est, nó minus, quàm sit ea expositio per limites.i. Centurias. Ait enim in ea lege † Florentinus *in agris Limitatis ius alluuionis locum non habet*. declarat deinde, qui sint agri Limitati, & qui pro Limitatis habendi nó sint: vnde subinfert. *& Trebatius ait agrum, qui hostibus deuictis ea conditione concessus sit, vt in Ciuitatem veniret, habere alluuionem, neque esse Limitatum.* hic est, vt supra docuimus, Ager mensura per extremitatem comprehensus vniuersus alicui ciuitati concessus; cuius conditio ignota fuit Alciato, vt iterum iam sum dicturus. Reliqua verò verba Florentini *Agrum autem manucaptum Limitatum fuisse, vt sciretur quid cuiq; datum esset, quidque venisset, & quid in publico relictum esset*, eò pertinent, vt deinceps qui agri essent Limitati, & cur, ostéderet. Vnde patet, & agros Diuisos, & assignatos, Quæstorios, & Publicos, ad quos ea verba referútur, inter Limitatos eum recensuisse, in quibus ius alluuionis locum non habere cóstituit. Et hunc fuisse sensum Florentini, inde etiam suspicor, quoniam oratio ea generalis *Agrum autem manucaptum Limitatum fuisse.* verisimiliter debet referri, & determinare species illicò subenumeratas, omnes simul, & pariter; *vt sciretur quid cuique datum esset, quidq; venisset, & quid in publico relictum esset.* vulg. l. iam hoc iure. de Vulg. & pup. c. secúdo requiris. vbi Abb. de Appell. Aliàs quomodo sciri potuisset, quid datum, quid venditum, & quid publicum remansisset;

36

37

ſi omnes hi agri limitibus incluſi, & diuiſi non fuiſſent? ſi omnes limitibus incluſi, ergo Limitati iuſtè appellabuntur; & ita ſenſiſſe Florentinum, rectè contendimus.

¶ Supereſt ea diſceptatio, cuius ferò cauſa tam latè vagati ſumus; cur in agris Limitatis ius alluuionis † locum non habere, dixerit Florentinus. in qua ſi veram rationis metam non attigerimus, propius tamen, quam vllus vſque adhuc, accedemus. Vt ſi non animo penitus, noſtræ ſaltem vel curioſæ diligentiæ ex his ſatisfactum agnoſcamus. Rem ipſam aggredior. Si ius alluuionis actiuo ſenſu intelligitur, ius ſcilicet acquirendi incrementum alluuionis, vel quoduis aliud etiam euidens vigore l. i. §. ſi inſula. de Flumini. prout paſſim à Bar. & cæteris ferè omnibus hucusq; accipi legimus, quamuis contra vocabuli proprietatem: optima, & naturali ratione ſtatutum dicam; vt agrorum Limitatorum dominis neque latens, neque euidens, aut ſeparatum incrementum acquiratur; quoniam nec ex alluuione decrementum pati conſueuerunt, vt ſcribit Aggenus Vrbicus in libello de Controuerſijs agrorum. *De alluuione, inquit, obſeruatio eſt, ſi hæc in occupatorijs agitur agris: quicquid vis aquæ abſtulerit, repetitionem nemo habet. quæ res neceſsitatem ripæ muniendæ miungit; ita tamen vt ſine alterius damno fiat. Si verò in diuiſa, & aſsignata regione tractabitur: nihil amittet poſſeſſor; quoniam formis per centurias cuique modus eſt aſcriptus.* hæc ille. Faceſſant igitur ea omnia, quæ Bart. in Tyb. Par. 1. in verbo *acquiritur*, longè, lateq; excogitauit pro ratione hac indaganda.

38

Quòd ſi ius alluuionis accipimus, prout in ſuperiori Cap. v. definitum, ſiue mauis deſcriptum eſt, ius ſcilicet, quo & augeri, & minui per aquarum vim prædia noſtra conſueuerunt: ſi tum quæratur cur in agris Limitatis † non habeat locum ius alluuionis; hoc eſt, cur neque acceſſiones accipiant, neque deceſſiones patiantur per fluminum, & aquarum vim: quicquam certò pronunciare difficile eſt equidem, ne dicam temerarium. Alciatus nihilominus ſuper ea dictione *Limitati.* ſic inquit. *Vrbicus tradit ſolitos fuiſſe aſsignari agros veteranis duobus modis; vt hi, ex quorum territorio ſumpti agri erant; nullam iuriſdictionem amplius in eis haberent: ſed leges ab his acciperentur, qui veteranos deducerent. alio modo, vt iuriſdictio ciuitatis in eos agros ſalua eſſet. Exiſtimauerim igitur apud Florentinum ita diſtingui; vt qui ager deuictis hoſtibus, ita veteranis conceſſus ſit, vt in ciuitatis iure, cuius erat, permaneret, in eo ius alluuionis eſſe. Sed ſi in ciuitatem non veniat; verùm manucaptus, aſsignatusq́ veteranis ſit, publicus populo Romano remanet, nec alluuione diminuitur.* Hucuſq; Alciatus. qui per hæc videtur in ſumma voluiſſe, ideo ius alluuionis

39

in agris Limitatis locum non habere; quia publici populi Rom. viderentur. Quantum hallucinatus sit hic summus vir in cognitione, & natura agrorum Limitatorum, & in sententia totius.l.in agris;ex superioribus satis constare censeo:repetitione autem opus non est. De ratione hac,quàm quærimus, verba tantummodo facere oportet, quæ paucis refellitur; & ex eo primùm; quoniam nec ab Vrbico, Flacco, aut cæteris dictum legitur,nec iure nostro cautum reperitur, agros militibus assignatos vti publicos pop. Romani postea fuisse; quinimo priuati penitus iuris,ex l.in agris. euidenter conijcitur; cū vt diuersum statuit, *Quid cuique datum esset, & quid in publico relictum esset*. Sed esto etiam quodammodo fuisse publicos pop. Romani: nonne prædia populi Romani, & alterius cuiusque ciuitatis ius alluuionis habere constat ex Bar.in Tyb.Par.1.in verbo *nostro*? de qua re nos etiam suo loco dicturi sumus. diligentiore ergò inuestigatione opus est. Iacobus itaque Cuiacius † Obseruat. lib.2.cap.9.quoniam limitibus his diuisi, & circūscripti sunt agri Limitati, ideo inquit,in eis alluuionis ius cessare. quod etiam aliubi dixit in lib.2.Institut.de Rer. diuis. Sed hoc totum nihil est;nec enim ad hoc sunt Limitati, vt alluuionem non habeant; neque enim apud flumina hi agri aut omnes, aut semper fuerunt: sed ea ratione,vt(quod ait Florentinus) sciretur certius, quid cuiq; datum esset; quid vænisset;& quid in publico relictum esset. 40

¶ Quid dicendum? ego in re tàm obscura in præsens quicquàm certum proferre non audeo. tempus ipsum,vt aliàs sæpè, fortè vel nobis, vel cui alij quandoque lucem in his tenebris afferet. Cognitio agrorum Limitatorum diù latuit, quoad post multa annorum curricula tempus,licèt edax rerum,hanc veritatem euomuit, & in lucem emisit libellos illos Siculi Flacci,Frontini,Vrbici,& Hygeni, quos sæpe nominauimus. Hoc † tantum succurrit in præsentia, ius alluuionis in agris Limitatis minimè agnitum fuisse eadem forte ratione, qua fuerunt Limitati; Vt sciretur in perpetuum,quid cuique datum esset,quid vænisset,& quid in publico relictum esset.Ne,si extra Limites prosilire ad incrementa fluuiatica quęrenda, concessum foret; Formarum,seu tabularum exacta descriptio,& inde earum fides incerta, & inconstās haberi incœpisset: ad quas,cum de modo quæstio fieret, vti ad monumēta publica,relatio certissima haberi cōsueuerat, vt videre est ex l. de modo,ex l.si irruptione,& ex l.in finalibus.Fin.regund.quod & antea diximus. Quod si hæc penitus non satisfaciunt, dicamus interim cū Bartolo in Tyb.Par.1.in verbo *acquiritur*. Non esse quærendam rationem,postquam habemus determinationem. 41

LIBRI PRIMI FINIS.

BAPTISTAE AYMI PARMENSIS IVRISCONSVLTI.

DE ALLVVIONVM IVRE VNIVERSO, *LIBER SECVNDVS.*

ARGVMENTVM.

¶ Quæ loca ius alluuionis non habeant.

SVMMAE.

1 Agris Limitatis, quoniam ius alluuionis non habent, neque alluuionis, neque alueí, neque insularum incrementum acquiritur.
2 Incrementa Limitatis agris adiecta occupantis fiunt.
3 Ius alluuionis non agnoscitur in locis sacris, vel religiosis.
4 Via publica fundi portio esse videtur.
5 Loca sacra, & religiosa seruitutis acquisitionem impediunt, & ius quoque alluuionis nu. 6.
7 Loca, quæ sancta dicuntur vt mœnia, ius alluuionis non habent.
8 Ius alluuionis in illis rebus non agnoscitur, quæ in nullius bonis esse dicuntur, vt theatra, stadia, & cætera huiuscemodi ciuitatum publica.

CAPVT I.

DE VERBORVM vi, & significatu, & alijs quibusdam inde pendentibus, quæ ad præsentem tractationem pertinere visa sunt; superiore libro satis superq; (vt arbitror) disserui. ad ea quę in acquirendis, & amittendis incrementis versantur, iam venio. Quæ loca igitur alluuionem habere nec ne dicantur, in primis videamus.

1 Ius alluuionis † in agris Limitatis non habere locum, neminem

ignorarę puto. nota est Florentini decisio in l. in agris de Acquir. rer. dom. nec de solo alluuionis incremento id oportet intelligere, vt verba sonare videntur: Sed & de quouis alio siue aluei relicti, siue insularum: hoc enim propria iuris allnuionis significatio complectitur, & exigit, vt in superiore libro cap. 5. latè fuit comprobatum. Vnde constituit Vlpianus in l. 1, §. si insula. de Flumin. agris Limitatis insulas nō acquiri: quoniam in illis ius alluuionis non agnoscitur. Quibus autem ea incrementa acquirantur, ibidem quoque statuitur; primo † scilicet occupanti, more eorum, quæ in nullius adhuc bonis sunt. §. feræ igitur. vers. quod enim. Institut. de Rer. diuisione.

¶ Quod de Limitatis agris constitutū est, ad loca † sacra, & religiosa deducit Bar. in Tyb. Par. 1. in verbo. *nostro*; vt nec in illis pariter ius alluuionis agnoscatur: quoniam (inquit) locus huiusmodi Noster dici non potest, sed in nullius bonis esse dicitur. l. 1. de de Rer. diuis. facit l. adeo. §. præterea. ibi *agro nostro*. de Acquir. rer. dom. facit quoque definitio incrementi alluuionis, in priore libro cap. 2. per me tradita, ad quam te remitto. Incrementa porro, quæ locis sacris, & religiosis acquiri nequeunt, argumento sumpto ab agris Limitatis, occupanti concedenda concludit Bart. Nec enim dici potest, ea fieri debere possidentium viciniora prædia post loca sacra, vel religiosa; vt aliàs dicitur, si via publica interiaceret ex l. Martius. in fi. de Acquir. rer. dom. Primùm ex eo, quòd via † fundi quodammodo portio est, vt in fine dictæ l. Martius; vnde fit, si destruitur fortè, vt vicinus proximus viam præstare cogatur. l. si locus. in fi. Quemad. seruit. amitt. hoc autem de loco sacro, vel religioso cautum in iure non reperies. Secundum est, quoniam loca sacra seruitutis † quoque acquisitionem impediunt. l. si prius. §. sed de loco sacro. de Aqua plu. arcen. Via verò publica nihil officit. l. seruitutes. 4. §. fi. de Seruitut. Hęc Bar. Sed & Offredo prius hoc placuerat in ea. l. Martius. in fi. argumento pariter † l. seruitutes. §. fin. adductus. His addo Accursij auctoritatem, qui & ipse in ea. l. Martius. in fine, & in eo. §. fin. arguendi modum hunc vsurpauit, à iure scilicet impediendi seruitutem, ad ius impediendi alluuionem. & Bartolo subscribit Baldus etiam in Rub. de Rer. diuis. num. 22. & quod de locis sacris, & religiosis dictum est, ad loca, quæ sancta † dicuntur, extendit, vt muros ciuitatum, vallum, & quodcunque muri vice fungitur l. sanctum. in prin. & §. fin. l. fin. de Rer. diuis. quod & Aretino placuit in §. Præterea. in fi. Institut. eod. & verum vtique est. Vnde posset generaliter constitui: illud non habere ius alluuionis, quodcunque † in nullius esse bonis, in iure appellatur; vti ea loca sunt, quę publica sunt, vt thea-

3 4 5 6 7 8

tra,& stadia,& cætera huiusmodi.l.1.§. hæ autem res. de Rer. diuis.l. sed Celsus.in prin.de Contrah. empt.

ARGVMENTVM.

¶ Incrementum medium inter loca, quæ alluuionem habeant, & ea, in quibus ius alluuionis non agnoscitur, cuius esse debeat.

SVMMAE.

1 *Bartoli locus in Tyberiade emendatus.*
2 *Incrementi portio, quæ agris Limitatis, vel sacris vti proximior deberetur, fit occupantis, nec alteri portioni accrescit, contra Bart. num. 3.*
4 *Cohærentiæ intuitu nihil aliud acquiritur, quàm quod paulatim adiectum fuerit.*
5 *Ius accrescendi non agnoscitur in incrementorum acquisitione.*
6 *Regulæ in dubio adhærendum est.*

CAPVT II.

BELLISSIME quæri potest. ab hac fluminis ripa sunt agri, in quibus ius alluuionis agnoscitur; à contraria sunt agri vel Limitati, vel sacri, vel similes, quibus non competere alluuionem, supra docuimus: si in medio fluminis insulam nasci contigerit, cuius erit? Bart.in Tyb.Par.2. in verbo *qui ab vtraque parte* de hoc latè disseruit in hæc verba; quæ huc quàm fieri potuit, emendatissima transcribere operæpretium existimaui. deprauati enim adeo codices Bar. circunferuntur; vt mihi difficillimum fuerit antiquæ lectioni, quàm proximè restituere. Hercules sanè Butrigarius, qui Bartoli Tyberiadem restituere professus est, inemendatum locum hunc reliquit. in cuius intellectu lapsum quoque Albertum Brunum in cons. 55. lib. 1. cons.feud. vnicuique potest patere. Sed ad rem. Ait † Bart. num. 2. *Quid si ab vna parte essent prædia Limitata; quibus non possunt quæri insulæ, vt ff. de Acquir.rer.dom.l.in agris, de Flum.l.1.§ si insula. Vel fortè cæmiteriũ, cui non potest quæri, vt dictum est in præcedenti libro: an tota insula erit eius, qui prædia habet ab vna parte? Videtur quòd non; quia insula defertur vtrique pro diuiso: ergo non est locus iuri accrescendi, vt vnus capiat, quod alteri non acquiritur. vt de Vsufr.accrescen.l.1. in prin. Præterea si esset verum, quod vno reiecto alijs acquireretur: malè diceret textus in d. l. 1. §. si insula. vbi dicitur, quòd in nullius bonis est insula, quando prædia ab vtraque parte sunt Limitata.*

Quare insula erit aliorum prædiorum, quæ magis propè ripam essent, scilicet post agros Limitatos.

Contrarium puto verius. pro cuius euidentia sciendum est, quòd ius acquisitionis per alluuionem, de qua dictum est in præcedenti libro, fit ratione contiguitatis, & adhærentiæ; & ideo potentius est, iure acquirendi ratione vicinitatis, de quo hic dicitur, vt patet ff. de Acq. rer. dom l. insula. vbi illa, quæ alluuio addiderit insulæ, quærentur ipsi insulæ, non autem ei, qui ab altera parte prædia possidet. Sed quia prædia Limitata alijs prohibent acquiri. d. §. si insula: si cui alteri ratione vicinitatis vna particula insulæ quæri deberet; totum additum, quod prohibetur alijs quæri, sibi acquireretur iure cuiusdam alluuionis, & adhærentiæ. Quod probatur, quia si incrementum postea obueniens sibi quæreretur. d. l. insula: ergo multò magis illud incrementum, siue particula, simulq; vacans portio tempore, quo portio nostra mihi quæritur: fortiori enim iure accrescit, quàm illa, quæ ex post facto incipit vacare. vt de Acq. hær. l. si duo. coniuncta. l. si minor. & l. cum hæreditate, Eod. tit. Nec obstat. ff. de Vsufr. accresc. l. 1. in princ. quia separatum est illud ius accrescendi ab isto: hic enim semper fit acquisitio certæ parti diuisæ, & de certa parte accrescente. Hucusque Bart. verba. Cuius sententiæ nullo modo assentiri possum: dubitandi enim ratio indubitabilis, & superuacanea, decidendi autem futilis, & falsà mihi videtur. Quòd ad rationem dubitandi pertinet; si Vlpianus in l. 1. §. si insula. de Flumin. expressè inquit, insulam inter agros Limitatos natam fieri occupantis: quis potest dubitare, sit necne acquirenda prædijs post agros Limitatos iacentibus? quæ ratio etiam militat, si inter loca sacra, vel religiosa nata insula fuerit: quo casu tamen alluuionis ius prædijs illis adiacentibus impediri, ex ipsomet Bartolo docuimus in proximo superiori capite. & hoc palàm est.

Ad ipsam quæstionis decisionem † venio, quæ eodem confossa telo perimitur. si enim insula inter agros Limitatos, vel religiosos, aut sacros nata sit occupantis: cur si ab altera tantùm ripa hi agri fuerint, idem iudicium non statuimus de ea portione, quæ illis magis accedit? si de tota insula hoc dicimus, cur non idem de parte? cum totius, & partis idem iudicium fieri in iure ciuili consueuerit. l. quæ de tota. de Rei vendic. l. iurisgentium. §. adeo de Pactis, cum sexcentum similibus; vbi ratio diuersitatis assignari non potest, vt in hac specie? 2

Rationes autem Bart. nihil officiunt. † Quod enim primò ait; quoniam potentius est ius acquirendi ratione cohærentiæ, quàm sit ius acquirendi ratione propinquitatis; ideo sicut mihi acquiretur incrementum, si meo agro proximus fuerit, ergo multò magis si cohæreat: hoc manifesta ratione diluitur. Palàm enim est, nihil † quæri ratione cohærentiæ 3 4

hærentiæ,nisi quod paulatim,per alluuionem scilicet, adijcitur; vt in hac specie locutus est Proculus in ea.l.insula. quod verò aliter adiectũ fuerit; id omne acquiritur vel ratione Propinquitatis, vel pro modo Latitudinis,in Cohærentia nulla vis fit, vt habetur in l.adeo. §. præterea de Acq.rer.dom.de qua re in lib.3.cap.3.& fi. latius dicendum reseruo,vbi locus aptus erit. Cum itaque de eo incremẽto agatur, quod nec paulatim,nec postea adiectum est, sed totum simul extitit:ab vno casu ad alterum non infertur;vt inde ius proprium,& natura acquirendi incrementa locis Limitatis, vel sacris proximiora,immutetur.

Quod autem secũdo ait,si incrementum postea adiectum meo incremento,mihi acquiritur; ergo multo magis portio incrementi eo tempore vacans, quo mea portio mihi acquiritur;cum fortiori iure accrescat.arg.l.si duo.cum l.si minor.& l.cum hæreditate.de Acquir. hæred.Primum aio ego,in terminis earum legum,nihilo fortiori iure portionem vacantem in ipsa aditione, alteri portioni accrescere, quàm quæ post aditam hæreditatem vacare cœperit. in vtroque enim casu, & in vtroque tempore,inuito etiam hæredi portio vacans accrescit. l. si duo.& l.qui ex duabus.§.fin.de Acquir.hæred.& licèt, cum post aditionem incipit vacare portio, interdum concedatur cohæredi,totum repudiare,vt in ea.l.cum hæreditate; quod absolutè negatur, si portio cohæredis ante aditionem vacaret,vt in ea.l. si duo. in quo vim facit Bartolus: nihilominus illud non procedit ex eo, quòd ius accrescendi fortius sit in vno casu,quàm alio: sed ob casum inopinatum superuenientem ex æquitate receditur à communi regula in ea l. cum hæreditate, prout inquit illic Castren.num.2. in secundo autem casu, & in l. si duo. nulla excusationis ratio est, propter quam à communi regula recedatur. Qui enim scit,aut scire potuit, illo abstinente, se oneribus fore implicitum, ea conditione adire videtur, ait ibi Vlpianus.

Aliud est præterea,quod magis mouet: haud rectè in ratione quærendorum incrementorum, argumentum sumi à iure accrescendi. tum quia † ea acquiruntur vnicuique pro diuiso. l. inter eos. de Acq. rer.dom. & in portionibus pro diuiso acquirendis non habet locum ius accrescendi.l.1.in prin.de Vsufr.accrescen.quod & Bar.tradidit vt in superioribus. tum etiam, quoniam ratio iuris accrescendi,& presertim ratio decisionis in ea l. si duo. hic nullatenus militat, ne quis scilicet pro parte testatus, & pro parte intestatus decedat.con.l.ius nostrũ. de Regul.iur.vbi Dec.

5

Cum itaque nihil afferatur, cuius causa recedendum sit ab illa communi regula,vt incrementa,quæ agris Limitatis, locisvè sacris pertinerent,

rent, fiant occupantis: idem in parte incrementi, quod in toto statuendum censeo. in dubio enim tenaciter † regulæ inhærendum esse, nobis traditum est à maioribus nostris sæpe sæpius, & præsertim in l. omnis definitio. de Reg. iur. 6

ARGVMENTVM.

¶ Quæ loca alluuionem vicinis prædijs impediant.

SVMMAE.

1 *Ius alluuionis impediunt ea loca, quæ seruitutes rusticas impedire consueuerunt.*

2 *Via publica ius alluuionis non impedit.*

3 *Fora, & plateæ ius alluuionis impediunt, contra Bartolum.*

4 *Fossæ, & aquæductus alluuionem non impediunt.*

CAPVT III.

DEINCEPS dicendum venit; quæ loca alluuionem vicinis prędijs impediant: hoc enim quoque cognito, cætera omnia, & ius alluuionis habere, nec illud vicinis impedire, exploratum propemodum erit. prout ea est communis norma; vt quod in vno negatur, in reliquis cōcessum intelligatur l. cum Prætor. de Iudic. & è conuerso quod in vno tantùm permittitur, in cæteris negatum videatur. l. cum ita. de Cond. & demon. Sed ad rem.

Ex cōstitutis igitur in proximo primo capite, potest intelligi; † quæ loca ius alluuionis sibi non habent, & seruitutes rusticas impediunt, ea ius quoque alluuionis vicinis possessoribus supprimere, & auferre. Hinc fit, vt cum via publica ius seruitutis non impediat, l. si prius. §. pen. de Aqua plu. arcen. & l. seruitutes. 4. §. fi. de Seruitut. ea nec ius † alluuionis impediat, l. Martius. de Acquir. rer. dom. Argumento porrò viæ, hoc idem ius statuit Bart. in Tyb. Par. 1. super verbo *nostro.* num. 4. in foro, plateáve publica: quoniam secūdum Hug. & Papiam nil aliud esse plateam inquit, quàm latam, & maiorem viam. Quod vtique non probo. † ideo enim ius alluuionis per viam non impeditur vicinis agris: nam ipsa quoque via fundi portio est ferè, vt expresè ratio hæc affertur in fine dictæ l. Martius. quod de platea nemo dixerit. 1 2 3

¶ Rectè proculdubio ius idem, quod in via publica, in fossis, † aquæductibus, canalibus, & riuis statuendum censeo; vt per eos non impediatur alluuio, cuiuscunque modi sint. Aut enim sunt iuris publici, & in vsu publico; & tunc non est dicendum impedire, vti nec via pu- 4 1

blica:cũ enim deseruiat fundi vtilitati, pro aqua pluuia è prædijs arcenda, possunt dici ita prædij esse, sicut via:& cũ seruituté non impediant. l.si prius.§.via publica.vers.sed nõ solùm.de Aqua plu.arcen. ergo nec alluuioné.& huiusce rei aperta videtur esse decisio Glo. in l. seruitutes. 4.§.fin.in dictione *haustus*.in fi.de Seruitut.vbi generaliter ferè eam voluisse,potest credi,nullũ locum publicum intermedium impedire augmétũ alluuionis, arguméto eius,quod de via traditur in ea l.Martius.

Aut sunt isti riuuli,& fossæ proprietate quidem vicinorum,vsu verò publicæ,quod & de ripa dicitur in l.riparum.de Rer.diuis. & eo casu par sit decisio eorũ. Vti ergo quod ripæ adijcitur,nobis acquiritur. l.ergo.§.Celsus.de Acquir.rer.dom.Bart.expresse in Tyber. Par.1.in verbo *nostro*,in prin. pariter quoque quod riuis, & fossis huiuscemodi per fluminum vim adijcietur,nostrum erit. Aut tertio, hæc priuati omnino iuris erunt;& tum cum nihil à cęteris priuatis rebus,& prędijs nostris differant,prout in simili de priuatis fluminibus scribit Vlpianus in l.1.§.hoc interdictum. de Flum. ea quidem incrementa acquiri prohibebunt agris post se constitutis: riuis tamen ipsis adiecta proprijs eorum dominis acquirentur,argumento eius,quod in proposito Glo.distinguens inter priuatam,& publicam viam,ait in l.Martius. sæpius allegata, quod viæ alicuius priuatæ addiderit flumen illius proprium futurum, non vicinorum.

ARGVMENTVM.

¶Omnia loca ius alluuionis habere, quibus non est expressè vetitum.

SVMMAE.

1 *Ius habent alluuionis, quæ Nostra sunt, seu Nostra dici possunt.*
2 *Prædia publica ius habent alluuionis.*
3 *Omnia loca ius habent alluuionis, si expressè non sit vetitum.*
4 *Aedificia ius habent alluuionis, & cætera vrbana prædia.*
5 *Loca quantumuis sterilia ius habent alluuionis. & num. 6.*
7 *Insula primò nata ius habet alluuionis, tàm alluuionis, & aluei, quàm aliarum insularum posteriorum ratione. & num. 8.*

CAPVT IIII.

SED res iam postulat, vt quæ loca alluuionem habeant, exponamus. Omnia, quæ sunt, & dici possunt † Nostra, ius alluuionis habere, generaliter propono ex eo quod inquit Caius in l.adeo §.præterea.de Acq.rer. dom.vt latè diximus in superiore libro.cap.2.

quocirca prædia † publica, quæ sunt in pecunia populi, habebunt & ipsa ius alluuionis sm Bar. in Tyb. Par. 1. in verbo *nostro*. sunt enim tan quam priuata bona. l. sed Celsus. in prin. de Contrahen empt. & gene ralius agendo, omnia loca † ius alluuionis habere crediderim, quibus expressè non est vetitum. agros enim Limitatos tantùm exceptos lego; vt videatur in cæteris agris hoc ius agnosci debere, regulariter esse constituendum. 2 3

¶ Dubitari † de ædificijs potest fortasis, an illa ius alluuionis habeant; ex quo Caius ait in l. adeo. §. præterea *quod per alluuionem agro nostro flumen adiecit, iure gentium acquiritur nobis*. ager autem in iure accipitur locus sine ædificio. l. fundi. de Verb. signifi. Verius est, quod inquit Bart. in Tyb. Par. 1. verbo *agro*. in prin. prædia etiam vrbana habere alluuionem: quoniam paulò postea de prædio, & fundo mentionem facit; quorum appellatio generalis est etiam ad ædificia. l. locus, l. quæstio, & l. fundi. de Verb. signif. de agro autem prius dixit Caius, vt hinc argueretur, alluuionem adijci solo, non superficiei. quapropter nos posuimus in definitione illius hæc verba, *fundo nostro*. fundus enim est, quicquid solo continetur; vt dicitur in ea. l. quæstio. & in hanc Bartoli sententiam venit Bald. & ipse in Rub. de Rer. diuis. num. 20. necnon & Ang. in §. præterea. Instit. Eod. 4

¶ Rursus quæri † potest; vtrum cuiuscunque qualitatis sit fundus, illi adiecta incremēta quærantur. Finge altera in parte quempiam culta, & lætissima possidere prædia; in altera verò sterilia, inculta, & deserta esse loca: æquales ne incrementi portiones capient, ac si eiusdem essent conditionis hæc atque illa prædia? Exclusisse penitus inculta loca, videtur Caius in eo. §. præterea. quando de agro, fundo, & prædio locutus est, quorum appellatio quid cultum sapere videtur. nam fundum ab eo dictum, quòd fundat opes, voluit Iac. de Arena conciuis in l. fundi. de Verb. signifi. ager autē est species fundi, qui ad vsum hominis comparatur l. quæstio est. Eod. de prædio Caius ita scribit in l. quid aliud. Eod. *Quid aliud sunt iura prædiorum, quàm prædia qualiter se habentia vt bonitas, salubritas, amplitudo?* Vnde quidam (vt legitur in libello variorum auctorum de Limitibus) censuerunt, prædium appellatum; quòd ex omnibus patris familias maximè prouidetur, idest apparet, quasi præuidium. Nec hæc intentio ratione carere videtur: quoniam ius alluuionis de iure gentium processit, vt in eo. §. prętere a, i. naturali ratione inuentum fuit. §. ius autem gentium. vers. quod verò. Instit. de Iure nat. gent. & ciuili; vt qui incommodo, & periculo subiectus fuit, ille etiam lucrum consequatur. prout à Iustiniano in hac re sancitum 5

est in §. sed & si post.Instit. de Empt. & vend. facit.l. indebiti. in prin. de Cond.indeb. Aequum igitur videri potest, incrementum omne ad eum pertinere, qui opima prædia periculo vicina possidet, non illi, qui detrimento, non habet, quod doleat.

6 Verius † censeo, his & illis indistinctè acquiri. Primum illud mouet: fundi appellatione, quicquid solo continetur, venire certum est ex ea.l.quæstio: ergo & sterilia, & inculta loca. Secundò Proculi mouit au-7 ctoritas in l.insula de Acq.rer.dom. vbi insulæ † primò natę, & alluuionis, & aluei incrementum acquiri respondit. insularum tamen solum arenosum, & sterile esse nemo ignorat. Tertiò potissimùm responso Pauli in hanc veni sententiam, qui in l.si epistolam.§.pen.Eod. insu-8 lam † posteriorem priori insulæ viciniorem ei acquiri contendit; & rationis loco hæc verba protulit. *Nam quid interest, qualis ager sit, propter cuius propinquitatem posterior insula cuius sit, quæratur?* quid ad rem nostram clarius, & apertius adduci potest? Omne igitur, quodcunque solo continetur, siue riuus, aut fossa, siue ædificium, aut sterilis locus fuerit, habere alluuionem credendum est; nisi speciatim prohibeatur.

ARGVMENTVM.

¶ Ea, quæ in iure consistunt, alluuionem habere.

SVMMAE.

1 *Vsusfructus per incrementum latens tantummodo augetur, & nu. 4.*
2 *Iura prædialia per incrementum latens tantummodo augentur. & nu. 3.*
3 *Locus in l.hoc iure.§.si aquam.de Aqua cotid.& æsti. emendatus.*
4 *Ius vsusfructus, vel seruitutis realis à vi fluminis peremptum ex alluuionis iure restituitur, si flumen per impetum recesserit.*
5 *Seruitus realis difficilius amittitur, quàm personalis; quia minoris est præiudicij, & nu. 6.*
7 *Seruitus realis restituitur, etiam si flumen paulatim recesserit, secus in personali.*
8 *Ius pignoris ex alluuione tantùm augetur.*

CAPVT V.

PVLCHRVM est cognoscere; an ea, quæ solo cohærent, quæ ve in iure consistunt, alluuionis ius habeant; accessionem scilicet accipiant tàm per latens, quàm per euidēs fluminis incrementum. Aut quæritur de ijs iuribus, quæ priuata sunt, vel quæ publica. In his, quæ in priuato iure consistunt, vt vsusfructus, & iura prædio-

rum vrbanorum, & rusticorum, quæ seruitutes etiam vocantur, vt inquit Caius in l. 1. in fi. de Rer. diuis. in his, inquam, agnosci ius alluuionis, certum est. De † vsufructu distinguitur in latem si fundi. §. huic vicinus. de Vsufr. inter latens, & separatum incrementum. Nam Celso placuit, alluuionis vsumfructum ad fructuarium pertinere. Sed si insula iuxta fundum in flumine nata sit, eius vsumfructum ad fructuarium non pertinere Pegasus scribit, licet proprietati accedat, esse enim veluti proprium fundum, cuius vsusfructus ad te non pertineat. Quæ sententia non est sine ratione, inquit Celsus. nam vbi latitat incrementum, & vsusfructus augetur: vbi autem apparet separatum, fructuario non accedit. hoc est (vt inquiũt ibi Bal. & Flor.) vnitorum vnita, & separatorum separata debet esse dispositio.

1

Quod ad iura prædialia † pertinet, hoc idem ius statuit Pomponius in l. hoc iure. §. si aquam. de Aqua cotid. & æstiua. in hæc verba, quæ ita intelligi emendariq; debere censeo, vt omnis penitus interpretum tollatur ambiguitas. *Si aquam ex flumine publico duxeris, & flumen recesserit:* (per impetum videlicet) *non potes subsequi flumen, quia ei loco* (per recessum fluminis relicto.) *seruitus imposita non sit; quamuis is locus meus sit. Sed si alluuione paulatim accesserit* (locus scilicet) *fundo tuo, subsequi potes: quia locus totus fluminis seruiat ductioni. Sed si circumfluere cœperit, mutato alueo non potes: quia medius locus non seruiat, interruptaq; sit seruitus.* Ius itaque aquæducendæ, aucto paulatim fundo seruiente, ipsum quoque augetur: per euidentem recessum fluminis incrementum fieri contingeret, augebitur. Cuius distinctionis intuitu, & argumento posset quis contendere, neque vsumfructum per aluei incrementum augeri, sed per alluuionem † tantummodo: videtur. n. incrementum aluei esse nouum fundum, & separatum, cuius vsusfructus ad fructuarium non pertineat; sicut in insula dictum fuit. Huic tamen aduersari videntur, quæ ex recepta omnium sententia, inferius in cap. 8. dicturi sumus; aluei, vt alluuionis incrementum ipso iure possideri absque corporali apprehensione: quoniam (vt inquit Bald. in Rub. de rer. diuis. num. 24.) est incrementum concretum, vt alluuio. Placet alluuionis tantùm accessione vsumfructum augeri: quoniam si in iure aquæducendæ distinguitur inter latens, & euidens incrementum; vt per latens tantùm modo augeatur, multò magis in vsufructu: cum seruitus † realis difficilius amittatur, & facilius prorogetur, quàm personalis, l. seruitutes. §. si sublatum. de Seruit. vrban. prædior. mutatione enim rei, & formæ extinguitur vsusfructus. aliud autem est in prædiali seruitute, vt dicitur in eo. §. si sublatum. vbi Flor. in fi. Rationis † ratio est secundùm Ca-

2

3

4

5

6

ſtren.eo loco, quoniã ſeruitutes perſonales dominio magis detrahũt, quàm reales: vſusfructus enim dominij portio dicitur eſſe in l. 4. de Vſufr.in l.cum filius.§.dominus,& in l.Mæuius.§. fundo. de Leg.2. & ideo vſusfructus difficilius reſtauratur, quàm ſeruitus realis.

7 Hinc fit, vt ſi ager, † cuius vſusfructus mihi debetur, alueo fluminis occupatus ſit: ſi per impetum reſtituitur à flumine, ius quoque vſuſfructus reſtituitur.l.ſi ager & l.ſeq.Quib.mod.vſuſf.amit. Seruitus autem realis viæ, actus, itinerisve ſiue paulatim, ſiue per impetum receſſerit flumen, ſemper reſtituitur.l.ſi locus. Quib.mod. ſeruit. amit. de qua re inferius in cap. 22.§.1.

Quapropter ſi ſeruitus realis, quæ minoris eſt præiudicij, non augetur ex incremento aluei: nec vſumfructũ augeri proculdubio dicendũ eſt; cum hoc maioris ſit præiudicij. Quà ratione ita in iure quoque pignoris poterit diſtingui, quod alluuione augeri conſtat ex l. ſi conuenerit.2.§. ſi nuda.de Pignorat. act. & l. ſi fundus. de Pignor. vt per

8 † aluei, aut inſularum incrementum minimè augeatur. Si plura placet videre huc facientia, adibis cap.16.huius libri; quo loco commodius congeſta ſunt.

ARGVMENTVM.

¶ Iuriſdictionem augmentum, & diminutionem ab alluuione accipere.

SVMMAE.

1 Iuriſdictio generaliter accepta merum etiam, & mixtum imperium ſub ſe continet.

2 Iuriſdictio in ſe non prorogatur, ſed prorogari dicitur, & augeri ratione loci, & materiæ.

3 Iuriſdictio ineſt territorio, velut anima in corpore, tota in toto, & tota in qualibet eius parte.

4 Augmenti, & acceſſorij idem ius eſſe debet, quod & principalis.

5 Comitatus territorio additus, acceſſorio modo, legibus territorij ſubijcitur.

6 Vnitorum vnitam, & ſeparatorum ſaparatam oportet eſſe naturam.

7 Iuriſdictio ſuper territorio conceſſa augetur adaucto territorio.

8 Incrementum alluuionis, vti quod iure gentium acquiritur, potentius & efficacius adijcitur, quàm incrementum Principis auctoritate proueniens.

9 Iuriſdictio poteſt eſſe ſine territorio, & territorium ſine iuriſdictione.

10 Territorium abſolute loquendo, iuriſdictione munitum intelligitur.

Iuriſdi-

43 *Territorium, siue ut publici, siue ut priuati iuris acceptum ab alluuione accipit incrementum.*

44 *Ager territorio, & iurisdictioni eius ciuitatis dicitur subesse, ubi describitur, & tributum persoluitur.*

47 *Explanatio l. fin. C. de Alluuio. contra Corneum nu. 50.*

48 *Incrementum alluuionis à fundo, cui adijcitur, separatim censeri non potest, neque separatim functiones exigi: ut unicum enim prædium in eodem libro debet describi.*

49 *Tributum pro incremento in eodem territorio debet præstari, in quo pro fundo ipso penditur.*

51 *Fundus idem diuerso iure censetur, ne ius publicum priuatorum facto immutari contingat.*

53 *Iurisdictio augeri, & diminui per alluuionem potest.*

CAPVT VI.

De eis, quæ iuris sunt publici, an alluuionis potestati subiaceant, videamus, de iurisdictione scilicet, & iure territoriali. Disceptatio hæc altisimæ profectò est, & difficillimæ propemodum indagationis, nec molliter, breuiterve tractanda. agitur enim de re graui, de turbatis scilicet territoriorum finibus statuendis. quorum disceptatio, & controuersia pertinacissima est; eamq; quandoq; bellorum molem, & turbines excitauit; vt alterius populi contendentis clade, & excidio tantùm conquieuerint. Qualis & quantæ sit pertinaciæ, testantur aræ Philenorum; quorum corporibus viuis voluntariè defossis solo patrio termini constituti sunt. Ex facto sæpius hac de re tractatum in iure legimus, ob incremētum tàm latens, quàm euidens, & separatum alicui territorio adiectum. Inter cætera anno salutis. 1490. compertum est, ea de re, an alluuione augeretur (de qua hic agere statui) controuersum fuisse inter Illustres Dominos Rodulphum Gonzagam, & Io. Franciscum eius fratrem, hunc Doxuli dominum, illum Luzariæ Marchionem. Hæc oppida sunt vltra citraq; Padum, è regione ferè sita. hinc inde consulti responderunt celeberrimi viri, & duo amplissima Collegia, Ferrariensium scilicet, & Papiensium, vt difficile videatur, ne dicam impossibile; è disceptatione tam controuersa veritatem promere. Sed vadum tentare animus est. audentes fortuna iuuat. Meæ autem primùm partes erunt, hinc inde deducta in hunc locū ordinatim cōgerere, vimq; & eorum aciem pertentare; & quod iuri consonum sit (verbo absit inuidia) postremò statuere.

¶Exor-

¶Exordium huiusce disceptationis sumere statui ab ea parte, quã Collegium Papiense in responso relato inter consilia Curtij senioris cons. 56. & Bologn. in cons. 54. summa opum vi defendere nituntur. Egregiè quidem Ticinenses, licèt haud perfectè pro veritate laborarunt. Bolognino verò parum, aut nihil hac de re deberi ex ijs, quæ iã dicturi sumus, constabit. Sed priusquam vlterius progrediar, quæstionis statum constituere oportet: ne per tenebras incertitudinis veritatis lux offendatur.

Quærendum est igitur. Vtrum iurisdictio ab alluuionis incremen to extensiuum augmentum accipiat. de alijs autem incrementis aluei, & insulæ separatim post hæc dicetur. Item hic iurisdictionem intellige † generaliter, prout in se continet merum, & mistum imperium iuxta declarationem Glos. & Bar. in l. imperium. nu. 4. de Iurisd. om. iud. vbi cæt. omnes, quot quot legem illam interpretati sunt. Et in his terminis à Bartolo in Tyb. Par. 1. in verbo *Acquiritur.* considerari, palàm est, in hac eadem quæstione: dum multas, & pœnas, & similia in fructibus iurisdictionalibus recenset. super cuius viri sententia totus ferè cardo huius disceptationis vertitur. Extensiuum † augmentum dictum fuit, ne fortè quisquam (vt aliàs quidam Philippus Francus, quem refert, & latè reprehendit Corn. in cons. 322. nu. 5. 8. & 9. lib. 1.) de intensiuo agi suspicaretur: hoc enim ipsa iurisdictionis qualitas nõ patitur, cum res indiuidua sit, vt seruitus, & similes. prout inquit Bal. in l. si plures. nu. 2. C. de Cond. inser. & ideo ipsa non prorogatur, & augetur; sed prorogari, & augeri dicitur ratione materiæ, & loci. quod docuit Bar. in Tyb. Par. 3. in verbo *stricta ratione*, in fi. Hinc Berous in q. 111. nu. 2. iurisdictionem † esse in territorio dixit, veluti animam in corpore, totam in toto, & totam in qualibet eius parte. Rursus scire oportet, hic minimè agi de ea iurisdictione, quæ nec actiuè, nec passiuè dicitur cohçrere territorio, vti ea est, quam dicimus habere iudices, qui chartularij nuncupantur, de quibus per Gloss. & interpretes in l. 1. de Iud. vt in re nostra inquit Bar. in l. fin. num. 15. de Iurisd. omn. iud. Qualis est etiam iurisdictio delegata, quæ personalis est, nec territoriũ requirit. vt placuit Bald. in c. vno delegatorum in fi. de Offi. deleg. cum enim solo nõ possit hærere huiuscemodi iurisdictio, frustratoriũ esset de ea dubitare. De ordinaria igitur, & vniuersali iurisdictione quærimus, & de ea responderunt superiora Collegia. His ita præmissis, rem ipsam aggredior.

1

2

3

Placuit igitur Collegio Ticinensi, territorium ex alluuione augeri, & consequenter iurisdictionem illi cohærentem, argumẽtis quatuordecim

decim ad hoc inductis. de quorum vi opus est breuiter cognoscere.nô ex eo, quòd credam vim certam in eis fieri posse: sed ne huic tractatio ni exactiore stilo peragendæ, quicquam deesse videatur. nève, si quod nos parum mouet, alicui alij fortè quid magnum, & opportunum videatur.& vt postremò veritas sæpius exagitata clarius eniteat, & splendescat. quod & aliàs dixit Innoc.in c.graue.35.q.9.

In primis autem generali,& vulgata illa regula moti sunt summi eius collegij patres, ex qua recipitur, † illud iuris quod est de principa li,idem pariter esse de augmento, & accessorio.l.si conuenerit.§.si nu da.de Pignor.act.l.si fundus.de Pignor. vnde desumitur,fundo oppignerato,si alluuione augeatur, ius pignoris ad incrementum extendi. Cuius rei argumento Bar. & plerique alij Doct. in eo. §.si nuda. inferunt; si † comitatus quis territorio ciuitatis, vel prouinciæ ita accessoriè adijciatur à Principe, vt vnicum ciuitatis, vel prouinciæ sit territorium:earundem legum vinculum,& eadem iurisdictio prioris territorij extendetur, & prorogabitur ad territorium adiectum.

Mouentur quoque simili generali regula. Vnitorum † vnitam, & eandem,separatorum verò separatam,& diuersam debere esse naturã, arg.l.item si fundi.§.huic vicinus.de Vsufr. quo loco (vt in proximo superiori capite dictum fuit)ius vsusfructus per alluuionis incrementum ceu latens,& vnitum augeri dicitur, secus per insularum incrementum vti separatum. Cuius legis argumento Ang.& Florian.ibi videntur hanc decidere controuersiam. aiunt enim, si fuerit in castro concessa † iurisdictio, adaucto territorio castri, ipsam quoque iurisdictione augeri, & extendi.& licet de ampliatione per alluuionem explicitè non dicant; implicitè tamẽ eos hoc voluisse, verisimile est:cum eius legis auctoritate nitantur. Quod pariter dici de Bartolo potest, & cæteris in eo.§.si nuda.cuius argumento ad territoriorum augmenta inferunt.vt ea sit ipsorum intentio; vt siue Principis facto, siue fluminis vi territorium augeatur, idem sit iudicium. Quinimo demus, nec eos de augmento per alluuionem facto vllo modo sensisse, sed de solo Principis facto intellexisse:adhuc idem asseuerari potest, cum flumina vice Censitorum fungantur l. ergo.§. alluuio. de Acquir. rer. dom.i. Iudicum, vel Principum, vt interpretatur Azo in Summa Instit.de Rer.diuis.de qua re Glos.in eo.§. alluuio. quos sequitur Bar. in Tyb. Par. 1.in verbo *Acquiritur*. & Bal.in Rub.de Rer.diuis.nu. 20. Si ergo vicem Principum,& Iudicum tenent: cum per Principis concessionem aucto territorio,augeatur etiam iurisdictio; idem esse conuenit, si per fluminum vim augeri contigerit. Quinimo hoc multò ma

gis

gis (aiunt illi) de fluminibus debet prædicari: quoniam alluuionis † augmentum contingit de iure gentum l. adeo. §. præterea. de Acq. rer. dom. ideo potentius, & efficacius adijcitur, quàm incrementum Principis auctoritate proueniens: vnde si per hoc additamentum; multò magis per illud extendi & augeri in iurisdictionem conuenit. Quod potentius adijciatur, hinc patet: incrementum enim alluuionis ager vnus, & idem est cum eo, cui adijcitur l. 4. de Iure dot. quare ipso iure acquiritur, & sine noua apprehensione possidetur, vt inquit Bart. in Tyb. Par. 1. in verbo *acquiritur*. in prin. & nos inferius dicturi sumus. Ex quibus omnibus in summa, & contracta manu comprehensis, latissimè quidem per decem argumenta ibi deductis, claram illis visum est, confici decisionem præsentis disceptationis, vt aucto territorio per alluuionem, augeatur & iurisdictio; vt idem sit de accessorio, ac de principali iudicium, vnitorumq; vniformis conditio, & quod de Principis concessione iudicatur, idem & multò magis de fluminis accessione censeatur.

¶ Quo exactins, clariusq; tota res hæc pateat, antequàm de reliquis fundamentis verba fiant, de præmissorum robore videamus.

Iason, qui pro contraria opinione respondit, vt videre est ex eius cons. 146. lib. 2, prædictis omnibus in modum dubitationis ab ipsomet excitatis, ita respondere conatus est. Iurisdictio, † (inquit) potest esse sine territorio, & territorium sine iurisdictione: ergo aucto quantuncunque territorio, non potest subinferri, iurisdictionem illi necessariò non cohærentem augeri. vt probatur à Bar. in l. 1. de Iurisd. omn. iud. Bal. in l. 1. §. ab initio. de Off. præf. vrbis, & in c. vno. delegatorum. ad finem. de Off. deleg. ac Bart. in cons. 189.

Sed hoc nihil est: nam † absolutè loquendo, qui territorium dicit, territorium iurisdictione munitum dicit. iuxta territorij definitionem in l. si pupillus. §. territorium. de Verb. signif. ita Baldus ait in l. 2. nu. 2. de Off. præsid. Hinc Bart. in l. inter eos. de Acquir. rer. do. licèt † iurisdictio possit cohærere etiam personæ; in dubio cohærere loco præsumendum ait, arg. eius. §. territorium. quare vendito castro, iurisdictionem simul etiam esse venditam, censet.

Vlterius cum & Iason ipse, & nos hic loquamur de ordinaria, & vniuersali iurisdictione, ea † sine territorio esse ullo modo nequit, vt inquit Bal. in ea l. 2. & in l. imperium. nu. 3. de Iurisd. omn. iud. per textum in l. fi. C. Vbi & apud quem. Alex. in cons. 35. num. 19. lib. 4. & hac ratione limitatur eius regula. de qua re latius paulò post. Quis enim dubitare potest, si loqueremur de ea iurisdictione, quæ solo non

8

9

10

11

12

cohæret, eam per alluuionem augeri non posse? Rectius respondit Collegium Ferrariense inter cons. Rimin. Senioris in cons. 64. num. 19. vol. 1. Si verũ esset, territoriũ per alluuionẽ augeri, eiusq; fines, & terminos proferri, prædicta fortè procederent: Sed hoc est, de quo quæritur, an territorium augeatur, vnde frustratoriũ est super præmissis immorari, ni hoc prius doceatur.

Quod autem dictũ fuit, flumina fungi vice Censitorum, i. Principum, ergo &c. ridicula interpretatio videtur Iasoni. Censitores enim fuisse ait, quosdam censibus recipiendis præpositos, & publicandis bonis eorum, qui tributa persoluere neglexissent, de quibus in l. forma. §. si vires. de Censibus, ita Glos. no. declarat in Rub. C. de Censib. & Censit. lib. 11. & hoc est, quod dicitur in eo. §. alluuio. de publico priuatum, & de priuato publicum facere Censitores, i. de publico priuatum fisci, & de priuatis agris publicum, publicando. Sicut ergo illis permissum non legitur immutare iurisdictionum concessiones à Principe factas: nec hoc fluminibus permissum dicere debemus. & in hunc modum arguit in proposito Bar. in Tyb. in eo verbo *acquiritur*. Hucusque Iason. Quàm malè hic, & cæteri, quæ fuerit Censitorum conditio, & auctoritas intellexerint: ne idem bis repetatur, ad dicta in superiore libro cap. 16. me refero. Ad Curtium redeo.

¶ Videamus igitur, an ex eo responso probatum constet, & territorium ab alluuione incrementum accipere: quando super hoc cardo iam verti incœpit.

13 Territorium † inquit Curtius, est corpus vniuersale. l. pupillus. §. territorium. de Verb. signific. nec aliud sensit Bart. in eo §. si nuda, dũ de territorio, & regno per additionem comitatus augendo verba fecit.

14 Vniuersalia † autem facilius recipiunt augmentum, quàm partes: ea enim sumunt incrementum ex alienis corporibus l. 1. in fi. cum l. seq. de Rei vend. in partibus verò res aliena addita potest à domino vendicari, vt in l. adeo. §. præterea. ibi. *palàm est*. de Acq. rer. dom. Si ergo quod pars est, augmentum ab alluuione accipit; vt in eo. §. præterea, multò magis vniuersum, & consequenter territorium. & hoc eò magis, quoniam in iure obseruatur, & admittitur argumentum † à domi-

15 partis ad vniuersale. l. qui furere cœpit. de Statu hominum. Bar. in l. si dominium. de Furtis. Territorij autem datur dominium. Vnde Bald. in l. si plures. num. 13. C. de Cond. inser. territorium esse in dominio Principis dixit, quapropter sicut partis dominio adiectũ vnus est fundus cum priori, vt diximus; ita additum territorio vnum & idem erit territorium. augeri igitur per alluuionem territorium, dicendum venit,

nit, sicut quodlibet aliud dominium, & consequenter iurisdictionem illi cohærentem.

Sed hoc probari etiam aliũde videtur: quoniam à dominio ad iurisdictionem † arguere, & è conuerso conceditur ex ea l. qui furere. vbi Bar. Bal. & cęteri. & nisi contrariũ in iure expressum cõperiamus, huic argumentationi standum esse in dubio, scribit Alber. in eadem l. qui furere. ergo &c. His addas, quoniam per alluuionem non solùm augeri certum est nostrum dominium, hoc est prædium; sed ius quoque prædio cohærens, vt seruitutes, & cætera, de quibus in proximo superiori capite. Idem ergo dicamus de iurisdictione, vt aucto territorio, cui cohæret, ipsa quoque augeatur. licitum † enim est arguere à seruitute ad iurisdictionem. Bald. in l. data opera nu. 29. C. de Ijs qui accus. in l. 1. §. 1. num. 3. de Off. præf. vrb. & in c. 1. §. ad hoc. Hic finit. lex, &c. Et hæc sunt quæ ex Curtio expressimus; quibus comprobari ei visum fuit, territorium per alluuionem posse augeri, & debere.

16

17

¶ Sed his tamen, & breuiter à Rimin. & Iasone apertissima ratione occurritur.

Detur territorium, vt quid vniuersale augmentum recipere posse: sed ab alluuione, hoc est, quod probari oportuit. Neque enim, quamuis dominium, & seruitus augmentum ab ea accipiant, vt vnica res cum priori efficiatur; & quamuis liceat ab illis siue ad territorium, siue ad iurisdictionem arguere: in præsenti tamen disceptatione hoc potest concedi; cum intercedat diuersitatis ratio efficacissima, ea videlicet, quoniam dominium, & seruitus res sunt priuati iuris, territoriũ verò, & iurisdictio absolutè, & propriè loquẽdo, publici iuris habẽtur. Et iusta quidem est responsio, & patens. flumina autem in rebus publici iuris non operantur, vt illi aiunt ex l. Martius. de Acquir. rer. dom. ergo, &c.

Vel etiam si consideretur iurisdictio, vt priuati iuris, sicut in proposito considerari inferius videbimus: quod ad dominiũ ptinet, & ius illi cohærens, fit de publico priuatũ, & è conuerso. at in hoc casu fieret de priuato priuatũ, de territorio scilicet priuato priuatũ contra l. ergo. §. alluuio. ibi *ex priuato in publicum*. Eod.

Hucusque igitur, quàm debili fulta opere sit collegij Ticinensis opinio, cuique nostra hæc percurrenti facilè constabit.

¶ Vnica spes superest, & pro subsidio extremo perscrutandum venit; an circa ea, quæ publici iuris sunt, alluuionem operari Curtij argumentationibus probatum dici possit. super hoc ergo quid ille dicat, videamus. ait ille.

18 Si ea quæ ſunt iuris publici,† non tamen in vſu publico,ceu ea ſunt, quæ per ciuitatem poſſidentur, & in eius ſunt pecunia, vt in l. ſed Celſus. in prin. de Contrah. empt. alluuione augentur, & minuuntur, prout inquit Barto. in Tyb. Par. 1 .in verbo *nostro*. in fi. & in verbo *flumen*: Si ob id cenſus & tributa, quæ Principi, vel ciuitati perſoluuntur pro prædijs tributarijs, aucto vel diminuto prædio à flumine, augentur, & minuuntur. l. 2. & fin. C. de Alluu. cenſum autem iuris eſſe publici probatur;quoniam dicitur publica penſitatio,toto tit.C. Si propter publ.penſit.l.fin.C.Sine cenſu vel reliq.ergo circa publica operari alluuionem, clarè conſtat; & hunc eſſe ſenſum dictæ l. Martius. conſtanter aſſeuerat; Baldumq; reprehendit, quòd dixerit propter eam legem, alluuionem non immutare iura publica. Hæc ille.

¶ Quantum lapſus ſit hic Curtius,neminem ignorare cenſeo: qui voluit in propoſito ea publica appellari, quæ ſunt in patrimonio, ſeu in pecunia ciuitatis,vel Principis contra expreſſam l.ſed Celſus. & l. 2. §.hoc interdictum. 2. Ne quid in loco publ. & de huiuſcemodi rebus

19 in ea. l.Martius tractari. Cuius verba † ſi rectè perpendantur, nihil illis clarius,nihil ipſa Curtij explicatione infirmius. Ait Alphenus in ea l.Martius. prope finem. *Id autem,quod publicum fuiſſet, nemini acceſsiſſe*. Quod fuerat publicum, ante aperuit, id eſt via publica: de nulla enim alia re quàm de Martij fundo, & Lucij Titij agro, viaq; publica loquitur ibi Alphenus. quantum verò inter ſe diſtent via publica, & res alicuius ciuitatis, vel fiſci, adeat, qui id ignorat, eam l. 2. Ne quid in loco publ.& l.ſed Celſus.de Contrah.empt.Sat conſtat igitur, alluuionem in his,quæ iuris publici ſunt, & in vſu publico, vt via publica, territorium, & iuriſdictio, locum habere à Curtio minimè probatum.

Quod ad illud verò attinet, quod poſtea ſubinfert, in territorio ſiue iuriſdictione,ſaltem vt iuris priuati accepta, prout ratione Principis,& domini conſideratur ſecundùm Bart. in Par. 1. Tyb. in verbo. *acquiritur*. in fi.negari non poſſe, quin alluuio in ea locum ſibi vendicet; ex quo in cæteris iuris publici rebus,quę tamen non ſunt in vſu publico, ſed in pecunia, & patrimonio ciuitatis, locum habere ex Bartolo conſtat: Vnde in hoc Bartolum defendi minimè poſſe aſſerit Curtius, quin ſibimet contrarius extiterit: facilis eſt reſponſio. Nam iuriſdictio ſecundùm Bart. vti priuati iuris conſiderata, flumen, ſuper quo ineſt, priuatum quò ad ſe, & in hoc cenſeri facit, vt ait Bart. in eo verbo. *acquiritur*. vnde ſicut aliàs pri-

uata

uata flumina alluuionem non habent, l. lacus. de Acq. rer. dom. ita & pariter flumen publicum, quod ad iurisdictionem saltem attinet, alluuionem non habere arguitur. in cæteris verò rebus prædictis hæc cessant, ideo ex diuersis rectè inferri non potest, vulg. l. Papinianus. de Minoribus, cum similib.

Et hæc sunt ferè omnia, quæ per Papiense collegium proposita, à Curtio autem digesta sunt contra communem opinionem, vt ille asserit. Cui quanta vis per ea inferatur, & quàm minimùm offendatur, satis esse in aperto, neminem ambigere censeo.

¶ Nunc de Bolognino dicamus, qui & ipse, (vt dixi) in cons. 14. in eadem fuit sententia, & pro eadem parte respondit, pro qua Ticinense Collegium. hoc solo autem fundamento in summa totus innititur. Flumen † Padi datum fuit in inuestituris pro confinio: ergo semper vbicunque fuerit, pro fine obseruandum est; ad hoc vt verba inuestituræ, & instrumentorum propriè accipiantur iuxta sanctionem: l. 3. §. hæc verba. 2. de Negot. gest. l. 1. §. si is qui nauem. de Exercit. Nec hoc ratione caret: nam quod modo alteri territorio ademptum, alteri adiecit, illi rursùs in futurum poterit ab eodem flumine restitui: prout ea est fluminum natura. vnde qui sentit, & sentire potest commodũ, æquo animo incommodum præsens patiatur. l. secundùm naturam. de Reg. iur. & hoc modo propriè flumina vice Censitorum. i. Principum fungũtur. Hucusque Bologninus. reliqua inferius percurremus, vbi de Iasonis consilio dicturus sum. In eadem ferè quæstione hoc & eodem fundamento nixus est Ioachimus quidam Narniensis, cuius consilio subscripserunt duo aduocati concistoriales, vt legitur in Cornei cons. 322. lib. 1. in prin. Ait ille, quicquid est intra fines cuiusq; castri, est de territorio castri: flumen est confiniũ, ergò, &c. adducit l. eos. Finium regund. l. si fines. C. de Euiction. l. pen. C. de Institut. & substi. sub cond. factis. Philippus Francus, qui Ioachimo illi ipse quoque subscripsit, relatus in eodem Cornei consilio. nu. 5. inter cætera, quæ inquit, respondet eis, quæ Bal. scribit in c. cum causam nu. 3. de Probat. montes scilicet, & flumina, quæ pro territorium finibus obseruantur, esse perpetuos terminos, æternos, & immutabiles: id verum ait in dubio, & rebus sic stantibus, & non probata mutatione, per id, quod habetur in l. quod seruus. de Cond. ob cau. & in l. cum quis. in l. si cum Cornelius. de Solut. & in l. 1. Si ex noxa. cau. ag. Sed mutato alueo, non permanet in eadem causa flumen; ergò locus prior fluminis non durat in eadem causa confinij, arg. l. adeo. §. quòd si toto. ibi *amissa propria forma*. de Acqui. rer. dom. Potuit adducere ea Vlpiani verba, quæ sunt

20

in l. fluminum. §. Seruius quoque. de Dam. inf. *Quod enim tàm firmum est, vt fluminis, aut maris, aut tempestatis, aut ruinæ, aut terræmotus vim sustinere possit?*

¶His omnibus & præsertim Bolognini argumento ita respondit Rimin. in fine eius consilij, de quo superius. Flumen habitum semel pro fine, semper haberi non debet in eadem causa: quoniam, (inquit) alluuio non mutat publicos fines, vt placuit etiam Baldo in c. 1. §. si quis de manso. nu. 6. de Controuer. inuestit. & propterea vbi etiam fines se extendunt ad flumen vsque, considerandus esset locus, quousq; ripę ipsius fluminis se extendebant tempore, quo fines sunt constituti, ar. l. Rutilia Pola. de Contrahen. emp. vt idem semper sit, nec per recessum fluminis proferatur. Nec hoc ignorasse Bartolum inquit, quando hanc quæstionem excitauit; & nihilominus voluit per alluuionem nō mutari fines, aut iurisdictionem augeri.

Rectius respondit Bal. de Bartolinis, in illo consilio Cornei relatus num. 5. fatuū namque ait esse, si quis dicat, hoc semper habitū est pro confinio, ergo & hodie habendum est, arg. l. adeo. §. fi. cum l. seq. de Acq. rer. dom. & l. arbor. Comm. diuid. vbi si arbor finalis crescat, & alienum solum presserit, siue lapis terminans per vtrunque fundum extendatur: non ideo variantur fines, nec crescunt vel decrescunt agri: Sed ea communia sunt vicinorum, vel illi acquiruntur, in cuius solum transierint.

Nihil igitur, aut certè parum roboris in hucusque allatis pro hac opinione, inesse visum fuit. Quæ tamen & ipsa suos nihilominus habuit sectatores, & præter eos quos diximus, Angelum & Flor. in l. item si fundi. §. huic vicinus. de Vsufr. Barth. quoque Soc. in l. possideri. nu. 11. de Acq. poss. hoc probat, qui & consilium illud collegij Ticinensis allegat, & suo iure vt suum sibi vendicat. Cagnolus etiam in hanc transit sententiam in secunda Repet. l. 2. nu. 191. C. de Pactis inter emp. & vend. & consilium illud. vti pulcherrimum extollit; à quo omnia quæ Iason in cons. 146. lib. 1. contra hanc opinionem congessit, latè dilui asseuerat; de quo nos iam sumus dicturi. Hanc opinionem rursus comprobat Curtius in addit. ad Alex. in l. 1. in fi. de Iurisd. om. iud. vbi aliud Barth. Socini consilium allegat, quod impressum non haberi inquit, cuius est initium. *Præsens consultatio, pulchra est, & subtilis.* hoc iterū & expressius placuit Angelo in l. si seruitus. circa med. de Seruit. vrb. præd. vbi sicut in vsufructu, distinxit inter incrementum alluuionis, & insularum: & per latens tantùm censuit territorium, & ob id exemptionem augeri. Et simili distinctione & argumento vsus est etiam

Bald.

Bal.in cons.196.lib.1.vbi tacitè hanc opinionem probat, & in eo consilio, quod habetur apud Petr. Vbald. de duob. fratrib. Par. 5. q. 28. num. 31.

¶ Sed ad contrariam huic sententiam examinandam pertranseamus, pro qua stat Bar. interpretum omnium summus in Tyb. Par. 1. in verbo *Acquiritur*. à quo primùm in arenam hæc disceptatio deducta est. Quæ breuiter autem ibi Bar. dixit, latius Ferrariense collegium comprobauit in eo responso, quod inter consilia Riminaldi antiquioris legitur, scilicet in cons.64. lib.1. quod quidem adeo subtile est, & absolutum, vt veritatem, quam illi contrariam asserimus, quàm plurimum labefactarit. Calculum suum addidit & Iason, vt iam diximus, in eadem causa consultus, quæ inter illustres illos Gonzagas agebatur. Ab eo initium facere constitui deducturus è nouem argumentationibus, ea tantummodo, quæ validius vrgere videbuntur.

Mouetur in primis itaque Iason auctoritate l. Martius. de Acq. rer. dom. vbi expressè legitur, id quod publicum est, nemini per alluuionē accedere. hoc autē † dicitur de via publica. hoc idē ergo de iurisdictione dicatur, vt nemini per alluuionem accedat: est. n. iuris † publici. l.1. §. huius studij. de Iustit. & iure. hoc arguitur ex eius definitione vbique recepta: iurisdictio est potestas de publico iure introducta cum auctoritate iuris dicendi, & æquitatis statuendæ. Ita definitur per Glos. in l.1. vbi omnes. de Iurisd. omn. iud. & in §. iusiurandum. Aut. de Defen. ciuit. Non obstat (inquit ille) textus in l. ergo. § alluuio. de Acqui. rer. dom. vbi flumina more Censitorum ex publico in priuatum, & ex priuato in publicum addicunt: verbum enim, *publico*, aliter accipitur, quàm publici iuris gentium: hoc est, vt alibi distinxisse Bartolum legitur in Tyb. Par.1. in verbo. *Nostro*. prout prædia ciuitatis, quæ sunt publica, non ideò, quia sint in vsu publico, sed quoniam per ciuitatem coluntur. & in his quidem locum habet alluuio; sunt enim tanquam priuata. l. sed Celsus. in prin. de Contr. empt. l.2. §.2. Ne quid in loco publi.

21

22

¶ Quàm aliena sit † hæc interpretatio, & tanto indigna viro, quin contra legis mentem, nemo est, (vt opinor,) qui non videat: de publico enim alueì solo, quod eiusdem est iuris, cuius & ipsum flumen. i. publici iurisgentium (vt inquit Caius in l. adeo. §. quod si toto ibi. *nouus autem*. de Acquir. rer. dom.) intelligendum esse, clarè constat ex sequentibus in eo. §. alluuio. verbis illis scilicet. *Itaque sicut fundus, cum alueus fluminis factus esset, fuisset publicus: ita nunc priuatus eius esse debet, cuius antea fuit*. Et hoc fatetur Rimin. in eo cōs.64. nu.14. qui aliter respon

23

det,de quo suo loco dicendum reseruo. Præterea bona ciuitatis abusiuè publica dicuntur,vt Vlpianus ait in l.bona. de Verb.signifi. Quàm malè igitur propositionem ex l. Martius. desumptam tueatur Iason ab obice.§.alluuio. clarissimè patet.de cuius propositionis veritate inferius,ad Riminaldum dicam.hic nunc satis sit Iasonem refellere.

¶Rursus Iason rationem affert,bonam, vt ille ait. Nam est considerandum,ideò alluuionem non habere locum in his, quæ iuris sunt publici;quoniã vti publica non sunt in cõmercio nostro l. inter stipulantem.§.sacram.de Verbo.oblig.ideò ab vno ad alium transferri nequeunt.idem sit ergo in iurisdictione, quæ publici iuris est, nec ideò in commercio est;vnde vendi nõ potest.§.cogitatio.Aut. Vt iud.sine quoquo suff.fiant. & per hæc ita placuit Baldo in c.1.nu.3. per illum textum etiam,de Allodijs, & in c.1.nu.fin.Quæ sunt Regal.atq; in l. priuatorum.C.de Iurisd.omn.iud.

Sed hæc ratio aut nihil officit; aut si vera est,multum prodest.nam quæq; ciuitas, siue Princeps iurisdictionem possidet, vt cætera priuata,vt ait Bart.in Tyb.Par.1.in verbo *acquiritur*. nu. 7. & nostris,& antiquioribus temporibus passim dignitates,& iurisdictiones† vendi cõsuesse,notorium est,& Bald.attestatur in cap.1.nu.2.de Feudo Marchiæ. Cum igitur sint in commercio, & ita moribus vtentium receptum sit:nihil prohibet in eis alluuionem agnosci, non obstante dicta l.Martius,in qua dicitur de re commercio non subiecta, de via publica scilicet,quæ non præscribitur.l.viam publicam. de Via pub. & itin. pub. reficien. Iurisdictio autem ab ea multùm est dissimilis, venditur enim vt supra, & præscribitur,vt in c. cum contingat. vbi Abb. in 3. not.de Foro compet.& communiter receptum esse inquit Ias.in l.imperium.nu. 20. de Iurisd.om.iud. latè de ea re Balbus de Præscript. 2. par.5. partis princip. q.3. adde textum in l.viros. vbi Gl.& Bart C.de Diuer.offi.lib.12.

24

¶De secunda,quam addidit,ratione,indignum est ferè verba facere.ait enim,ab alluuione mutari,& trãsferri tantùm ea, quæ soli sunt, non iuris,si bene pertractentur vniuersa iura de alluuione loquentia, prout est iurisdictio. Sed quæ de vsufructu, de seruitutibus, & de iure pignoris proximo superiori capite dicta sunt, perpetuum huic rei imponunt silentium.

¶Tertiò loco motus est Iason l.in agris.de Acq.rer.dom.quo loco euidenter patet, in Limitatis agris non habere locum ius alluuionis, cuiusmodi sunt †,iurisdictiones, quæ proprios fines limitatos habent vt inquit Bald.in l.pen.in fi.C.de Institut.& subst.ergò,&c. Sed hoc

25

Baldus non dixit, nec potuit dicere, iurisdictiones esse Limitatas. illud inquit tantummodo, castra & villas habere proprios fines; quod nemo negarit. de limitatione castri, vel iurisdictionis, nullum verbum. potuit Iason adducere ea, quæ Bart. in illo verbo *Acquiritur* num. 6. adduxit in hanc rem, & quæ in proposito allegata sunt a Baldo Bartolino, vt habetur in Cornei cons. 287. nu. 5. lib. 3. Sed nec Bartolum, nec Iasonem, nec Baldum hunc, cæterosvè illorum temporum iurisprudentes intellexisse, quales essent agri Limitati: & quàm leue sit hoc fundamentū, qui respexerit ea, quæ superiore libro cap. vlti. de re hac disseruimus, facilè cognoscet. vbi quoniam ad satietatem vsq; dictum fuit, illuc me refero. Ius etenim singulare est, olim vsurpatum, in consequentiam nostris præsertim temporibus, non trahendum, ob diuersam morum, & temporum conditionem. Ex quibus etiam constabit, quàm futiliter huic argumento conatus sit respondere Bologninus in eo consi. 14. quod totum ferè hac re repletum est.

¶ Postremo † (ad Riminaldum enim propero) in compluriū idem sentientium numero, & auctoritate vim facit; in Bartolo inprimis, qui sententiam hāc latè comprobat in eo verbo *acquiritur*. in fi. de quo iam dicemus, & Baldo, qui in c. 1. §. si quis de manso. num. 6. de Controu. inuestit. alluuionis incrementum inquit, non posse mutare publicos fines, qui sunt à iure publico affixi, vt puta fines Plebanatuum, & similium: quia sunt inuariabiles, & perpetui, & consueuerunt tales esse quādoque, quos ipsa etiam natura mutare vix potest, vt montes & rupes, iuxta not. in c. super eo. de Paroch. & in c. ex literis. per Io. Andr. de Probat. item Bal. in Rub. de Rer. diuis. num. 21. expresse ait, alluuionem circa iurisdictionem non operari: quia non mutat iura publica l. Martius. de Acq. rer. dom. Et ante hos omnes, hoc idem videtur voluisse Glos. in c. licet. 16. q. 3. ait enim per alluuionem terminos Episcopatuum, & confinia non mutari. His addas Io. Fabrum, & Aret. in §. præterea. Instit. de Rer. diuis. in prin. quibus hoc idem placuit, quoniā territoria videntur Limitata, arg. l. in agris. Eod. Eiusdem fuit sententia, & ita respondit Corn. in cons. 322. lib. 1. quod est repetitum totidem fere verbis in eius cons. 287. lib. 3. vbi subscripsit consilio Baldi de Bart. eo loco ad verbum ferè, transcripto. Ita Soc. sen. sibi cōtrarius. in cons. 181. num. 2. lib. 2. obiter tamen illud asserit. quod est repetitū in cons. 127. ibiq; nu. 5. lib. 1. item Cepol. de Seruit. cap. de Flumine priuato in fi. & Rimin. Iun. in §. 1. nu. 81. Instit. quib. alie. licet, vel no. In summa hāc opinionem crebriore calculo approbatam inficiari nō possumus, quod nec Cur. senior negauit, de quo superius, & hoc no-

26

bis

bis testatur Iason, à qua sententia ideo non esse in iudicando recedendum contendit. Sed de hoc vltimo Iasonis fundamento post Riminaldum excussum, de communis quoque opinionis, & huius præsertim auctoritate dicemus.

¶ Ad Riminaldum igitur venio, qui validissimo communem hanc sententiam dilemmate communiuit. quod ex Bartolo desumptú quidem est, sed ab illo & doctissimè exaggeratum, & subtilissimè confirmatum. cui si per nos occursum fuerit, vt perfectè dilutum videatur (quod aggredior) veritatem pro contraria opinione stare, nemo in futurum dubitare poterit. quam nihilominus apertissima legis decisione confirmare his dilutis constitui. Sed ad rem.

Aut consideramus (inquit) iurisdictionem iuris esse publici, prout regulariter accipitur per l. 1. §. huius studij. ibi. *magistratus* de Iustit. & iur. Glos. Bart. & cæt. in l. 1. de Iurisdict. omn. iudi. Aut consideramus eam esse ut priuati iuris, prout considerauit Bart. in verbo illo *acquiritur*. Vtrouis modo considerata fuerit iurisdictio, ab alluuione incrementum recipere non potest.

27 Nam si publici iuris esse dicimus, clarum † est (inquit ille) quòd alluuio non operatur circa ea, quæ sunt publici iuris, & in vsu publico, nec ea in alium transfert. vt est textus expressus in l. Martius. de Acq. rer. dom. (super hoc tota vis consistit.) sicut igitur alluuionis vi viam publicam, quæ publici iuris est, in alium non transferri per eum textú cognoscitur: idem ius quoq; de iurisdictione statuatur, quæ publici iuris est, & in vsu publico. Nam non est conueniens, vt iurisdictionem, quam quis habuit super flumine, & per hoc in alueo fluminis (eiusdé 28 enim iuris est, & iurisdictionis † alueus, cuius & ipsum flumen. l. adeo. §. quod si toto. versi. nouus autem. de Acq. rer. dom.) ex eo quod per alluuionem mutauerit alueum flumen, à veteri alueo iurisdictionem quoque aboleuerit. Nec obstat l. ergo. §. alluuio. Eod. vbi dicitur flumina, & de publico priuatum, & de priuato publicum facere. nam contra per eam manifestè potius arguitur, iurisdictionem alluuione non transferri: quoniam inde eam esse naturam alluuionis comprehenditur, vt de publico in priuatum, & de priuato in publicum addicat. quod autem de publico in publicum, & de priuato in priuatum, nullo iure cautum est, & per eam legem id videtur prohiberi. Vnde his consequens est statuere, iurisdictionem, territoriumve, si vti publici iuris accipiuntur: non posse per alluuionem transferri in vicinum territorium, iurisdictionemue pari iure consideratam. ne publicum in aliud publicú transferri videatur. Hæc Riminaldus in summam redactus.

¶ Cur-

¶Curtius duobus respōdet modis. Sed in vtroq; fallitur. nec enim (vt cum eo breuiter agam) licèt flumen de publico alueo adijciat prædijs ciuitatum, ideò in proposito dicitur de publico publicum iurisgētium facere, vt latè superius docuimus. Et verum est, quod ipse negauit; in l. Martius. constitui, id, quod publicum est, nemini accedere. vt hæc sunt ferè illius legis verba expressa. Ego itaq; aliter occurrendū prædictis censeo. Præsuppono igitur, & libentissimè concedo, iurisdictionem, & territorium vti iurisdictione munitum iuris esse publici, cōsiderari posse, imò deberet absolutè, & propriè loquēdo; vt ex cu-29 iuslibet eorum difinitione communiter recepta coarguitur. nihilominus ea per alluuionem transferri, euidenter ex † ipsa l. Martius. consta-30 re censeo. Negatur quidem ibi, id quod publicum fuisset, viam scilicet, vlli per alluuionem accessisse. vlli intelligas ex priuatis prædijs, de quibus tantùm agitur in ea lege; & conuenienter proculdubio. in habentibus. n. dissimilem, & contrariam ferè naturam rectè prohibitus est transitus arg. l. mutuis. Pro socio. cum simil. in re tamen eiusdem naturæ, & conditionis hinc atq; inde fieri transitum per alluuionem, è publico scilicet in publicum, eo loco non negatur. Quin, si diligentius animum ad legem illam aduertimus; talem transitum apertè factum, & posse fieri intelligemus, & meritò iuxta vulg. l. in rem. §. item quæcūque de Rei. vendica. Etenim si ex via ibi factus est alueus, & ex alueo postmodum via facta est per alluuionem: ergo è † publico publi-31 cum factum esse, nemo negarit; quoquomodo per alluuionem via ibi facta fuerit, totàve ex integro, vel ex parte tantùm restituta. Quibus ita constitutis, meritò dicendū venit, & iurisdictionem † iurisdictioni, 32 & territorium territorio, licèt sint publici iuris, per alluuionem inuicem adijci, & augeri ea posse. cum non solū per l. Martius. id non sit prohibitū; sed potius apertè concessum. Quinimmo, si de via hoc est sancitū; multò magis de territorio iurisdictione munito dicendū puto: quod est quid vniuersale l. pupillus. §. territoriū. de Verbor. sign. vnde facilius incrementum potest accipere, vt iam diximus.

Nec me fallit, viam † quidem è publico fieri seu restitui, sed tamen 33 non augeri, quod de territorio, & iurisdictione nos dicimus: ergo ab ea iusta veraq; penitus non videtur argumentatio. Nihil tamen hoc officit, quin liberè constet, per alluuionem è publico publicum fieri. & hoc est, quod quærimus. Vnde Riminaldi præcipuum corruit fundamentum, Baldiq; & cæterorum, quotquot per eam legem in hanc ierunt opinionem. Cæterū, quòd via non augeatur, minimè nos moueat. hoc vult singularis, & propria viarum natura, & conditio, nec

ob id

ob id in consequentiam trahenda l. ius singulare. de Legibus: taxatam enim, & quodammodo limitatam habuerunt mensuram; prout quæque ad certum publicum vsum fuit destinata, ex qua egredi permissum non est. facit l. 1. §. via publica. ibi *ab eo, qui ius publicandi habuit*. Ne quid in loco publ. &c. & l. viæ latitudo. de Seruit. rust. præd. faciunt multa, quæ de limitibus in cap. fi. superioris libri diximus. Addas præterea, minimè mirum haberi, si vltra statutam mensuram via alluuione non augeatur: nec enim diminutionem quoque recipit, sed ei ex vicino prædio confertur, quod flumen abstulerit l. si locus in fi. Quib. mod. seruit. amitt. vnde naturam agrorum Limitatorum accepisse videtur, de qua superius egimus. hoc autem de territorio dici nō potest, siue iurisdictione illi cohærente (vt alio loco dicendum, & probandum reseruo) quæ per fluminis vim diminui euidenter demonstrabimus. Sed de his satis.

¶ Ad aliud dilemmatis membrum accedamus, in quo vim omnem ponit Bart. & maximam Ferrariense Collegium: & re vera subtilis est consideratio, & arrectis auribus attendenda: nescio quid captiosum enim redolet, quod detegere necessarium videtur, ne fallamur in futurum.

Si consideramus, (inquit Rimin.) iurisdictionem prout iuris priuati, † vt in proposito Bar. in eo verbo *acquiritur* in fine, tanquàm eam, quæ in cuiusque Principis, & ciuitatis dominio est, & ab illis possidetur priuatim quodammodo; vnde non quilibet è ciuitate, sed is solùm, cui ciuitas concesserit; & ea, quæ inde percipiuntur, vt multę, pœnæ, & similia ipsius ciuitatis, vel domini sunt, tanquàm priuata bona l. 2. §. hoc interdictum. 2. Ne quid in loco publ. stante hac consideratione, ius alluuionis operari non potest circa iurisdictionem; tum quia non probatur, alluuionem facere è priuato priuatum, sed ex priuato publicum; ideò iurisdictio, & territorium iurisdictioni, & territorio, cum vti priuati iuris iuxta prædicta considerantur; adijci non poterunt à flumine. tum etiam † quia flumen aliàs publicum propter ipsam priuati iuris vt supra iurisdictionem, non consideratur, & habetur amplius vt publicum, sed vt priuatum: ideo cum flumina priuata ius alluuionis non habeant. l. lacus. de Acq. rer. dom. circa iurisdictionem quicquàm operari non poterunt. Et hæc fuit intentio Bart. in loco citato, vbi concludit, quòd indubitanter per alluuionem non additur, neque detrahitur iurisdictioni. Hucusque Riminaldus.

34

35

¶ Curtius hinc euadere, & è captioso hoc priuati iuris carcere, in publicum, & apertum veritatem adducere nixus est; sed res malè cessit.

Negat ille, rectè Bartolum à lacu priuato ad flumen publicum inferre. Sed hæc non fuit Bartoli intentio: supina equidem fuisset argumentatio. id voluit (prout declarat Corn. in consi. 287. num. 10. lib. 3.) per iurisdictionem flumen publicum, vt dixi, censeri priuatum; & quòd ad eam attinet, ideò non habere ius alluuionis, sicut aliàs generaliter quilibet lacus priuatus. Quasi dixerit, idem ius esse in parte quoad spectat ad partem, quod est in toto quòd ad totum. argumẽtatio igitur non fuit generaliter, & simpliciter, sed secundùm quid.

Ego aliter hinc euadendum arbitror, & captionem detegendam. à fundamentis ipsis carcerem tentandum puto. Duo inquit Riminal. Alterũ est, alluuionẽ non facere è priuato priuatũ, sed ex priuato publicũ. Alterũ est flumen per iurisdictionẽ, & ratione iurisdictionis cẽseri priuatũ. Quod ad primum pertinet; licèt Pomponius dicat in eo §. alluuio. flumina addicere ex priuato in publicum: minimè tamen negat, & ex priuato in priuatum addicere. & ne in aperta re diutius contendamus: constat ex l. adeo. §. præterea. vers. quòd si vis. de Acq. rer. dom. flumina † ex priuato quoq; in priuatum addicere. illic. n. crustam alieno agro detractam, & meo superinductam, meam effici inquit Caius, cùm primùm vnita fuerit, vel statim, si dominus ignoretur. idq; contingit iure alluuionis, vt dixi in superiore libro. cap. 7. ergo, &c. De tota autem re hac latius in cap. 5. superioris libri. Quòd ad secundũ spectat. illud primùm aio, à Bartolo minimè probatum, neque à cæteris, quod potissimè probandum fuit; flumen aliàs publicum habendum pro priuato, ratione iurisdictionis in eo vti priuati iuris consideratæ. Magna quidem est Bar. auctoritas: illi primas deferimus sine controuersia: quandoque bonus tamen dormitat Homerus, vt est in Adagio. Addo, quod placuit Archid. in c. nolite 11. q. 3. doctori quamuis egregio standum nõ esse, si lege nõ innititur. Adde Ciceronem, cuius fuit ad discipulos frequens hæc oratio. *Non te moueat dicentis auctoritas, sed quid dicat, attendito.* Facit ad rem illud vulgatum. Erubescendũ est ei, quisquis sine lege loquitur. §. consideramus, Aut. de Triente, & Semisse. quod axioma Bar. & ipse annotauit ex l. illam. C. de Collat. Plura si placet ad hoc videre, adeundus est Ias. in ea l. illam. à nu. 4. ad 10. vsque.

Cum igitur exceptio hæc iure nõ probetur, standum est, & tenaciter inhærendum regulæ; ita inquit Glos. in l. omnis definitio, de Reg. iur. & in simili quæstione multa congessit Curt. iun. in cons. 250. in prin. lib. 3. Vt † vis publici fluminis, in omnibus siue soli, siue iuris, tàm publici quàm priuati agnoscatur: & ideo iurisdictionem per alluuionẽ transferre possit, siue vt iuris publici, siue vt priuati consideratam.

36

37

38 Quinimmo † quòd flumen publicum non desinat generaliter esse publicum, & quod attinet ad omnes effectus; sit quamuis iurisdictio in eo vt publici, siue vt priuati iuris considerata: apertè (ni fallor) ex sequentibus conuincitur.

Diligenter in primis est animaduertendum; in Bartoli verbis, & Rinaldi captionem latere. Nam flumen esse † priuatum, duobus 39 modis accipitur; vt in superiore libro cap. 15. pro hac captione detegenda consultò annotauimus ex Ias. in l. quominus. nu. 37. & ex Ripa ibidē nu. 1. de Flumin. Eo sensu quandoq; sumitur, quo est publico flumini contrarium, i. quod non est in vsu publico, & quod in abstracto præsupponimus esse in bonis alicuius, sed cuius, non quærimus, nec curamus. & hoc sensu nō accepit Bar. & in huiusmodi priuato flumine indistinctè cessat ius alluuionis, vt habetur in l. lacus. de Acq. rer. do. Secūdo priuatū dicitur flumen .i. proprium; & hoc modo flumen etiam publicum potest appellari priuatum, sed abusiuè, prout est propriū, i. suppositum iurisdictioni, & dominio cuiusq; ciuitatis, in cuius territorio defluit. facit optimè text. in l. litora. ibi *Populi Romani esse*. Ne quid in loco publ. & ibi Iacob. de Are. & per eum Bald. in l. si plures. nu. 13. C. de Cond. insert. & hoc modo, & iuxta hunc sensum flumen publicum propter iurisdictionem appellari potest priuatum, idest proprium, quod ad emolumenta portuū, vectigalium cuiuscunq; ciuitatis, vel Principis; nō tamen reuera, & quod spectat ad cæteros effectus, vt alluuionis, est priuatū. Dicere ergo, propter iurisdictionem, quam super aliquo flumine habet ciuitas, flumen est propriū ipsius ciuitatis (loquendū enim est propriè, si è captione euadere curamus) ergo non habet alluuionem; hoc est omnino absurdū, & iure (vt dixi) non probatur: & hoc est, aut ius vniuersum alluuionū tollere (quod enim flumen ab alicuius iurisdictione, & dominio exemptū est iuxta annot. per Bal. in ea l. si plures. num. 13?) aut saltem ratione bonorū cuiusq; ciuitatis dominantis, quæ publicè, vt priuata possidet, ad similitudinē iurisdictionis sic, vt supra priuati iuris consideratæ. Sed primū nemo 40 sanus concesserit. secūdū † nec Bart. ipse auctor huius subtilitatis concessit in Tyb. Par. 1. in Verbo *nostro*: nam alluuionem in rebus ciuitatis proprijs habere locum, prout in cæteris priuatis rebus, edocuit, & rectè. textus est in l. in agris. ibi *in ciuitatem veniant*. de Acq. rer. dom. vbi Glo. ergo & in iurisdictione eodem modo possessa locum sibi vēdicare dicendū est: cū inter iurisdictionem, & ea bona ratio differentiæ nulla possit assignari.

41 Rursus scire oportet, flumen † esse publicū, & ideo habere alluuio-

nem, ab alio non iudicari ferè, quàm ex eo, quòd sit naturaliter aptum vsui publico, vti si perenne sit: & ab hoc priuatũ flumen à publico discernit Bald. in l. item lapilli. nu. 5. de Rer. diuis. de qua re nos in superiore libro cap. 15. Constat igitur è solo vsu publico flumen esse publicũ, & inde habere ius alluuionis, diiudicari; in proprietate autẽ nullam fieri vim. Proprietatem appello dominiũ, & iurisdictionem, quam vnaquæq; ciuitas, Principesvè habet in fluminibus. ita appellatur ab Ang. in l. fluminum. de Dam. inf. sic Cepoll. de Seruitut. cap. de Fluminibus publ. Vers. Dicamus.

His sic stantibus, quomodocunq; iurisdictio cõsideretur, naturam publici fluminis, & effectũ mutare, & minuere minimè potest. Natura enim, & aptitudo rei cuiusque; magis, quàm alicuius emergẽtis qualitas spectanda est: & hoc medio vtitur Glo. ad similem fallaciam euadendam in l. vendicatio. de Rei vendi. Faciunt optimè vulgata illa; vbi natura, & accidẽs concurrũt, causa naturalis præiudicat accidentali. l. qui habent. in prin. de Tute. Item illud accidentia non mutant rei substantiam, & effectũ. l. naturalem. §. apum. de Acq. rer. dom. cũ simil. & hæc quodammodo sensisse Curtius Senior videtur.

Quapropter cõsideremus omnia potius secũdũ propriam cuiusq; naturam, † & propriam definitionem, flumina publica, vt publici iuris, iurisdictionem, & territorium, vt publici quoq; iuris. Quid vrget, aliud potius, quàm hoc considerare? quinimmo ad hoc ratione ipsa cogimur, ne à naturali, & propria verborum acceptione recedamus l. non aliter. de Leg. 3. Item si (vt inquit, & rectè Curtius) in effectu alluuionis producendo flumen vt agens, territorium verò, siue iurisdictio, vt patiens consideratur, cum quæritur an alluuio possit habere locum: Cur non consideratur fluminis potius, vti agentis, proprietas naturalis, quàm patientis qualitas accidẽtalis? allegat Curt. not. per Abb. in c. ad aures, in 2. not. de Præscript. vbi priuilegium actiuum Ecclesię potentius operari contendit, quàm passiuum: nam & contra ipsam operatur.

42

Aut igitur ex prædictis, vti iuris publici flumen, & iurisdictio sunt considetanda, iuxta cuiusq; definitionem. Aut si placet secundũ diuersos effectus considerare: negari non potest, quin si tibi licet vti priuati iuris intelligere, mihi quoq; eodem tempore non liceat, vti publici iuris accipere; nulla enim ratio ab eis adducitur, cur quod tibi permittitur, mihi negari debeat. Hoc ita concesso, necessum est postea, absurdissimum quid consequi. Vt iurisdictio, quæ est de indiuiduorũ genere secundùm Bart. in Tyb. Par. 3. verbo *stricta ratione*, in fi. scissuram,

& diuisionem patiatur. prout enim est in vsu publico, & publici iuris transferetur per alluuionem, vt ita iam docuimus: prout verò in re priuata ciuitatis, non immutabitur. Sed hoc non patitur ipsa iurisdictionis natura; nec etiam nostra iuris ciuilis prudentia tam captiosas ambages admittit. l. ita nobis. C. de Adulter. Si ergo secundũ vtrũq; sensum non potest accipi, secũdũ propriam igitur, & naturalem appellationem ex definitione resultantem accipiatur.

Constat itaq; ex superioribus, iurisdictionem quomodocũq; consideratã, per alluuionem transferri: nam flumina nõ solùm ex publico in priuatũ, & ex priuato in publicũ addicũt, sed ex publico quoq; in publicũ, & ex priuato in priuatũ. Quæ autem dicta sunt de iurisdictione, eadem dicta intelligantur de territorio: aut vt publici iuris cõsiderato. i. iurisdictione munito, prout ita regulariter debet accipi, iuxta suam definitionem à Baldo traditam in Rub. Quæ sunt Regal. & comprobatur ex l. pupillus. §. territoriũ. de Verbor. signifi. aut vt priuati iuris absq; iurisdictione. Nam, quòd ad hoc vltimũ pertinet, præter superiora ex alio et ab alluuione incrementũ accipere dicimus, siue vt corpus, siue vt ius, territoriũ intelligatur. Si vt quid corporeũ, nemo negabit agrũ agris adijci per alluuionẽ. l. adeo. §. præterea. de Acq. rer. do. cũ simil. Si vt quoddã ius vniuersale. i. ius territorij, quod in eo præsertim agnoscitur, & suæ ciuitati vtilitatem præstat, dũ agitur de collectarũ, & tributorũ solutione: agri enim tributũ in ea ciuitate debet leuari, in cuius territorio possidetur, vt in proposito huius disceptationis. i. in territorio sine iurisdictione, habetur text. in l. forma. §. si verò quis. de Censib. Iurisdictio enim omnis tũ erat apud populum Romanũ, Imperatorem vè, si inquã vt ius cõsiderabitur, vti hæreditas, in qua licèt sint res corporeæ, tamen vt ius, & quid incorporeũ accipitur. l. 1. in fi. de Rer. diuis. tũ sicut hæreditas alluuione augetur, l. & puto. §. 5. Famil. erciscun. pari quoq; ratione territoriale ius augeri, dicere nihil prohibet.

43

¶ Et hæc sunt omnia propemodum, quæ hinc, atq; inde adducta legimus. potiora enimverò sunt. quibus per nos optimè (ni fallor) dilutis, animaduerti facilè potest, quàm debili nitatur fundamento ea opinio, quæ duce Bartolo communiter recepta est, & quàm leuiter à Ticinensi collegio oppugnata fuerit. Quid autem in tam turbulenta disceptatione decernendũ? Ego inter pauciores resideo. & tametsi vnq̃ licuit à communi opinione respondendo, & iudicando recedere, hic iustè licere, firmissimè teneo: non per ea solùm, quæ in communi sẽtẽtia refellenda cõgessimus, (quanquã nec leuia credamus) & per quæ

genera-

generalem regulam, & potestatem alluuionis ab hac communi exceptione defendimus: sed ex ijs potissimùm, quæ omissa captiosa illa, & nimis subtili disceptatione, per apertam legis decisionem firmata, & ex ratione naturali deprompta in medium nunc allaturi sumus.

In primis igitur ex l. fi. C. de Alluu. apertissimum aio esse, & territorium, & iurisdictionem per alluuionem augeri. quam legem miror equidem Curtium Seniorem, cæterosq; eius collegas non considerasse, cum ab eis adducatur, sed ad aliud quid, vt supra dixi. cuius vim ad hoc subodoratum quẽdam Ioachimum legimus apud Corn. in cons. 322. in prin. lib. 1. cui palam respõdere nixus est postea ibi Corn. nu. 10. de qua re paulò post dicam.

¶ Ad pleniorẽ autem, & clariorem explicationẽ, pręmittẽdum est, per † descriptionem in libro censuali, & per impositionem, exactionemq; census, & tributi, locum, villàmve, quæ describũtur, & pro quibus fit exactio, probari esse de territorio, & iurisdictione eius ciuitatis, sub qua persoluitur tributum. quod conijcimus ex §. si quis igitur ex qualibet. ibi. *Sub qua ciuitate tributa persoluit.* Aut. Quib. mod. natur. eff. sui. Item ex l. 3. ibi. *Sub qua vicus ille, vel possessio censetur.* C. de Natur. liber. quoniam quilibet agrum profiteri debet in eâ ciuitate cui subest; & agri tributum in ea ciuitate debet leuari, in cuius territorio possidetur. vt probatur in l. forma. §. si quis verò. de Censib. & hoc Baldo placuit in ea l. 3. & latissimè comprobauit in l. data opera. num. 28. C. Qui accus. non poss. ita Alex. in con. 35. nu. 4. lib. 4. & hoc est notissimum.

44

¶ Sciendum est † præterea, iurisdictionem posse quandoq; cohærere personæ, interdum loco, & territorio, vt inquit Bar. in l. 1. in fi. de Iurisd. om. iud. in dubio autem territorio cohærere iudicandum ait in l. inter eos. de Acq. rer. dom. hoc idem Alber. in l. ergo. in prin. Eod. & in l. 1. §. in initio. per illum textum. de Off. præf. vrbis. Mouetur Bart. l. pupillus. §. territorium. de Verb. signifi. quo loco Pomponius definiuit, territorium esse vniuersitatem agrorum intra fines cuiusque ciuitatis: ab eo dictum, quòd magistratus eius loci, intra eos fines terrendi. i. submouendi ius habet. Hinc Bal. in Rub. Quæ sunt Regal. territorium, inquit, est spatium terræ iurisdictione munitum, & in l. 2. num. 2. de Off. præsid. quamlibet iurisdictionem asserit suum desiderare territorium, vti seruitus fundum. Vnde territorium ex vi sermonis iurisdictionem glebæ inhęrentem habet, argumen. eius §. territorium. Et ad hoc communiter affertur l. fin. ibi *cui & iurisdictio adhæret.* C. Vbi & apud quem, l. 1. §. in initio ibi. *Sed si vltra ipsum lapi-*

45

dem de Off. præf. vrbis. & vtrobique Bart. Bal. & cæt. & Rim. inquit in eo conf. 64. nu. 5. lib. 1. communiter effe receptum, iurifdictionem territorium cohærere materialiter, & paffiuè. Et hæc veriffima funt, cum loquimur de iurifdictione ordinaria, vt eft fententia Bar. in l. 1. §. cum vrbem. num. 8. de Off. præf. vrb. qui in hoc fecutus eft ibi Cynum, & Guil. & Dynum in d. l. inter eos. expreſsè Bal. in l. imperium. nu. 3. in prima lectura de Iurifd. om. iud. & in c. vno delegatorum. in fi. de Off. deleg. vbi ait, quòd iurifdictiones ordinariæ funt reales, & territorij fo liditate firmantur, vti delegatæ perfonales funt. Et, fi non folum vti ordinaria fuerit iurifdictio, fed etiam vt vniuerfalis confiderata: pro-

46 culdubio † tum nec ea fine territorio, nec territorium fine iurifdictione dari poterit. quod placuit Bar. in l. 2. §. fin. num. 7. de Opr. leg. quem fequitur Bal. in Aut. habita. num. 96. Ne fil. pro patre, & in l. à procuratore. num. 2. C. Mand. & poftremò Alex. in conf. 75. num. 19. vol. 4. Quapropter in fumma hoc fit conftitutum, iurifdictionem ordinariam, & vniuerfalem territorio cohærere, & fine eo effe non poffe; in qua fpecie nos verfamur. vt quod de territorio cenfebitur, idem de iurifdictione illi cohærente ftatuendum veniat.

¶ Iam venio ad l. fin. Inquit Theodofius. *Ea, quæ per alluuionem poffeſſoribus acquiruntur, neque ab ærario vendi, neque à quolibet peti, neque feparatim cenſeri, vel functiones exigi, hac perpetuò valitura lege fancimus*. Nemo pu-

47 tet † hic agi, an functiones exigi maiores propter incrementum alluuionis debeant; hoc iam conftabat: augendæ funt enim, vt paulò ante

48 dicitur in l. 2. C. Eod. Illud decernitur, † ne feparatim exigantur, nec feparatim incrementum cenfeatur. hoc voluit Glof. in ipfa l. fin. in verbo. *exigi*. hoc placuit Odofredo in l. 2. C. eod. & Azoni in Summa eius tituli. ita refpondit Pet. Vbald. in quodam confilio poft eius tractat. de Duob. fratrib. & de Collectis impreſſo num. 9. & talem omnino Imperatoris fuiffe mentem, ego quoque arbitror.

Si non poteft igitur incrementum alluuionis fundo meo adiectũ, ab eo feparatim cenferi, neque pro eo functiones feparatim exigi: Sed oportet, vti vnicum prædium, in eodem libro cenfuali defcribi, & annotari: fequitur neceffariò, territorium per illud incrementum illi additum augeri. Nam fi in eodem libro cenfuali feparatim à prædio, cui acceffit, non poteft defcribi: ergo fub eodem territorio cenfebitur.

49 Rurfus † fi in eodem libro, & in eodem territorio feparatim à prædio non poteft cenferi: multò minus in alio territorio, & in alio libro defcribi poterit. augeri igitur territorium per alluuionem, quæ ei acceſſerit, neceffum eft; cum fub eo cẽferi oporteat. & per hanc l. fina. po

Itea

ftea comperi Nattam respondisse in cons. 286. lib. 2. augmentũ alluuionis debere cēseri in eo territorio, vbi descriptus est fundus, cui additum fuerat.

Item si pro alluuionis incremento nō possunt separatim exigi functiones ab eis, quæ pro ipso prædio penduntur: agri autem tributum in ea ciuitate debet leuari, sub cuius territorio possidetur; vt ideo ager ille eius ciuitatis iurisdictioni subesse probetur: ergo de eodem territorio censebitur esse incrementum, & sub eadem iurisdictione, in quibus & ipsum prædium constitutum est. Aucto itaq; per alluuionem prædio, & ob id auctis functionibus, territorium vnaq; iurisdictionem augeri, euidentissimè constat. Quòd si ab altera fluminis parte territorium & iurisdictio augmentum accipit: ab altera proinde, & cōtraria parte diminutionem contingere necessariò dicendum venit. vt iam certum sit iurisdictionem ab alluuione incrementum, & diminutionem accipere solere.

¶ Cæterum Corneus in cons. 322. nu. 10. lib. 1. eius legis vim retūdere aggressus est, quam perstenserat à quodam Ioachimo, latenter quodammodo, ad hoc animaduersam. Ait Corneus. verum est quidem per augmentum alluuionis censum augeri, sicut & per decremētum minuitur, vt vtrunq; probatur in ea l. fina. & in l. 2. eiusdem Tituli: non tamen ibi probatur, cui debeant persolui functiones. i. in qua ciuitate: dicitur enim de tributis generaliter, quæ Principi tum omnium domino pendebatur. Sed fallitur hic † Corneus. quid enim aliud sibi volunt illa verba *nec separatim censeri, neq; functionis exigi*. quàm vt ostēdant, in qua ciuitate, & in quo territorio pro incremento illo tributũ leuari debeat. Nec bona est expositio, & horum verborum sana explicatio, quam affert Corneus; Ideò non debet separatim censeri, hoc est, non debet pro primo prædio teneri, pro augmento non teneri: nā pro vtroq; subit onus. Hæc ille. Non, inquam, hic est sensus illic: non enim in ea lege de solutione augenda fuit dubitatio; hoc clarum præsupponebatur stante l. 2. C. Eod. vt paulò ante auctoritate Azonis, Accursij, Odofredi, & Petri comprobauimus. de modo & forma solutionis ibi agitur. censeri proculdubio debere præsupponit Imperator: sed ne separatim censeatur augmentum à fundo & separatim functiones exigantur, prouidetur. vt apertissimè ex dictione *separatim* ad vtranque periodum referenda, quisque potest cognoscere. Sicut enim sensus illius orationis, *vel functiones exigi*, sine aduerbio *separatim* languet, & nihil ferè sonat, aut significat: ita perfectè, si illud addideris, videtur sensui respondere, & satisfacere.

50

51 ¶Rursus ait Corneus, licèt augmentum prædio adiectum vnicus fundus efficiatur:non tamen est † inconueniens, si diuersis ex rationibus diuersis modis cōsideretur. vt in simili probatur in l. qui fundū. §. si fundū Cornelianū. de Vsuc. pro emp. vbi pars fundi à me fundo alteri addita, sua separatim præscriptione acquirenda est. Quid enim, si in confinio vnius, & alterius territorij, emptum alterius fundum, alterius territorio adijcerem: profectò vnicus efficitur fundus; hoc enim à sola animi destinatione pendet. l. quod in rerum. §. si quis post. de Leg. 1. & l. 3. §. si quis duas. Commun. præd. Nonne totius fundi munera agnoscerem, illa tamen separatim, partem in hoc, partem in illo priori territorio? hoc enim constat, priuatorum operatione ius publicarum functionum lędi nō posse. l. inter debitorem. in fi. de Pactis. Sic itaque ne inconueniens dicamus, vt alluuionis incrementum in vno, & prædium, cui accessit, in alio territorio censeatur, & pro eis tributum separatim, & diuersis in locis persoluatur. Hucusque Corneus.

¶ Sed nec prædicta obstabūt, quin per alluuionem territorium augeri ex ea lege contendam. Verum est quidem, vnum fundum diuerso iure censeri; ne hominis facto, & eius voluntaria translatione ius publicum immutari contingat. At in diuersis terminis species nostra versatur: de translatione necessaria, eaq; legitima tractamus (flumina enim Cēsitorum vice funguntur, vt in l. ergo. §. alluuio. de Acq. rer. dom.) arg. l. alienationes. Famil. ercis. Præterea augmentum factum per alluuionem certò sciri non potest, an sit de vicino territorio translatum: vti cum hominis operatione hoc contingit: ignoratur enim vnde proueniat alluuies. quamobrem nemo de certa sui territorij portione in alienum translata conqueri potest. Ideo nulla hoc casu posset dari pro territorio vendicando actio legitima; sicut illo, cum hominis operatione facta est translatio.

Concludamus igitur, alluuionis incrementum nec à fundo, cui accessit, nec à territorio, in quo est fundus, separatim censeri, & pro vtroq; functiones simul in eadē ciuitate persolui debere, & cōsequenter territorium, & iurisdictionem ex alluuione simul augeri, cum ipsa territorio cohæreat: & in contrario latere fluminis territorium, iurisdictionemq; diminui.

¶Ad quod ita decernēdum, preter claram iuris decisionem, quam ex ea l. fin. adduximus, vrgemur rursus hac firmissima argumentatione. Vt autem facilius res intelligatur; finge, vt alias de facto quæsitum est inter Ill. illos Gonzagas, flumen in confinio positum totum subesse iurisdictioni alterius ciuitatis. finge item ex agris territorij vici-

ni paulatim occupatis flumen alueum protulisse, auxisseq́; : proculdubio idem erit flumen, & eiusdem ideo iurisdictionis, licet sit auctum, arg.l.1.§.si tamen.de Flumin.de qua re nos in superiore libro cap. 12. quibus adde Boer. in cons.24.nu.16. Agri autem occupati erunt eiusdem iuris, cuius & ipsum flumen, l.adeo. §. quòd si toto, de Acq. rer. dom.pariter ergo ad ciuitatem eo iure pertinebunt,quo & flumen: nã alueus† cedit flumini,vt inquit Bar.in Tyb. Par.1.in verbo *cuius & ipsum flumen*. Sicut igitur flumen subest iurisdictioni,ita quoq; alueus. & hoc placuit Rimi.in eo cons.64.nu.12.lib.1. & nos latè comprobauimus in priore libro cap.12. Eam ergo iurisdictionem, quam habet super flumine, haberet etiam super alueo? quoniam eadẽ est iurisdictio, quæ immergitur aquis, & quæ super aquas eminet. vt inquit Bal.in l.si plures.nu. 13.C.de Condi.inser.alias sequeretur absurdum, quòd alter supra aquas, alius subter aquis iurisdictionem haberet. Dicamus itaque. si flumen alueum proprium augendo,& proferendo, hinc auget,& extendit territorium,& iurisdictionem,cui subest; & inde consequenter, & è contrario latere diminuit: certum est planè flumina circa iurisdictionem operari, eamq́; ideò per alluuionem augeri posse, pariterq́; diminui;vt quod per fluminis progressum diminuitur, per eius recessum augeatur.

52

¶ Hæc sunt,ex quibus audacter censeo, per alluuionem,sicut & cætera,iurisdictionem †quoque siue territorium augeri, & diminui. nec aliter aut responderem,aut iudicarem: quamuis contraria opinio crebriori calculo recepta sit. Si enim legis apertæ decisioni repugnat;si ratione vrgentissima conuincitur;si quibus ea innititur, rectè sublata, & penitus diluta sunt; verendum ne est, ne qui contra illam iudicauerit, litem suam faciat? Adest pro nobis Bald.in l.1.C.de Senten.præf.prętorio.vbi ait,eum non esse reprehendendum,qui contra communem opinionem respondit,si rectè respondit. Adest ipse Imperator Iustinianus in §.item pretium.Instit.de Empt.& vend. qui opinionem Proculi contra plerosq; cæteris prætulit, eo quòd validioribus rationibus argumentabatur. Idem in l.1.§. sed neque ex multitudine auctorum.C. de Veteri iure enucle. hoc iubere videtur. *Non ex multitudine auctorum*, inquit, *quod melius, & aequius est, iudicatote. Cum possit vnius forsan, & deterioris sententia, & multos, & maiores aliqua in parte superare.* Et per eum textum Abb.in cap.tua nos.nu.9.de Vsur.dixit, vbi communis opinio est euidenter falsa, eam sequi iudicem non debere, nec teneri, secutus in hoc auctoritatem Io. Andr.in c.1.de constitut. Et in proposito, qui ad satietatẽ vsq;, multa videre cupit, adeat Curt. Sen.in eo cõs.56.

53

verſ. tranſitum faciamus; vbi per binas integras ferè columnas hac de re diſſerit. Sed ab hac tabula manus (vt aiunt) iam tollenda eſt, & ad reliqua progrediendum.

ARGVMENTVM.

¶ An per euidentia, & ſeparata incrementa iuriſdictio augeatur.

SVMMAE.

1 Iuriſdictio non augetur per incrementum inſularum. & nu. 3.
2 Argumentum licet ſumere ab vſufructu ad iuriſdictionem.
4 Flumen, mutato toto naturali alueo, in eadem confinij cauſa an permaneat.
5 Flumen quod totum antiquũ alueum ex impetu mutarit, confinia territorialia ob id non immutat; vt hinc ideo iuriſdictio augeatur, illinc diminuatur. & num. 7.
6 Iuriſdictionem non immutat flumen, vbicunque & proprietatem non tranſtulerit.
8 Flumina funguntur vice Cenſitorum, ſiue paulatim, ſiue non paulatim adijciant.
9 Flumen aliud videtur, quòd toto penitus antiquo alueo mutato, aliâ fluere cœperit.
10 Iuriſdictio per incrementum aluei augeri dicitur.

CAPVT VII.

SVPEREST ea diſceptatio, ita ne per euidentia incrementa, inſularum, & alueorum mutatio contingat, & tranſlatis in iuriſdictione, & territorijs, vti per latentia. Planior eſt cognitio, ſed non iniucundior ſuperiore. Tria capita ſunt diſtinguenda, vt clarius, & facilius tota res poſſit intelligi. De inſulis igitur primùm, de totius deinde aluei mutatione, & de mutatione partis poſtremò quæremus.

1 ¶ Quod ad inſulas † pertinet; omiſſa diſceptatione, verum eſt, ſi natæ fuerint in flumine iuriſdictioni alterius ſubiecto, viciniores autem alteri territorio, adeo vt iure dominij ſpectent ad poſſeſſores illius alterius territorij: nihilominus ad iuriſdictionem illius pertinere, cuius iuriſdictioni flumen eſt ſuppoſitum, nec ob id augebitur territorium, cui inſulæ fuerint viciniores. ſeparatorum enim ſeparata debet eſſe ratio. l. item ſi fundi. §. ſed ſi inſula. de Vſufr. Et ſicut ibi vſumfructum augeri dicitur per alluuionis incrementum, quod de inſulis negatur: idem eſt dicendum in iuriſdictione, quam ſupra probauimus per allu-

uionem augeri; vt ideò per incrementum insularum non augeatur: & hoc probat per eum textum, in terminis ferè Bal. in cons. cuius initiũ est. *In nomine domini Amen. In supradicto puncto.* quod de verbo ad verbũ affertur à Petro Vbaldo in Tract. de Duob. fratrib. Par. 5. q. 28. nu. 31. Hoc idem sentire videtur Angel. in l. si seruitus. circa med. de Seruitut. vrb. præd. vbi ideò ad territorium auctum per alluuionem exemptionis beneficium porrigi, contendit: quia latens est incrementum: secus, si foret euidens; quoniam concessio facta ratione certæ rei, non porrigitur ad alias res, quæ oculo distinguũtur, vt in l. si ita. de Auro, & arg. leg. Hęc Ang. eo loco. Qui eiusdem fuisse sententiæ videtur in ea l. item si fundi. §. huic vicinus. vbi Flor. pariter. Et hoc suadetur, quoniam licitum est arguere ab vsufructu ad iurisdictionem, sic arguit Bar. in l. si egi. §. 1. de Public. & in l. iusto. § non mutat. de Vsucap. Bal. in Rub. C. de Vsufr. nu. 1. Innoc. ante eos in c. de quarta, de Præscrip. Nec obstat amplius ea ratio diuersitatis, de qua in superiori capite; vsumfructum scilicet iuris esse priuati, iurisdictionem verò publici: nam iam clarè constat per l. Martius. de Acq. rer. dom. & l. fi. C. de Alluu. vim fluminum in ijs, quæ & priuati, & publici iuris sunt, agnosci. Et ita iudicatum postea comperi. & hoc refert (simpliciter tamen) Boer. in cõs. 24. nu. 16. vbi per Arrestum Tholosę die octaua Martij, anni 1493. omnes insulas in Rhodano Carolo Galliarũ Regi adiudicatas fuisse, inquit; quoniam eius iurisdictioni totum illud flumẽ subest. Quod Arrestum, in alia tamen causa, per sacrum magnum Consilium fuit confirmatum, vt idem Boerius ait.

2

¶ Multò minus tantum augeri territorium, & iurisdictionem ijs insulis dicendum est, quas eo modo fieri contingit, cum flumen agrum circunfluit, qui aluei non fuit. Sicut enim rũ non mutatur causa proprietatis, sed eius permanet, cuius fuerat, l. adeo. §. præterea. de Acqui. rer. dom. multò minus iurisdictionis, de qua re paulò post dicam.

3

¶ Secundũ est; si toto naturali alueo simul relicto, flumen eousq; pro confinio inter duo territoria obseruatum alia, & diuersa parte fluere cęperit; an fines territoriales transferat, & mutet. De duobus potest quæri, de toto spatio inter veterem, & nouum alueum comprehenso. Item de solo aluei relicti incremento.

4

Quod ad primũ pertinet, olim ex facto tractatum est inter Mallea nenses, & Gallesianos, quorum territoria Tyberis diuidens, relicto priore alueo, intra territorium Gallosianum irruperat. territorium ob id auctum responderunt Ioachimus quidam Narniensis. cuius consilio subscripserunt simpliciter duo Aduocati Concistoriales, & Phi-

lippus nescio quis. Ex aduerso respondit Paulus Tuscanellensis, Baldus de Bartolinis, cui subscripserunt Petrus de Vbaldis, & Corneus. hæc omnia habentur apud ipsum Corneũ in consi. 322. lib. 1. & paucis immutatis in consi. 287. lib. 3. & quod ad Petrum attinet, euidenter etiam colligitur ex eius tract. de Duob. fratr. vbi in q. 28. par. 5. latè de hac eadem quæstione disserit. Ad rem verto.

Quòd per fluminis irruptionem hinc sit auctum territorium, illinc diminutum, mouetur eo Ioachimus. Flumen fuit, & semper habitum est pro confinio: vbicunq; igitur flumen sit, semper in eadem causa obseruandum est, & attendendum; & quicquid intra finem reperitur vel ab hoc, vel ab illo territorio, ad vnumquodq; eorum pertinebit, arg. l. in finalibus. Fin. regund. ibi *vetera monumenta*, & l. pen. ibi *vicos*. C. de Institut. & substit. Quando datam (inquit ille) legibus potestatem fluminibus eam, vt vni auferant, & alteri concedant, l. adeo. §. præterea. de Acq. rer. dom. l. 1. C. de Alluu. Potuit adducere l. ergo. §. alluuio. de Acq. rer. dom. vt in proposito adducit Andre. Isern. in c. 1. §. si quis de manso. in fi. de Contr. inuestitur. qui in hac post multa transijt sententiam motus hoc fundamento, quo & Ioachimus. Hac eadem argumentatione motus est quoque Philippus ille Ioachimi subscriptor. pro cuius confirmatione inquit vlterius; flumen, licèt ex impetu mutauerit alueum, idem nihilominus est flumen, & eadem aqua fluens: sicut vinum est idem, licèt de dolio in dolium trãslatum sit. sic ait Bal. in Rub. de Rer. diuis. nu. 28. qui mouetur not. in l. si vsusfructus ciuitati. Quib. mod. vsusfr. amitt. Hinc dixit Bald. in c. cum causam. num. 3. de Probat. quòd huiusmodi fines territoriales, vt montes, & flumina sunt inuariabiles vel situ perpetuo, vel immutabili rerum natura: ideo in eis illud optimè vsurpatur, de quo Glos. in l. qui bona §. si quis stipulaturus. de Dam. infecto. Semel verum semper verum. Vnde cùm quis præsupponit aliquando flumen pro confinio habitum, concludit, ergo semper verum erit, pro confinio fore obseruandum, vbicunque fuerit.

Hæc sunt in summa, quæ in hanc sententiam à Ioach. & cæteris adducũtur. potissima quidẽ: multa n. q; eorũ prætermitto, quæ pertinent ad eam quæstionem, an per alluuionem augeatur territorium, & iurisdictio; sunt enim extra præsentem disceptationem, vt rectè in hoc redarguuntur in Cornei consi. 322. lib. 1. & 287. lib. 3. De latenti pro fectò incremento hic agi non potest, cum de fluminis irruptione quæratur.

5 ¶His tamen non obstantibus contrariam opinionem credo ve-

riorē,& frequētiore calculo receptam. Primùm ita respondit Baldus. cuius cōsiliū refertur à Corneo in eo consi. 287. & à Petro Vbaldo, vt superius dixi. Mouetur inter cætera Baldus l. item si fundi. §.sed si insulam. de Vsufr. vt enim vsufructus augetur per augmentum in modum vnionis. i. alluuionis adiectum; à separato verò incremento insularum augmentum non accipit: hoc idem ius de augmento iurisdictionis,& territorij constituendum arguit inde Baldus.

Mouetur secundò Baldus textu l. hoc iure. §.si aquam. ibi *Sed si circunfluere* de Aqua cotid.& æstiu. vbi casum ferè expressum asserit esse. Hæc fuit Baldi sententia. quemadmodum illic, si flumen mutato alueo, aliò fluere cœperit, seruitus aquæducendæ non extenditur; sed per interpositionem prædiorum inter nouum, & antiquum alueum relictorum interrumpitur: quòd si paulatim flumen recessisset, per agrum alluuionis extenderetur seruitus: ita quoque videtur intelligere; vt idem de territorio, & iurisdictione statuatur. vt si paulatim recedit flumen, augeantur; si aliò tranferat alueū, non mutētur termini.

Huc facit, quod Alber. ait in l. ergo. §. tribus. de Acq. rer. domi. vbi quoniam Pomponius inquit, cum agrum, qui aluei non fuit, amnis circunfluit; causam proprietatis non mutari; eius enim est ager, cuius & fuit: huius rei argumento Albericus decidit, si flumen, quod in cōfinio duarum Parochiarum fluebat, intra alteram ex eis irruperit; alteram ob id non augeri, neq; fines mutari. Quasi dixerit, sicut tū proprietatis causa non mutatur, ita nec Parochialis confinij.

Et sanè, † si flumen non potuit mutare dnminium partis, ex quo successiuè oritur, & dependet mutatio dominij vniuersalis. i. territorij: quis dubitat, nec esse diminutū hic territorium, nec illic auctum? arguitur enim rectè à dominio ad iurisdictionem. Barto. & Bald. post antiquos in l. qui furere. per illum textū. de Statu homin. & in l. si dominium. de Furt. & hac ratione † potissimùm ita respondit Bald. ille de Bartol. cuius sententiæ subscripsit Corneus, vt dixi. & per hæc ita concludit Afflict. in c. 1. §. si quis de manso. nu. 34. de Contr. inuestit. auctorem huius opinionis aduocans Iserniam, quem superius cōstat, cōtrarium, & malè voluisse. Hæc probat Bossius etiam in Praxi Crim. Tit. de Principe. nu. 280. & iterum cōfirmat in Tit. de Aquis. & flum. nu. 11. Hanc porrò opinionē pluribus adductis confirmare annixus est Petrus Vbaldus in loco demonstrato: sed multa, nihil ad rem pertinentia proponit. vt vnicuique constabit, si ea cum superioribus conferantur. In hanc quoque sententiam respondit Bertrand. in cōsi. 136. nu. 2. volu. 1. & probat Hier. de Monte, in tract. Fin. regund. cap. 24.

6

7

in prin. referes Paridem de Puteo hoc idem tenere in c. an si ex impetu. de Finib. feud.

¶ Quæ autem contra hæc adducta sunt, nihil officiunt. fatuū enim est dicere, (vt inquit Bal. de Bart.) flumen est habitum semper pro confinio, ergo & hodie debet haberi: & semel verum semper verum est. illud enim intelligitur rebus sic stantibus arg. l. quod seruus. de Cond. ob. cau. & ibi not. facit l. continuus. §. cum quis. de Verb. oblig. cum simil. Sed mutato alueo per impetum, non est amplius in statu priori; ergo non durat in eodem causa confinij. Nec aliud sensisse Bald. in eo c. cum causam. credendum est. Ad rem optimè facit l. adeo. §. fin. cum l. seq. de Acq. rer. dom. l. arbor. Comm. diuid. de qua re diximus in superiori capite. Item facit l. Rutilia Pola. de Contrah. emp. & ita respondit Alex. in toto consi. 25. lib. 7.

Non obstat porrò, quòd flumina vice Censitorum fungantur: in his enim fungũtur, vbi ius alluuionis, & potestas agnoscitur. Sed cum in specie nostra, fundi proprietatem, quam circunfluere cœperint, nõ mutent, neque transferant, sanè nec iurisdictionem.

Quod enim ait Bal. de Bartolinis, ideò in hoc casu non fungi vice Censitorum flumina. i. iudicum: quoniam paulatim quidem procedendo, more boni iudicis, flumina faciunt de publico priuatum; secus si per impetum, & ex abrupto: tum enim (vt hic) dominia non immutant, sicut nec iudex: Hæc responsio † ridenda est profectò, & parui facienda. quasi si flumen (vt cætera prætermittam) impetu auferat, vel addat, id non quæratur, & fiat iure alluuionis. textus est in l. adeo. §. quòd si toto. & in l. ergo. §. alluuio. de Acq. rer. dom.

8

Postremò non obstat, quòd ex quo, licèt sit mutatus alueus, est tamen eadem aqua fluens, ergo idem flumen, & idem confinium. Huic namque † occuritur argumento per ea, quæ inquit Ripa in l. quominus. nu. 113. de Flumin. vt cum quærimus, an eadem aqua sit, quæ prius: hac ratione potest dici idem flumen. Sed si verè, & absolutè quęritur, an idem flumen sit: cum illud constet ex alueo, aqua, & ripis, mutato alueo, & mutatis consequenter ripis, aliud flumen videri debet. Hinc fit, quoniam propter talem mutationem, nouum quodammodo flumen censetur, vt ius quoque aquæ ab eo ducendæ amittatur. l. hoc iure. §. si aquam. & ibi Bar. de Aqua cotid. & æstiua.

9

¶ Postremum est, quod quæri oportet; an per incrementum aluei iurisdictio augeatur. paucis agam. Ex superioribus fortassè videtur siue iurisdictio, vt ius personale consideretur; siue vt ius reale: ab incremento aluei per subitum fluminis retessum dimisso, augmentum susci

pere non posse. Nam nec vsusfructus inde augetur, arg.l. item si fundi.§. huic vicinis.de Vsufr.iuncto.§. si aquam.d.l.hoc iure, quod diximus in cap. 5. huius libri. Nec seruitus realis aquæducendæ, vt dicitur in eo §. si aquam; à quibus iuribus in proposito ferè argumentatus est Baldus, vt superius dixi. Faciunt quæ scribit Ang. in l. si seruitus.de Seruit.vrb.præd.cuius verba paulò ante retulimus. Cæterùm † idem est constituendum de incremento aluei, quod de alluuione diximus in superiori capite ex eadem l.fin.C.de Alluuion.quoniam sub verbo alluuionum illic non solùm incrementum latens, sed & euidens intelligitur. quod diximus in cap. 3. §. 1. in fine. lib. 1. qui locus adeatur.

10

ARGVMENTVM.

¶ Quomodo fluuiatica incrementa, vt primùm extiterint, nobis tam dominij ratione, quàm possessionis acquirãtur.

SVMMAE.

1 *Alluuionis, aluei, & insularum incrementa ipso iure nobis acquiruntur.*
2 *Genitiuus casus dominium propriè denotat.*
3 *Dominium ipso iure nanciscimur eius rei, quam ex legis dispositione acquirimus.*
4 *Insula, quæ mobilis fuerit, nulli acquiritur, sed iuris est publici, sicut & ipsum flumen.*
5 *Ager alicuius in insulæ formam redactus à flumine, illius eiusdem permanet.*
6 *Insulæ angustioris vsus est publicus, proprietas autem vicinorum. ex latiori verò insula extremæ tantùm partes in vsu publico erunt.*
7 *Ripa fluminis adeo lata, vt arari possit, in venditione prædij, tanquàm quid accessorium non comprehenditur.*
8 *Alluuionis incrementum, sine noua apprehensione, à domino prædij, cui accesserit possidetur.*
9 *Alluuionis incrementum pars est primi agri, non nouus ager, & simile fit ei, cui accessit. & num. 10.*
11 *Aluei incrementum ipso iure, sine noua apprehensione possidetur.*
12 *Insula per possessionem fundi, cuius occasione acquiritur, possideri non potest, sed propria opus est apprehensione.*
13 *Incrementum quodlibet pluribus simul acquisitum, inter eos commune est pro diuiso, & certis regionibus.*
14 *Certa dici potest portio, quæ adhibita diligenti inquisitione potest certa fieri, & ideo potest possideri.*

15 *Incrementum inter eos, qui ab eodem sunt ripa, acquiritur pro modo Latitudinis cuiusque prædij iuxta ripam, quod si ab vtroque latere sunt, ratione Propinquitatis fit acquisitio.*

CAPVT VIII.

Res exigit, priusquàm ad vlteriora transeamus; vt quæratur, quomodo vnum quodque fluuiatilium incrementorum nobis acquiratur, vt primum extiterit. Si de dominio agimus: 1 ipso † iure gentium, nulla intercedente nostra operatione, illud nanciscimur. Quod ad alluuionis incrementum pertinet, clara est iuris decisio in l. adeo. §. præterea. de Acquir. rer. dom. *quod per alluuionem* (ait ibi Caius) *agro nostro flumen adiecit, iure gentium acquiritur nobis.* quæ verba sic vt supra, interpretatus est Bar. in Tyb. Par. 1. in verbo *acquiritur nobis* in prin. De alueo in eadem l. adeo. §. quod si toto. *alueus eorum est.* (inquit Caius) *qui propè ripam prædia possident.* alibi Celsus in l. ergo. §. 1. Eo. proximiorum fieri dixit. De insula verò idem Caius ait in ea. l. adeo. §. insula. *communis fit eorum, &c.* & Pomponius apertius in l. ergo. §. tribus modis. Eod. priuata *insula fit eius,* (inquit) *cuius ager propior fuerat*; quibus addas subsequentia paulò post verba. *primo autem illo modo causa proprietatis non mutatur.* Et de hoc neminem dubitaturum arbitror. quod & Bart. placuisse, notum est ex Tyb. Par. 2. super verbo. *communis fit eorum* & Par. 3. in verbo. *eorum est.* Clarum est enim hæc incrementa iure gentium acquiri nobis, vt diximus in superiore libro cap. 5. Item verba earum legum, quas supra adduximus, apta fore ad si- 2 gnificandam dominij translationem: Genitiuus † enim casus importat propriè dominium. l. qui absenti. §. 1. de Acq. pos. l. ij. §. si in locum. de Relig. & sump. fun. Bart. per eam. l. in Rub. de Noui oper. nunt. vbi Ias. cæteriq; omnes. Consequens est ergo statuere, dominij acquisitio- 3 nem fieri ipso iure: quoniam quidquid † ex legis dispositione acquirimus, illius dominium ipso iure nacíscimur. vt ait Bart. in l. traditionibus. in fin. 1. lect. C. de Pact. vbi & Alex. in fine.

¶ De illis autẽ insulis hic nõ agimus, quæ mobiles sunt, & ab alueo 4 fluminis separatæ, nulli enim † acquirũtur, sed publici iuris sunt, sicut & ipsum flumen l. pen. §. idem iuris est. de Acq. rer. dom. & quoad usũ, & quo ad proprietatem attinet, vt ait Iason in l. quominus. nu. 110. de Flumin. vbi rationem diuersitatis adducit. Nec etiam de illis, cum flumen agrum, qui aluei nõ fuit circunfluere cœperit, & in insulæ for- 5 mam redegerit, tum † enim nec vsus, nec proprietatis causa mutatur. vt dicitur in l. adeo. §. quod si ex vno latere. & in l. ergo. §. tribus modis.

de Acq.rer.dom.& in l.1.C.de Alluuionibus.

¶ Illud porrò, quod ait Paulus Labeonem notans in l. si epistolam. §.1. Eod. Si qua insula in flumine nata sit, in eo esse genere, quo ripa in flumine est; vt vsus sit publicus, proprietas verò vicinorum. §. riparum. Institut. de Rer. diuis. illud, inquam, accipi debere, interpretatur Bar. in Tyb. Par. 2. in verbo. *communis fit eorum.* in fi. de illa insula, † quæ adeo angusta est, vt tota possit dici ripa, vel ripæ cedere propter attractionem aquæ, iuxta l.pen.de Flumin. Quòd si insula fo ret adeo lata, & magna, vt ibi iam prædia culta existerent: tum censuit Bar. ripas quidem eius insulæ esse in vsu publico, non autem ipsa prædia, eadem ratione, qua cætera prædia vicina fluminibus, ab vsu publico vendicantur. Idem iuris ego statuerem, etiam si nondum culta ar ua forent in ea insula; dummodo tanta esset, quæ coli posset commodè. Sicut & ripa† fluminis, quæ adeò lata est, vt arari queat; ager dicitur; nec vendito vicino prædio, si inter ea intercedat via publica, posse ab emptore vt quid accessorium vendicari, inquit Bal. in Rub. de Rer.diuis. nu.26.

6

7

¶ Si de possessione incrementorum quærimus; in hoc visum est Bar. in Tyb. Par. 1. super eo verbo. *acquiritur nobis.* in prin. alluuionis † incrementum sine noua apprehensione à domino prædij, cui accesserit, possideri ea ratione, quoniam incremētū hoc pars † est primi agri, non nouus ager. l. 4. de Iure dot. vnde censetur posſideri simul cum agro priore: neque enim est necesse, vt quis fundum totum dicatur possidere, omnes glebas eius circumambulet. Sed sufficit in quamlibet partem eius introire: dum mente, & cogitatione hac sit, vt velit totum fundum possidere. hæc sunt verba Pauli in l. 3. in prin. de Acquir. possess. Atque hanc Bart. decisionem probat etiam Bart. Socin. in l. 3. in vtraque lectura, sed in priori sub num. 19. de Acquir. possess. & Iason in cons. 126. col. 2. vol. 4. à quibus adducitur textus in l. si ego. §. idem ait, iuncta l. cum sponsus. in fi. de Publici. Si enim, (vt ex Pomponio ibi dicitur) quod per alluuionem fundo accessit, simile † fit ei, cui accessit: & ideo si Publiciana ipse fundus peti non potest, nec hoc petetur. si autem potest: & pars quoque, quæ per alluuionem accessit: oportet fateri, simul incrementum cum ipso fundo possideri. Publiciana etenim præsupponit rem fuisse possessam, & iccirco acquisitam, arg. eius l. cum sponsus. in fi. facit optimè l. siue autem. in fi. Eod. ibi. *rectè hæres Publiciana vtitur, quasi ipse possedisset.*

8

9

10

¶ De aluei autem accessione idem † ius statui oportet, vt ipso iure

11

possideatur absque aliquo alio corporis actu: esse enim incrementum concretum, vt alluuio, inquit Bal. in Rub. de Rer. diuis. nu. 24. & ideo ipso iure possideri, arg. l. 3. in prin. de Acq. possess. & l. eum qui ædes. de Vsucap. Et ita decisum in Rota Romana legimus in Cassod. Decis. vnica. in fi. sub titulo de Acq. rer. dom. Hoc probat Cur. Iun. in consil. 250. nu. 11. itemq; Pasethus in cons. 16. in fine.

¶Cum ergo insulæ accessio sit separatum incrementum, & separatus & veluti proprius fundus, vt Pegasus scribit in l. item si fundi. §. huic vicinus. de Vsufr. per possessionem fundi, cuius occasione acquiritur, non videbitur possideri. Sicut nec per ingressum in aliquod prædium acquiritur etiam volenti possessio aliorum separatorum prædiorum, vt ait Glos. fin. in l. 3. in prin. de Acq. poss. propter ea verba legis illius. *vsque ad terminum velit possidere.* Debet † ergo apprehendi possessio. namque interdum, licet dominium ipso iure transeat, vt adita hæreditate: possessio tamen nisi naturaliter comprehensa sit, ad nos non pertinet. sic ait Iabolenus in l. cum hæredes. in prin. de Acq. poss. & per hæc ita in proposito inquit Bar. in Tyb. Par. 2. in verbo. *communis fit eorum.* in prin. & in l. quominus. nu. 19. de Fluminibus; quem sequitur Bal. in rub. de Rer. diuis. num. 24. Cepoll. de seruit. cap. de Insula. q. 8. Bartolum ad verbum ferè, more suo referens.

12

¶ Dominium igitur cuiusque incrementi fluuiatici ipso iure nanciscimur, & insulis exceptis, etiam ipso facto, illicò sine noua apprehensione possidemus. atque adeo, vt † si plurium prædijs quodlibet incrementum adiectum sit, inter eos non pro indiuiso commune futurum sit, sed regionibus quoque diuisis: quantum enim ante, cuiusq; eorum prope ripam est, tantum (veluti linea in directum per incrementum transducta) quisque in eo habebit certis regionibus. Hæc sunt verba ferè expressa Pauli in l. inter eos. de Acquir. rer. dom. qui licèt hæc dicat de insulis, & de dominio: nihil prohibet ad cætera incrementa, & ad possessionem illud idem deducere, cum differentiæ ratio nulla possit assignari.

13

¶Hinc porrò occurritur quæstioni, quæ proponi potuit; quomodo posset rectè defendi, quod paulò ante dictum fuit, vnumquenque statim possidere incrementum sine noua apprehensione, vt primum a flumine adiectum fuerit; si pars incerta non potest possideri l. 3. §. incertum. l. locus. de Acq. possess. hic autem cuiusque eorum portio ante mensuram, & geometricam diuisionem incerta, & incertos habere fines videri poterat: occurritur, inquam, hinc; nam ex quo commune est incrementum pro diuiso, & regionibus quoque diuisis. i. quantum est

ante ripam cuiusque; certa † hinc est quæque portio, & fines certi existimari possunt, adhibita saltem diligenti inquisitione per mensorem; quod sufficit ad possessionem, licèt ob oculos non versentur, vt inquit Bart. in Tyb. Par. 2. in vltima figura in quæstione simili ferè, per textũ in l. 3. §. Nerua filius. de Acq. poss. & ex eo, quod qui fundum ingreditur eo animo, vt totum possideat, totum possidet vsque ad terminum, nec requiritur, vt terminos videat. d. l. 3. in princ. Aliter multi domini non possiderent, qui terminos prædiorum ignorant. Hoc ille, quod verum puto. 14

Incrementa itaque fluuiatilia ipso iure & acquirimus, & pro diuiso possidemus nulla nostra operatione interueniente, quãtum videlicet ante cuiusque ripam est, iuxta formam. l. inter eos. de Acq. rer. dom. Acquiruntur † autem inter eos, qui ab eadem ripa sunt, pro modo Latitudinis cuiusque prædij, quæ Latitudo propè ripam sit, inter eos verò, qui ab vtroque latere prædia habent, acquiruntur iure maioris Propinquitatis, vt habetur in l. adeo. §. præterea. cum duobus seq. & ea. l. inter eos. de Acq. rer. dom. De qua re, & de norma simul diuisionis, latissimè toto libro sequenti dicturus sum. 15

ARGVMENTVM.

¶Non dominij solùm iure, sed alio quouis ad nos spectare potest incrementum, quo fundus pertinet, cui accesserit illud.

SVMMAE.

1 *Incrementum eo iure ad nos pertinet, quo prædium, cui accedere id continget.*

2 *Incrementum, quod per alluuionem accessit, simile fit ei, cui accessit, & prioris agri portio censetur esse.*

3 *Genitiuus casus dominium, & omne ius præterea significat, quo quid ad nos pertinere potest.*

CAPVT IX.

CONSEQVENS est superioribus ea disceptatio; an incrementa adiecta prædio alicui, ei soli quærantur, qui plenum, perfectumq; dominium illius habeat, nec aliud suffragetur in incrementis consequendis. Huius sententiæ videtur fuisse Caius in l. adeo. §. præterea de Acq. rer. dom. & passim cæteri Iureconsulti in eo titulo: hoc. n. modo loquendi vtuntur, *fundo nostro*, *prædio tuo*, & similibus. quorum pronominum vis est naturalis, vt quid in dominio no-

ſtro eſſe ſignificent. l. certum. §. 1. vbi Bar. Si cer. petat. & in dominio præſenti. l. ſi ita. de Auro & arg. leg. etenim id ſuum dicitur, quod eſt proprium, non quod in actione habetur. l. ſcribit. in princ. Eod. Quod inde confirmari poſſe videtur; quoniam pariter quoque plenum dominiũ cuiuſque incrementi in dominos prædiorum tranſferri innuitur in eo. §. præterea. & cæteris iuribus; in quibus obſeruauimus in proximo ſuperiori capite, quoties de acquirendo agitur; per genitiuos caſus eam acquiſitionem exprimi. *fit eius, fit proximorum, eorũ eſt.* cuius locutionis proprietas eſt, dominij ſignificationem denotare. l. 2. §. ſi in locum. de Relig. & ſumpt. fun.

Sed hæc nihil nos moueant, quin cum Bar. in Tyb. Par. 1. ſuper verbo. *noſtro.* ſtatuamus generaliter, non ſolùm iure † dominij, ſed eo iure, quocunque ad nos pertinet fundus, cui acceſſit, eodem pertinere incrementum. Cui quàm maximè conueniunt verba illa Pomponij. in l. ſi ego. §. idem ait de Public. *Quod per † alluuionem fundo acceſſit, ſimile fit ei, cui acceſſit,* inquit Pomponius. vnde pars prioris agri cenſetur, non nouus ager. l. 4. de Iure dot. Nec aliud ſenſiſſe putandum eſt Caium in eo. §. præterea, & cæteros I.C. & pronomina illa, noſtro, tuo, meo, & cætera vulgariter, & latiore ſermone ſumenda ſunt ibi locorum; vt alibi ſæpe, & præſertim in l. ſi tibi pecuniam. vbi Gloſ. Si cert. pet. Quod pariter dicere oportet de verbis illis, *eius fit, eorum eſt, proximorum fit,* & ſimilium: Genitiui enim † caſus eſt, & dominium, & omne ius præterea ſignificare, quo quid ad nos pertinere poteſt. vt annotarunt plerique interpretes in Rub. de Oper. noui nun. præſertim Iaſon. Super quibus inutile eſt immorari: per ſe enim vnicuique patent. Generalis ſit ergo regula, vnumquodque incrementum fluuiaticum ad nos eo iure pertinere, quo prædium, cui acceſſerit. Sed vix eſt, vt perfectam cognitionem huiuſce rei profiteri valeamus, ni ad ſingulas ſpecies pertractandas deſcendamus.

1

2

3

ARGVMENTVM.

¶ De Incrementis adiectis fundo retrouenditioni obnoxio.

SVMMAE.

1 Locus Caſtrenſis declaratus, deinde reprobatus.

2 Incrementum omne, ſiue latens ſiue ſeparatum indifferenter ab eodem acquiritur, quoties de plena proprietate, & de dominio incrementi acquirendo agitur. & nu. 20.

CAPVT X.

ILLVD igitur dubitationis est primùm. Si fundus pacto retrouenditionis suppositus accessionem acceperit, & incrementum: an vtrunque ad redimentem pertineat eodem pretio. Paul. de Cast. distinxit † in cons. 388. *Videtur dicendum.* in Antiquis, sic refert Hier. Cagnol. in Repet. l. 2. num. 189. C. de Pactis inter empt. & vend. Nec enim post longam meam inquisitionem, illud responsum potuit reperiri, quod & Tiraquello contigisse constat ex eius tract. de Retractu conuent. ad finem tit. nu. 92. & Menochio viro ætatis nostræ celeberrimo, vt legitur in eius cons. 26. num. 35. lib. 1. Paulus, inquam, distinxit inter latens, & separatum incrementum, arg. l. item si fundi, §. huic

1

vicinus.

vicinus.de Vſufr.quo loco Celſo placuit, alluuionis vſumfructum ad fructuarium pertinere. ſed ſi inſula iuxta fundum nata ſit: eius vſumfructum ad fructuarium non pertinere; vt Pegaſus ſcribit; licèt proprietati accedat; eſſe enim veluti proprium fundum. Quæ ſententia non eſt ſine ratione, vt ait Celſus: nam vbi latitat incremētum, & vſuſfructus augetur, vbi autem apparet ſeparatum; fructuario non accedit. Vnitorum enim vnita, & ſeparatorum ſeparata debet eſſe diſpoſitio, vt inquiunt ibi Bald. Ang. & Flor. & cæt. Pariter itaque quod per alluuionem fundo retrouendendo acceſſerit, ad redimentem pertinere dicendum videtur: latens enim, & vnitum eſt incrementum. Si inſula nata ſit iuxta fundum; redimentis non fieri, licèt proprietati accedat, ſicut & alluuio: ſeparatus enim, & veluti proprius fundus eſt incrementum inſulæ. Et hoc voluiſſe ſibi Paulum puto, vt poteſt animaduerti ex verbis per Cagn. relatis in priori Repet. l. 2. q. 17. num. 104. C. de Pact. int. empt. & vend. Quicquid dicat Tiraq. ſuperius allegatus; quem ex prædictis certum eſt nec Caſtrenſem, nec Cagnolū eum referentem intellexiſſe. vt vnicuique facilè patere poterit. mihi enim non vacat ſingula refellere. nec opus eſt, quoniam diſtinctionē hanc non probo. Regula namque ea † generalis eſt; vt cui latens incrementum, eidem & ſeparatum acquiratur, & econuerſo: cum de plena proprietate earum acceſſionum acquirenda agimus, ſiue de dominio, vt hic, non de vſufructu, de quo in eo. §. huic vicinus. Hinc eſt, quod ſi fluuiale incrementum † & latens & ſeparatum accedat fundo reſtitutioni ſubiecto, ad eundem, fideicommiſſarium ſcilicet, vtrunque pertinet. vt eſt textus apertiſſimus in l. ſæpè. de Leg. 3. Ad alterutrum igitur eorum, aut retrouendentem, aut redimentem ſpectare oportet omne incrementum.

2

3

4

¶ Quocirca Ludouicus † Gozad. in repet. l. 2. C. de Pact. int. emp. & vend. q. 32. num. 177. nulla facta mentione Caſtrenſis, poſt breuem hac de re diſceptationem, aliter diſtinguit. & ſolùm conſiderat, quemadmodum ſint concepta verba promiſſionis retrouendendi. Si enim quis promiſit retrouendere empta prędia, vt corpus, in vniuerſum vno, & eodem ſtatuto pretio: cum ante traditionem hic perfectus contractus, & perfecta venditio dicatur; ideoq; ad emptorem ſpectet tum omne periculum, & commodum, vt habetur in l. 2. C. de Pericul. & com. rei vend. & ibi paſſim Doct. eo caſu ad redimentem, eodem pretio ſpectare debent hæc incrementa, ad quem ſpectant etiā diminutiones; vt in propoſito videtur eſſe textus in §. ſed & ſi poſt. Inſtit. de Emp. & vend.

Quod

Quòd si promissio de retrouendendo facta sit, vt in conditionem sonet; vti si ad mensuram retrouendere promisit, vt dicitur in l. quod sæpè. §. in ijs. de Contrah. emp. cum interim ante mensuram non possit dici perfecta venditio, vt in eo §. in ijs. & in ea l. 2. interim autem rei periculum sit promittentis; consequenter & incrementorum horum commodum. vt in proposito ferè ait Vlp. in l. Iulianus. §. si Titius. de Actio. emp. Hæc in summa Gozad. Quē allucinatum profectò credimus; & ex ipsomet in eadē repetitione hoc certo constare profitemur. Ait ille nu. 18. (& rectè sanè) promissionē † de vendēdo nō esse venditionē. l. in bonæfidei. in fi. vbi Glo. Paul. Ias. & cæt. de Eo quod certo loco. &c. Glo. in l. Titius. de Pign. act. Sed est potius obligatio ad vendendū. vt inquit Paul. in cons. 13. Hinc post multa concludit, obligatū retrouendere, non teneri præcisè tradere, sed soluendo interesse liberari, cum teneatur ad factum. l. stipulationes non diuiduntur. vers. Celsus. de Verb. oblig. l. si quis ab alio. de Re iud. Quod secus foret, si promissio de retrouendendo esset venditio: tum enim fundum ipsum tradere teneretur, si ei facultas esset, vt annotatur in l. 1. de Action. empt. Quid refert igitur, quomodo cōtrahatur hæc promissio: cùm ea aliud sit ab ipso cōtractu retrouenditionis? Et in specie (quod ad primū membrum huius distinctionis pertinet) quomodo potest dici perfecta retrouenditio, cum ob id non desinat fundus fundus † huic pacto suppositus, esse sub dominio promittentis; ceu si promissio non intercessisset? Hinc interim † fructus suos facit. l. 2. C. de Pact. int. emp. &c. vbi Bald. Cagn. & Gozad. ipse: fructus enim dominum sequuntur. l. & ex diuerso. de Rei vendic. Ang. in cons. 55. ita respondit. facit l. Herennius. de Vsur. Adde superioribus, quòd hic primæ venditionis non sit resolutio ipso iure, vt in pacto legis Commissoriæ, vel Addictionis in diem. l. si res. §. fin. cum l. seq. de In diem addict. Sed fit noua venditio. l. pacta conuenta. de Contrah. empt. iuncta l. si vnus. §. pactus. de Pactis. ergo ante, ab initio vsque, non est perfecta retrouenditio. Et per hæc penitus confunditur, primum præsertim membrum distinctionis. licèt enim ille promiserit retrouendere vno & eodem pretio fundum quempiam, nulla de mensura habita mentione: non ideo tamen potest dici perfecta retrouenditio, & ideo omne periculū & commodum pertinere ad redimentem iuxta. l. 2. C. de Peric. & com. rei vend. aliud enim est † promissio de retrouendendo, & aliud ipsa retrouenditio, vt proximè dictū est. Interim igitur promissor est dominus fundi illius; & si nil aliud obstat, omne incrementū ad eū spectare, quibuscunq; verbis sit concepta promissio retrouēdendi, dicere oportet.

5

6

7

8

¶Hiero-

8 ¶Hieronymus† porrò Cagnolus, qui in priore Repetitione l. 2. C. de Pact. inter emp. &c. in Castrensis sententiã venerat, vt diximus: in posteriore demũ palinodiam cecinit (vt aiunt) & nulla adhibita distinctione inter latentia, ac separata incrementa, nihili præterea faciens, vtrũ promissio retrouendendi in purá, an in cõditionalem concessionẽ sonaret, in contrariã prorsus abijt sententiam. Ait ille in q. 59. nu. 189. Quando secundùm naturam est, commoda cuiusque rei consequi eum, quem sequantur incommoda; vt sanctè constituit Paulus in l. secundùm. de Reg. iur. Vnde ad rem nostram alibi idem ait in l. id quod. de Peric. & com. rei vend. *Id, quod post emptionem fundo accessit per alluuionem, vel perijt, ad emptoris commodum, incommodumq́ pertinet.* Sic Iustinianus in §. cum autem. vers. sed & si. Instit. de Emp. & vend. cum sit in arbitrio primi venditoris, velit necne redimere: si quid de fundo perijsset per alluuionem, certum est, aut sanè admodum verisimile, eũ non redempturum: nemo enim ita resupinus est, vt facilè suas pecunias iaciat, l. cum de indebito. de Probat. cum simil. Humanum est igitur constituere, ad retrouendentem incrementa pertinere: ne in redimentis arbitrio sit, fundum alluuione adauctum eodem pretio redimere, quo vendidit, non redempturi, si foret diminutus. Ratio enim æqualitatis seruandæ in contractibus hoc dictat iuxta l. si id quod. §. fin. de Rescind. vend. Commodum itaque alluuionis ad retrouendentem penitus pertinere Cagnolus censuit. Vt &, si fortè redimens nec pretium augere, nec incrementum consequi vellet; promissor tamen cogi possit ad prædiũ ipsum vendendum. Sicut aliàs, si dolia LXXX accedere fundo, quæ in fossa essent, dictum erit, & plura erunt, quàm ad eum numerum: dabit emptori venditor ex omnibus, quæ vult, nõ omnia, inquit Labeo in l. pen. §. si dolia. de Actio. emp. facit. l. qui fundum vendebat. §. qui agrum. ibi *& quod eius admensum esset.* de Contrah. empt. & hoc placuit prius Gozad. in ea l. 2. nu. 177. arg. eius §. si dolia.

¶ In hanc autem Cagnoli opinionem descendit vir tempestate nostra grauissimus, iurisq; consultissimus Iacobus† Menochius, & pro ea
9 ex facto interrogatus respondit. vt legere est in eius cons. 26. lib. 1. vbi quàm pluribus hanc partem munire, & astruere conatur, verioremq;, & æquiorem arbitratur. quæ (superiora excipio) in summa hæc sunt.

10 Ait ille (& rectè sanè) contractum † emptionis, cui adiectum fuit pactũ retrouenditionis, perfectum dici. si quidem, qui hoc pacto adiecto emerit, verus emptor, & dominus dicitur: quandoquidem is facit fructus suos, nec illos, cum retrouendit, cum fundo restituit, l. 2. C. de Pact. inter emp. vbi Bald. & cæt. ita pluribus in locis respondit Dec. in

cons.

conſ.167.conſ.178.& conſ.308. Et hoc verum eſt. & ſi cui fortè per hæc non eſt ſatisfactũ, adeat Tiraq. de Retractu conuen. in §.5. Glo.2. vbi concordantes ſexcentum recenſet more ſuo. Si fructus igitur ſuos facit; verè dicitur dominus, cum fructus dominũ ſequantur, l. & ex diuerſo. §.1. de Rei vendic. & in ſpecie hac ita reſpõdit Ang. in conſ.55. Vnde Tiraq. §.2. Glo.1. nu.34. Eod. hęc ferè verba ſcribit. *Hinc eſſe etiã, quòd emens cum hoc pacto, poteſt eo non obſtante, alteri fundum oppignerare, vendere, & dominium tranferre, & ita quidem, vt ex communi noſtrorum opinione nõ poſſit primus venditor ab hoc ſecũdo venditore redimere. vt videre licet apud Alex. cõſ.10. lib.1. per totum: latiſsime Curt. ſen. conſ.72. ex quo colligitur, quòd emptor ille medio tempore dominus erat, vt in ſimili dicitur in l. ſi ex duobus §. ſed & Marcellus. de In diem addict. neque enim aliter dominium transferre poſſet, niſi & ipſe dominus eſſet, l. traditio. in prin. de Acq. rer. dom.*

11

Quid igitur hic deeſt ad perfectionẽ venditionis; quin emptor ex ea ſit factus perfectè dominus; ſi facit fructus ſuos rei hoc pacto venditæ; eamq́; poſſit ad alios transferre? Ad talem igitur emptorem vti dominũ fundi, alluuionis incremẽtũ pertinere debet, inquit Menoch. l. id quod. in prin. de Peric. & com. rei vend. §. ſed & ſi poſt. Inſtit. de Empt. & vend. quoniam ad illum & periculum pertinet, vt præterea conſtat ex l.1. C. de Peric. & com. rei vend. iuxta regulã l. ſecundum. de Reg. iur. Facit ad rem maximè (vt ille ait) text. in l. fin. C. de Alluu. quo conſtituitur, augmentum alluuionis prodeſſe poſſeſſori, non autem alteri: ergo ad obligatum retrouendere ſpectabit, vti illo tempore poſſeſſorem. Facit textus etiam in l. idem eſt. de Rei vendic. vbi vendicanti fundum, vti domino, incrementum quoque alluuionis reſtituendum venit.

12

13

Poſtremò hanc verã iuris ſentẽtiã eſſe, inde ſuaderi inquit ille; quoniã qđ prædio accedit dicitur illi cohærere, & vniri. l. adeò. §. præterea. de Acq. rer. dom. Sed ea eſt vnionis natura, vt vnita reducat ad eandẽ eſſentiam, ita vt alterum ab altero non poſſit diuelli, vel ſeparari. l. in rem. §. item quæcunque. de Rei vendic. Quod ego veriſſimum arbitror, & eſt textus in l. ſi ego. §. idem ait. de Public. in rẽ actio. vbi, quod per alluuionem fundo acceſſit, ſimile fit ei, cui acceſſit, inquit Pomponius. Cum ergo tempore adiecti incrementi, qui promiſit retrouendere, ſit dominus, & poſſeſſor fundi: ergo & incrementi. Hucuſque Menochius. ex cuius conſilio hæc ſunt potiora; auctoritates autem quas ad hoc inducit, Bartoli. ſ. in l. Iulianus. §. ſi Titius. de Act. emp. Cornei in conſ.15. lib.4. & Alb. Bruni in tractat. de Aug. Concl.16. & Syluani in conſ.70. nu.10. lib.2. hoc vltimo excepto, ad rem noſtrã parũ fa-

14

15

ciunt:loquuntur enim illi de emptore simplici, nullo adiecto pacto retrouendendi. ad quem certum est, incrementum alluuionis pertinere post perfectum contractum. Syluanus autem, licèt de rigore iuris, vt inquit in proposito, hæc opinio vix defendi posset: propter eius tamen maximã æquitatem eam amplectitur, quæ debet præualere ex Ias. in l. placuit. C. de Iud. & Dec. in l. in omnibus quidem. de Reg. iur.

¶ Totus ego autem in contrariam superioribus sententiam eo (libet enim nostrum quoque in re tàm controuersa & vtili proferre iudicium) censeo enim † & latens, & separatum incrementum, siue ad corpus, siue ad mensuram sit facta promissio retrouendendi, pendente termino redimendi, ad emptorem quidem pertinere: est enim interim verè dominus. tempore autem retrouenditionis, fundum cum omni incremento restituẽdum fore redimenti, priori pretio nihil aucto: vel interesse ab eo peti posse, si ad dandum præcisè cogi nequiuerit.

11

12 In primis igitur, & ante omnia scire oportet, fundi emptorem † cũ pacto retrouendendi, pendente termino esse dominum sanè, sed reuocabiliter: cum liceat venditori rem redimere. Vnde placuit Cepol. de Seruitut. cap. de Montibus. q. 6. huiuscemodi † emptorem arbores excidere, vel vineam extirpare non posse: quia fidem non seruaret. hũc sequitur Cagn. in repet. l. 2. q. 95. nu. 256. C. de Pact. int. emp. &c. motus ex l. & eleganter. §. nõ solum. in prin. de Dolo. Hinc ait Bar. in l. 3. §. sed & Marcellus. de In diem addict. & in l. in diem. nu. 2. de Aqua plu. arcen. fundo empto sub hoc pacto, deinde oppignerato, redemptionis tempore ius pignoris, & hypothecæ resolui. quem sequitur Bald. in eo §. sed & Marcellus. Concordantes vide apud Tiraq. de Retractu conuent. §. 3. Glos. 1. nu. 10.

13

14 Hinc est quod minor † absque decreto, vel tutor per se solus potest fundum hoc adiecto pacto emptum retrouendere: acquisitus est enim reuocabiliter, & cum hac causa, & conditione. De minore est Glos. not. in l. si ad resoluendam. vbi Salyc. C. de Præd. min. nõ alien. Licèt per eum textum visus sit cõtrariũ tenere Fran. Accur. in hac disceptatione, vt refert Io. And. in addit. ad Specul. de Pactis in prin. Sed illud verum est, si ex interuallo fuerit adiectum pactum. sic intelligitur lex illa. secus est, si continenter, vel in ipso cõtractu, vt ait ibi Glos. De tutore hoc probat Paul. de Castro in l. si autẽ. nu. 5. & Ias. nu. 11. de Pactis. & hoc verius dixit Gozad. in Reper. l. 2. C. de Pact. inter empt. q. 27. nu. 144. Quẽ constat in hoc deceptũ, dum allegat pro hac sentẽtia Io. And. superius citatũ; qui potius cõtrarium sensisse videtur, licèt malè.

15 Hinc † quoque est, fundum intuitu pacti huius redemptum eodem

iure, qualitate, & appellatione possideri, quò antiquitus, nec ex noua causa cēseri acquisitum. Retrouenditio enim ex necessaria causa prioris contractus facta est; ideo ad propriam naturam fundus ille redijt arg. l. si auus. §. pactus ne peteret. insi. de Pactis: origo etenim, & prima causa inspicitur l. qui id quod. in prin. de Donat.

Hinc † inquiunt Ang. & Rom. in l. sequitur. §. item Labeo. de Vsucap. Emphyteotam, qui fundum sine domini consensu alienatum, huiusce pacti intuitu redemit, pœnam caducitatis euitare: perinde enim est, ac si nunquam foret alienatus. quibus subscribit Cagnol. in ea Repet. l. 2. q. 48. nu. 174. vbi Gozad. in q. 13. nu. 125. Adeatur Ias. in l. fin. q. 21. C. de Iure emphyt. 16

Hinc † Dec. respondit in cons. 238. nu. 5. bona per hæredem recuperata huiuscemodi pacti vigore, ad fideicommissarium postea pertinere: apud hæredem enim dicūtur esse ex prima causa, per ea quæ scribit Bart. in d. l. in diem. ad pretiū tamen refundendū, teneri fideicōmissarium ait. quod & Cagn. placuit in eadem Repet. q. 94. nu. 254. 17

Hinc † idem Decius respondit in cons. 88. nu. 3. fundum eū adhuc Patrimonialem, & Agnationis dici, & esse, qui sub hoc pacto alienatus, & redemptus fuerit: vt adhuc sine consensu agnatorum ex vi iuris municipalis, alienari non possit. quia illa retrouēditio fuit necessaria, inquit Decius, & ad propriam naturam redijt fundus ita redemptus arg. d. l. si vnus. §. pactus in fi. c. ab exordio. vbi Glos. 31. Distin. nam tali casu bona ipsa non translata, sed reddita videntur. l. filio, quem pater. de Liber. & posthum. in pristinam enim causam redeunt, resoluta conditione. text. elegans in l. voluntate. Quib. mod. pign. vel hypot. sol. Hæc & Cagn. placuerunt. in ead. Repet. l. 2. q. 50. nu. 176. 18

Satis itaque iam constat, dominium quod transfertur, in emptorē adiecto retrouenditionis pacto, in eum cum sua causa transire, non liberum, sed reuocabile. & resoluto contractu apud redimentem ex antiqua causa, & cum priore qualitate esse censeri, ac si nunquam fuisset alienatum.

Sciendum quoq; est, fluuiatica incrementa † eo iure ad nos spectare, quo prædia ipsa, quibus accesserint. vt de latenti incremēto ait Bar. in Tyb. Par. 1. verbo *nostro*. & rectè sanè, nam inquit Pomp. in l. ego. §. idē ait. de Publici. in rem act. *Quod per alluuionē fundo accessit, simile fit ei, cui accessit*. De separatis incrementis idem iudiciū decet statui: acquisitio enim tam alluuionū, quàm insularū realis est, & fit intuitu prędiorū pariter, nō personarū, vt inquit Glos. in l. cogi. §. fi. de Excep. rei iud. quod inde dignoscitur, quoniā except. rei iudicatę in fundo pręiudicat 19

in incremento vtroque. de latenti est text. in l. si Titius in fi. de Vsufr. de separato in ea l. egi. §. fi. de Except. rei iud. de qua re latius paulò post in capite ab hinc sexto. Omne igitur incremētum † siue latens, siue separatum, cum prædiorum causa pariter nobis acquirantur, eodē iure ad nos spectare pariter conuenit, quo prædia illa pertinent. Quod verum est, & generaliter verum, vbi de proprietate ipsa, & dominio acquirendo agitur: in vsufructu enim solet distingui. d. §. huic vicinus. Hinc constat incrementa fundo vel emphyteotico, vel feudali acquisita ad emphyteotā, vt feudatarium pertinere: illis verò contractibus resolutis vel culpa, vel pacto, vel casu, extincta scilicet agnationis linea, ad directos dominos fundum cum omni incremento pertinere; vt communiter, & frequentius receptum proximè dicturus sum. Hinc est quoque quod ait Pomponius in l. sæpe. de Leg. 3. *Sæpe legatum plenius restituitur fideicommissario, quàm est relictum: veluti si alluuione ager auctus est, vel etiam insulæ natæ.* Item qui restituit fundū euincenti, incrementum etiam reddit. l. ex mille. §. quod si modo. de Euict.

20

21 ¶ His ita constitutis audacter † censeo, fundum suppositum retrouenditionis pacto, alluuione vel insulis auctum, resoluto contractu, pro eodemmet pretio, quo venditus est, ad redimentem cum incrementis debere reuerti. Si enim fundus hic est reuocabiliter, & cum sua causa apud emptorem: si redemptus eodem iure, qualitate, natura, appellatione censetur, ac si nunquam fuisset alienatus, vt docuimus: cur incrementa irreuocabilia, & in diuersa causa, in alio iure, contrariavè qualitate constituimus: cum de incrementis aliàs idem iudicium dicamus, quod de re principali. vt notum est.

22 Ratio porrò † diuersitatis, quam affert Menochius, quòd emptor cum hoc pacto est tamen verè dominus, vnde fructus suos facit: ergo vti domino hæc incrementa debent perfectè acquiri: nihil officit, est enim dominium qualificatum, (vt ita dicam) non liberum. Nonne emphyteota, feudatarius domini sunt vtiles; sicut & concedens, dominus directus? restituunt tamen eueniente casu, principalem fundum cum accessionibus. Nōne pariter hæres est dominus, l. si fur. de Vsufr. fideicommissario tamen fundum cum incrementis restituit. Idem dici potest de fundo dotali in æstimato, cuius dominiū est apud virum: soluto tamen matrimonio, ad mulierem reuertitur cum incrementis his. vt in l. 4. de Iure dot. de quo latius inferius in cap. 16. Nihil igitur hoc prohibet, quin emptor restituens fundum, licèt fuerit dominus, restituat pariter & incrementa omnia pro eodem priori pretio. eodem enim iure acquisiuit, quo ad illum pertinuit fundus,

vt ſcilicet ſint ſuppoſita reſtitutioni. & iuxta hanc diſtinctionem procedit l. id quod. & §. ſed & ſi. Itemq; l. fin. & cætera, quæ ſuperius à Me nochio deducuntur. vt ſi liberè ſit dominus quis, & poſſeſſor, liberè illius ſint incrementa. aliàs eo iure pertineant, quo & prædia, quorum quilibet eſt dominus, & poſſeſſor. Vt propter vnionis rationem à Me nochio conſideratam, quæ optimè retorquetur, incrementum à fundo non poſſit diuelli, ſed ad eundem perueniat fundus, & incrementum. Nec poſtremò obſtare † poterit regula. l. ſecundùm naturam. de Reg. iur. & ſimilium, de quibus latè ſuperius per Cagn. quæ differentiam inter ſpeciem noſtram, & illas facere videtur. Aequum enim inquient eſſe, ad fideicommiſſarium fundum cum incrementis pertinere, quoniam & ad eum interim periculum pertinet. & iure ac meritò incrementa auferri emphyteotæ, & feudatario: quoniam neque. ad eos periculū totius interitus fundi pertinet. l. 1. in fi. C. de Iure emphy. & ſi partis pertinet: habent ideo in recompenſationem, omnium incrementorum emolumenta, quandiu conceſſiones perſiſtunt. At in ſpecie noſtra aliud eſt: maxima namque poteſt inæqualitas, & iniquitas ſurgere, ſi hoc ita ſtatuamus: quoniam (vt dictum fuit) periculum omne poteſt ad emptorem pertinere, commodum autem ad redimentem; quem certum eſt non redempturum, ſi fuerit fundus vi fluminis diminutus. quòd ſi auctus fuerit, redempturum vtique, & lucrum hoc auocaturum, veriſimile eſt. Non obſtat, inquam, hæc conſideratio ſatis æqua ſanè, ſed à noſtra diſceptatione excludenda: nam † pro periculo, quod quis ſua volontate ſubijt, nullam meretur recompenſationem, vel excuſationem. l. item Mela. in princ. Ad l. Aquil. l. quod quis ex ſua culpa. de Reg. iur. huiuſcemodi. n. emptor de ſe quæratur, qui in loco periculoſò, & flumini vicino prædium emerit, nec pacto expreſſo contrà caſum hunc ſolitum ſibi conſuluerit, & legem apertius non dixerit. l. Labeo de Contrah. empt. cum ſimil. ergo periculum in ſe conſultò recepiſſe videtur. l. ex conducto. Locati. Nonne † fluuiorum emphiteton, & proprium eſt perpetuò rapere. Vnde Virg. Georg. lib. 3. *Fluuiosq; in mare rapaces.* Audiamus, quid de re hac inquiunt Theodoſius, & Valentinus Imperatores in l. 1. C. de Allu. in Cod. Theodoſ. vnde l. fin. in noſtro C. de Alluu. deſumpta eſt, quæ propterea inde declarabitur. *Alluuionum, quæ contingere ſolent in prædijs, quæ ripis quorundam fluminum terminantur, ea natura eſt, vt ſemper incerta poſſeſſio, incertum ſit eius dominium; nam quod hodie poſſidemus, nonnunquam altero die vicini fundi domino; in alteram fluminis ripam tranſlatum acquiritur; nec tamen apud quem decreſcit, remanet, ſed plerunque redit ad priorem do-*

23

24

25

minum, cum augmento. Sæpè nec ad posteriorem manet, nec redit ad priorem, sed in arenam, fluminis inundatione, soluitur. Ideoq́, &c. Non debuit igitur, nec potuit hic emptor, alluuionum vitia ignorare, vt in ea l. fin. & hoc euenire posse, perspicere debuit. l. si quis domum. §. 1. vers. idem quærit. Locati. Nec est hoc nouum in iure ciuili, vt ex conuentione taci-

26 ta, periculum † ad vnum, ad alium commodum, si libuerit, pertineat. Incrementum enim fundo dotali accedens dos est, & durante matrimonio ad virum spectat, soluto matrimonio ad mulierem reuertitur. l. 4. de Iure dot. Fundus autem dotalis ille etiam dicitur, qui æstimatus datus est, si vxoris electio est, an fundum, an æstimationem velit: & ideo prohibitio legis Iuliæ, ne prædium dotale possit alienari, in hoc fundo locum sibi vẽdicat. l. 1. C. de Fundo dot. l. quòd si fundus. Eod. Incrementa igitur fundo huic accedentia proculdubio ad mulierem redibunt: dotalis enim est fundus iste, & de proprietate dotali generaliter loquitur ea l. 4. de Iure dot. & tamen periculum huius fundi ad virum pertinebit, quod in se per æstimationem videtur suscepisse. l. plerunque. de Iure dot. Ergo certum est, commoda semper ab incommodis non regulari, si qui potuit legem apertius dicere, non dixit. Et hæc decisio quæstionem hanc ferè totam dirimit.

Concludo itaque, incrementa omnia fundi redempti ad redimentem pertinere eodẽ antiquo pretio. Nec decisio hæc est ab omni prorsus æquitate aliena. Scitum est enim, & notissimum prædia iuxta flumen posita iccircò multò minoris vænire, quamuis magni sint reddi-tus. æquum est igitur, qui paruo pretio vberem distrahit redditum, ei quandoque hac accessione lucri, plerunque incerti, consulere.

ARGVMENTVM.

¶ De Incrementis accedentibus feudali prædio.

SVMMAE.

1 *Explanatio §. si quis de manso. c. 1. Si de Inuestitu. feudi contr. fuer. & num. 2. 7. & 8.*

3 *Incrementum feudali prædio adiectum, ad dominum pertinere intelligitur, si quid sibi reseruarit in prædio. etiam si neuter possideat. & nu. 4. & 17.*

5 *Incrementum omne ad vasallum pertinet, siue possideat illud, siue non possideat; dummodo nihil dominus sibi reseruauerit in ipso fundo. & nu. 13.*

6 *Incrementum ad vasallum tum etiam pertinet, si, cum dominus aliquid sibi reseruauerit, vasallus ipse possideat, & iuret se de eo inuestitum. & num. 15.*

9 *Incrementum alluuionis semper ad vasallum pertinet, nulla habita distinctione reseruationis, vel possessionis. & nu. 11.*
10 *Feudatarius potentius ius habet in re, quam fructuarius.*
12 *Incrementum latens vasallo non acquiritur, vbi illud expressè prohibetur in inuestitura, vel tacitè, per concessionem taxata mensura factam.*
14 *Incrementum ad vasallum pertinet, etiam si dominus possideat, si nihil sibi reseruauit.*
16 *Incrementi nouam inuestituram non cogitur suscipere vasallus.*
18 *Incrementum si domino acquiritur, via etiam illi per feudum competit sine pretio, qua ad incrementum possit ire, agere.*

CAPVT XI.

QVAERI hic potest satis commodè de eo increméto, quod feudali prædio accesserit, ad quem pertineat, ad dominum ne, ad vasallum. Longa est sanè materia, & longæ ambages, vt ait Zasius in Tract. de Feud. Par. 6. nu. 47. Doctores enim in intellectu §. si quis de manso. c. 1. Si de inuest. feudi contro. fuer. (à quo pendet decisio huius quæstionis) diuersi diuersa, & inter se contraria sensere. Mæandros hos tamen ferè inextricabiles animo agitamus explicare, quàm breuissimè fieri poterit. Quid autem nostri dicant interpretes, prius videamus.

¶ De duobus inter eos super eo textu altercatio est, quomodo scilicet reseruationis, & possessionis ibi consideratę sit facienda distinctio. Rursus vtrum de vtroque incremento fluuiatili, an de separato tátùm ibi adhibenda sit interpretatio. Quod ad primum pertinet, Glos. 1. in eo §. si quis de manso. in hunc modum distinguendum putat. Si inter dominium, & vasallum sit contentio de incremento feudi: si dominus in curia aliquid sibi reseruauit, tunc vasalli est probatio. aut, si nihil sibi retinuit, & vasallus possidet, iurisiurando ipsius statur. aut, si non possidet, plena probatione opus est illi. Glossæ sententiam secutus est Iac. de Beluis. & Aluarott. in prin. & nu. 5. à quibus ita textus ille in summam redigitur. Quibus assentiri videntur & Mart. Lauden. Præpos. & Afflict. in illo ipso summario eliciendo. apertè Zas. in tract. de Feud. Par. 11. num. 35. & idem Præp. num. 5. dum longam in hac materia distinctionem Aluarotti reassumit.

2 ¶ Aliam iniјt distinctioné superiori aduersantem Io. de Ardizon. in Summa, seu Epitome iuris Feudorum, Azonis discipulus, vt ipse ait in cap. 1. quem satis sum miratus, à posterioribus interpretibus, ne verbo quidem, appellatum. Inquit igitur ille in cap. 138. ad finem fe-

rè. Si dominus aliquid sibi reseruarit, nec vasallus possideat, incremen tum illud ad dominum spectat; nec auditur vasallus, nisi per testes, aut inuestiturę testimonium, de eo se inuestitum probauerit. Quòd si vasallus possideat, tum alia nō est opus probatione. iurare tantùm eum, sufficit. Quoties verò nihil sibi dominus reseruauerit: tum nulla eorum adhibita distinctione, vasallus omne incrementum iure fendi obtinebit. Huius sententiæ videtur fuisse And. de Isern. in prin. eius. §. si quis de manso. De Baldo non est hæsitandum sanè, qui eo loco Petrũ etiam de Ceruo auctorem sibi aduocat. hos cōstat secutũ fuisse Mart. Laud. qui expressè reprobat Glos. & Iacob. nu. 6. hunc ad verbum ferè sequitur Præp. De Afflicto idem dicere oportet, vti qui tribus in locis nu. 3. 4. & 5. hanc tuetur sententiam. Ita Zas. de Feu. Par. 6. num. 47. Eguin. Baro in ipso. §. Si quis de manso. & Ioan. Ferret. Mont. de Feud. lib. 5. cap. 4. vers. Præterea, &c.

Tertiam Io. Petrus de Ferrar. & ipse solus inijt distinctionem in sua Praxi, in libello, quo agitur ad feudi reuocat. in fi. ad quam breuitatis gratia me refero.

¶Placet nobis Ardizonis opinio, quam ex auctoritate interpretum pondere, numero, & mensura aduersantibus facilè superiorum; receptiorem censemus. & quòd potentius vrget, & legi, & veritati conformem arbitramur. Tres sunt † eius §. partes. in prioribus distinctio bimembris habetur. Aut scilicet dominus aliquid sibi reseruauit. de hoc agitur in prima. Aut nihil reseruauit. de hoc agitur in secunda parte ibi incipiente. *sed si dominus*. Vltima pars. in vers. *si verò fidelis*, exceptionem ad primum distinctionis membrum subinfert. Sit igitur hic illius. §. sensus absolutus. Cum † dominus in feudi concessione aliquid sibi reseruat, ad ipsum pertinet & incremētum: per reseruationem enim, quod expressè non concessit, videtur sibi retinuisse, vt illic ait Accurs. & tum onus probandi vasallo incumbit. etiam † tum, cum neuter eorum possidet: in hoc enim prodest reseruatio, vt placuit Prępos. nu. 5. Hæc sit prima portio §. Quòd si dat † simpliciter, nulla facta reseruatione dominus; iure feudi omne incremen tum vasallus obtinebit, nullo alio docto, vel probato: præsumptio enim est propter liberam, & indefinitam concessionem, dominum totum vniuersè voluisse concedere, & omne, vel quod in præsens est, vel post tempus concessionis cōtigerit. vt à locutione indefinita aliàs arguit Pomponius in l. si seruitus. de Seruitut. rustic. præd. Sic in proposito arguit Isernia nu. 14. Affict. nun. 8. in eo §. Quò fit, vt tum meritò sit reijcienda ea distinctio, possideat nec ne vasallus: hoc enim do

mino

mino nihil potest opitulari, qui per liberam (vt dixi) concessionem, videtur sibi præiudicium fecisse. Vnde, & si fortè ille possideret, coge retur tamen restituere vasallo, vt ait Afflict. nu. 3. Et hæc pertineat ad secundam partem §. in illis verbis *sed si dominus*. Quòd autem (venio enim ad tertium vers. *si verò fidelis*) dictum est, per reseruationem, domini intentionem iure fundatam haberi; & onus plenæ probationis inde ad vasallum transferri: illud non est tàm absolutè intelligendum. si fidelis † enim in possessione incrementi fuerit (ait Obertus) nõ oportebit eum inuestituram probare, sed iurare. Ius enim Feudale præsumit pro possessore, vt ait Bal. ibi nu. 5. Præp. nu. 1. Afflict. nu. 30. & ei semper defert iusiurandum c. 1. de Controu. inter dom. & vasall. de inuest. feudi. c. 1. Si de inuestit. lis oriatur. & vtrobique Glos. per possessionem igitur, & iusiurandum elidit ur præsumptio resultans ex reseruatione. Referenda † sunt igitur verba vltimi vers. *si verò fidelis*. ad principium §. vt iam antea dixi. & prout exprefsè retulerunt Bal. nu. 2. & Afil. nu. 5. non autem ad secundum & proximum illum vers. *sed si dominus*. vti Glos. Iacob. de Beluis. & Aluarottum retulisse diximus, & malè sanè. ad proxima namque relationem inducere tuni oportet, cum absurdus intellectus inde non sequitur: prout in hac specie necesse est contingere. Ait Obertus in illo vers. 2. *Sed si dominus in ipsa curte nil sibi retinuit; tum omne incrementum iure feudi fidelis obtinebit*. Si hunc subinferamus, & adnectamus vltimum vers. *Si verò fidelis in possessione incrementi fuerit; non oportebit, eum inuestituram probare, sed iurare.* oportet præsupponere in secundo vers. de illo vasallo tractari, qui non fuerit in possessione incremẽti. ad hoc enim cogimur per vim, & naturã aduersatiuæ dictionis *si verò*, quæ & in facto, & in iure superioribus semper aduersantur. l. si cum filius. in prin. vbi Glos. de Donat. Bar. in l. transigere. nu. 6. C. de Transact. Alex. in l. eius. nu. 12. Si cer. pet. Sic itaque fidelis, qui in possessione erit, iurare cogendus est, vt in vltimo vers. qui verò possessione caret, ab hoc onere releuabitur. Qui sensus quàm sit ab omni ratione remotus, nemo est, qui non videat. Quòd si ad cauendum obicem hunc, ad subauditionẽ Iac. de Beluis. & Aluarotti quispiam confugiat; vt quod dicitur in secundo versi. cum dominus nihil reseruauit, *tunc omne incrementum iure feudi fidelis obtinebit*, subaudi probãdo legitimè, se de eo incremento inuestitum fuisse: Incidet in Scyllam cupiens vitare Charybdim. nimia est enim subauditio, vt ait etiam Lauden. nu. 6. Præterea intellectus esset de re indubitabili, contra l. Labeo. de Carbon. edicto. vt post Laud. inquit quoq; Præpos. nu. 2. Cui enim dubium, si dominus sibi nil retinuit, & vasallus

6

7

non possideat; quòd si de eo se inuestitum probarit, incrementum illud obtinebit? nonne & idem erit de domino contrarium probante? Rectius ergo est, versic. *Si verò.* non ad proximum, sed ad superiorem versic. primum scilicet referri. Et hæc sufficiant, quo ad reseruationis possessionisvè tractatum.

¶De incrementi ipsius distinctione videndum superest, de quo scilicet genere in. § † si quis de manso. agatur, de latenti ne, an separato incremento, an de vtroque quæratur. Videtur Iserniæ nu. 13. de vtroque incremento agi: verba enim sunt simpliciter, & indistinctè prolata, ergo nec nos distinguemus. l. 1. de Aleat. l. de pretio. de Publici. cum simil. Eò maximè cum sit lex noua, quæ si aliud voluisset, expressisset. l. 1. §. pen. C. de Cadu. toll. quod & Baldo placuit nu. 2. super illis verbis *omne incrementum.* ergo & latens, & separatum. nam qui omne dicit, nihil excludit, l. à procuratore. C. Mand. l. Iulianus. de Leg. 3. Non obstat text. in l. item si fundi. §. huic vicinus. de Vsufr. cuius gratia, & arg. Glo. 2. in eo. §. si quis de manso. extra omnem casum distinctionis superioris, censuit semper vasallo acquiri incrementum latés, sicut fructuario. Ait enim Bald. nu. 3. rationem diuersitatis posse considerari, quia in vasallo agitur de magno præiudicio, ideo distinguitur per §. si quis de manso. in vsufructuario autem de modico, cum morte finiatur. l. corruptione. C. de Vsusfr. ideo speciali expsione opus est. iuxta not. per Glos. 1. in l. fin. C. Quæ res pign. oblig. poss. & ideo in vtroque incremento seruanda est distinctio §. si quis de manso. Hæc Baldus. quem sequitur Zasius de Feud. cap. 6. nu. 48. quin ait Doctores, qui circa huiusmodi incrementa fatigantur, extra textum vagari, qui hanc distinctionem, ne verbo quidem, respicit.

¶Nihilominus rectius, & diligentius animaduertenti constat de solo incremento separato non solùm debere, sed, quod maius est, etiam oportere, ibi esse locutum Obertum, intelligere. cum enim illic vis fiat, possideat nec ne vasallus: ergo de eo incremento differit, quod, licèt fundus, cui accesserit, possideatur, possit tamen & possideri, & non possideri; quale est incrementum separatum: ad possessionem cuius nanciscendam, propria opus est, & noua apprehensione; incrementū verò latens successiuè, dum fit, possidetur cum ipso fundo, cui adijcitur, absque noua, & propria possessione. quod iam latè diximus in cap. 8. huius libri. De insularum igitur incrementis necessum est interpretari, illic locutum Obertum, non de alluuione, aliòue concreto incremento. Accessio † enim huiuscemodi absque alia distinctione reseruationis, vel possessionis (de qua re paulò ante dictum fuit)

semper

ſemper ad vaſallum pertinet. quod placuit Glo. 2. vt dixi, in eod. §. ſi quis de manſo. arg. l. item ſi fundi. §. huic vicinus. de Vſufr. & Iſerniç, qui in hanc tandem tranſijt diſtinctionem. Ait enim nu. 13. non videri abſonum, etiam quando dominus aliquid retinuit in Curte (quæ feudorum locutio eſt) æquiparare feudatarium fructuario: cum præſertim t ius fortius, & potentius habeat, quia ad hæredes tranſmittit in infinitum c. 1. §. hoc quoque. de Iis, qui feu. dare poſſ. at vſusfructus morte finitur. Addit Aluar. nu. 5. feudatarium habere vtile dominiũ, quod non competit fructuario. & hoc æquius eſſe contendit. quod & Baldus ipſe probat nu. 3. per c. 1. §. 1. de Inueſtit. de re aliena facta. Frequentiore ſanè calculo hoc eſſe receptum conſtat, vt nobis atteſtatur Martin. Lauden. & Pręp. in 2. not. Hęc ſententia etiam placuit Iacobo Beluis. ibidem, & Alberico in l. de quibus. nu. 29. de Legib. & communiter in hoc approbari Gloſ. hãc, teſtatur etiam Clar. ex Ruino, in cõſ. 7. nu. 12. lib. 1. Clar. inquam, in. §. Feudum. q. 88. verſi. item quæro. licèt illius conſilium diligenter perquiſitum non inuenerim. & hãc opinionem ego quoque libenter amplector.

¶ Proinde non obſtat, quod ait Baldus de perpetuo, & magno prçiudicio: occurritur namque à Lauden. nu. 8. quòd, vbi agitur etiam de perpetuo, & magno præiudicio, alluuio acquiritur, & ita emptori, l. id quod. in prin. de Peric. & commo. rei vend. l. Iulianus. §. Titius. de Action. emp. quod & probat Præpoſitus, hunc de verbo referens, more ſuo. Sed rectior, & iuſtior eſt reſponſio ſuperior proximè relata ex Iſerniæ, Baldi ipſius, & Præpoſiti intentione; non rectè inferri à fructuario ad Vaſallum, cum ei potentius ius competat.

Cum itaq; incrementum latens ad vaſallum indiſtinctè pertineat, & ſine noua apprehenſione ſtatim cũ ipſo fundo poſſideatur; ſat conſtat de ſolo incremento ſeparato ſenſiſſe Obertum in eo §. ſi quis de manſo. Nec obſtat quòd illic dicatur *omne incrementum*: contrahitur enim hæc locutio, & limitationem recipit ab alia lege, vt ait Lauden. nu. 10. ex annot. per Glo. in l. fin. C. Sine cenſu, vel reliq. Omne incrementum itaque intelligas, quod ſeparatum eſt.

¶ Enucleatum igitur perfectè habes, (vt puto) difficilem hunc §. ſi quis de manſo. Vt perfectius tamen, & clarius adhuc ſuperior omnis diſceptatio pateat, nihilq; penitus deſideretur, ad abſolutam & apertiſſimam totius materiæ huius notionem habendam: operæ pretium factuṙum me cenſeo, ſi ad regulæ normam & ſupra diſceptata, & inde pendentia hinc & illinc excerpta redegero. Cęterùm, quia duplex eſt incrementum; aliud latens, aliud ſeparatum: magis eſt, vt duas con-

11 stituamus regulas. Omne † itaque latens incrementum ad vasallum pertinet, arg. l. item si fundi. §. huic vicinus. de Vsufr. nam si fructuario acquiritur, multò magis feudatario, qui ius habet in re. & hoc placuit, vt dixi, Glos. in eo. §. si quis. communiter approbatæ. Quod autem de incremento alluuionis hic dicitur, de alueo etiam relicto dici putes: cum vtrunque incrementum sine noua apprehensione possideatur, vt diximus paulò ante in capite ab hinc tertio.

Primò autem amplies, & hoc intelligas, siue simpliciter, siue cum omni incremẽto fuerit fidelis inuestitus. Rursus siue dominus quid sibi in Curte reseruauerit, siue nihil. Distinctio enim hæc non vendicat sibi locum in latenti incremẽto, vt communiter receptũ probaui.

Tertiò adde, nec tum quæri debere, vasallus possideat nec ne hoc incrementum; quia de eo non agitur in illo §. si quis de manso. vt plerisque placuisse, ex superioribus constat.

Quartò & illud scias, nec iurare teneri. satis enim superq; intentio vasalli fundata est, argumento eius §. huic vicinus. quod placuit Lauden. in fine illius §. si quis de manso. & illic Præpos. nu. 3.

12 ¶ Duo casus porro ab hac regula sunt excipiendi. alter est, † vbi expressè sit in inuestitura prohibitum, ne vasalli sit incrementum. cuius inuestituræ sensum diligenter semper fore inspiciendum ait in proposito Mart. Laud. nu. 6. & in §. rursus. nu. 17. Eod. vbi reprehendit Iaco. contrarium sentientem. Sic Aluarot. nu. 5. Præposit. nu. 4. arg. c. 1. §. fin. Quid sit inuestit.

Alter est cum tacitè: quando scilicet latifundij alicuius particulam mensura taxata, vti ex Semproniano prædio ducenum iugerum iugera dena concesserit dominus. tum enim incrementum intelligitur reseruasse. quod probant Iacob. de Ardiz. in Summa. cap. 13. Iern. nu. 13. vbi supra, & Bal. nu. 3. Aluar. nu. 4. Præpos. nu. 3. & postremò Afflict. nu. 11. Mouentur arg. l. Rutilia Pola. de Contrahen. emp. & l. in agris. & l. lacus. de Acq. rer. dom. quoniam feuda videntur habere naturam agri Limitati, & lacus (vt inquit Bald.) qui per alluuionem non augentur. Cum ergo certus iugerum numerus datus sit, nihil amplius debetur. taxationis enim vicem hoc sustinet, vt in l. cum certus. de Tritico, & oleo leg. arg. l. Iulianus. §. si Titius. de Action. emp. Rationem affert Bald. quia ex aduerso seruitium tum commensuratum vasallo imponitur. vnde quod postea non augetur in seruitio, nec augetur in beneficio, ex natura proportionabilium, seu correlatiuorum, & ex natura causæ, & effectus, c. 1. in fi. de Vasal. milit. qui arma bell. depos. Sic inquit ille.

Placet hæc decisio, sed non decisionis ratio: iura etenim deducta rectè intuenti parum facere constabit. In primis nulla lege probatur feuda habere naturam agri Limitati: quinimmo contrarium expresse colligitur ex eo §. si quis de manso. aliquibus enim casibus feudū per alluuioné augetur, quod de agris Limitatis indistinctè negatur. Vt interim illud prætereā, Baldum, & cæteros penitus ignorasse, qui fuerint agri Limitati; quorum vsus, & mos ab aula (vt aiunt) iam pridem recessit. 11

Rursus ideo in lacubus de quib⁹ in l. Rutilia. & in l. lacus. cessat ius alluuionis, quia iuris sunt priuati. Item in §. si Titius. icciro alluuio non est emptoris, non ob mensurā prædij; verum quia nondum perfecta erat venditio, vti sub conditione facta, l. quod sæpè. §. in ijs. de Contr. empt. per acta autem mensura, etiam ad illum postea pertinet incrementum superueniens. 12

Rationem igitur ego illam considero. quoniam, si qualis qualis reseruatio, vt ait Glos. in eo §. si quis de manso. vti itineris, viæ vè, aut actus, vt placuit Iserniæ & cæt. hoc operatur, vt incrementa separata concessa non censeantur: (vt diximus) multò magis in hoc casu reseruatio partis maioris ex fundo concesso iure feudi.

Hanc tamen exceptionem ita intelligas, vt tum non procedat, quoties fundus non ad mensuram, sed simpliciter sub eius terminis est demonstratus: nam communiter natura terminorum non est impedire futuras accessiones; sic ait Bald. in eo §. si quis. nu. 3. & Præpos. nu. 4. arg. l. in lege. de Contrah. emp. Hæc de latenti incremento; de separato itaque dicamus. 12

¶ Regula sit igitur, omne † etiam fluuiaticum incrementum separatim ad vasallum pertinere: per ipsius enim fundi inuestituram videtur dominus omne incrementum concessisse, vt inquit Bal. nu. 3. arg. l. inter socerum. §. cum inter. de Pact. dotal. 13

In primis hoc etiam verum est, siue vasallus ipse illud incremētum possideat, siue non possideat, vt habetur in eo §. si quis. vers. sed si dominus. & hoc communiter recipitur, vt ait Lauden. nec vlla opus est probatione, Bald. nu. 2. superdictione. *retinebit.*

Secundò † amplia, etiam cum dominus nulla præcedéte reseruatione possidebit: cogitur namque illud restituere vasallo. ita Afflict. nu. 3. 14

Quin etiam, si dominus quid sibi reseruauerit: si tamen † vasallus possideat, obtinebit ipse; si iurauerit se de incremento etiam inuestitum. vel si agitur de maiorum suorum inuestitura; se credere secundum suam conscientiam. Sic ait Isern. in c. 1. nu. 7. de Consuet. recti feudi, Neque enim in feudis semper est necessarium, ostendere breue 15

restatum, vt dicitur in eo c. 1. illic *licet enim.* Et hæc ampliatio desumitur ex versic. *si verò fidelis.* eius §. si quis de manso. Possessio etenim in feudis etiam, adeo fauorabilis est, vt pro possidente præsumptionem inducat. vt in proposito inquit Bal. nu. 5. latè Glos. fin. in c. 1. de Content. inter dom. & vasal. de inuest. feudi.

16 Quartò amplia, † vt nec nouam inuestituram pro incremento suscipere cogatur. Aluarott. nu. 7.

17 ¶ Primò autem † casum illum excipe, cum sibi dominus quid reseruauerit præter seruitium, quale quale sit illud; & fuerit in possessione incrementi. ita intelligitur prima pars §. si quis de manso. vt plerisque placuisse probatum est.

Secundò excipe, si neuter eorum fuerit in possessione incrementi; sed dominus quid sibi reseruauerit: tum enim ex vi reseruationis præsumitur pro domino, & onus plenæ probationis in vasallum transfunditur, quod probatur ex vltimo vers. *si verò.* §. si quis de manso. à contrario sensu. Nam si quando dominus sibi quid reseruauit, & vasallus possidet, iccircò non probat, sed iurat: deficiente igitur possessionis beneficio, nisi plenè probauerit, succumbet. pro domino itaque præsumitur, quod & Præposit. probat nu. 5.

Tertiò, & quartò limitabis, vt in superiore regula.

18 ¶ Quoties † autem (vt & illud obiter dicam) ad dominum pertinet incrementum; illi quoque per feudum competit via sine pretio, qua ad illud ire, agere possit, arg. l. 2. §. rectè. Si seruit. vend. Cum enim vel ipse sibi dominus excipit, vel lex defert incrementũ, ea etiam veniunt, sine quibus concessio esset inutilis. l. 2. de Iurisd. omn. iud. l. ad rem. & l. ad legatum. de Procurat. sic inquit Isernia, quod Aluarott. probat nu. 6. in eo §. si quis de manso.

ARGVMENTVM.

¶ De reseruatione, & possessione in feudis.

SVMMAE.

1 *Reseruatio qualis qualis fuerit in Curte, domino ad incrementum consequendum proficit.*

2 *Possessio annalis longa dicitur in feudis, minor verò noua appellatur.*

3 *Possessio vasalli longa requiritur, concurrente tamen & domini scientia, & seruitij præstatione, in terminis c. 1. §. si quis de mãso. de Contr. inuestit.*

4 *Possessio 30. annorum requiritur in vasallo, si domini scientia non probabitur. & ea sola sufficiet absq; sacramento.*

PARAGRAPHVS I.

QVONIAM sæpissime facta est mentio in superiore tractatione de reseruatione, & possessione; quid intelligendum sit, oportet disserere. De reseruatione † scribit Glos. in eo §. si quis de manso; qualis qualis fuerit, eam sufficere, & hanc vim habere. Exemplum protulit Isern. illic in prin. vt si in concessione dominus ius transeundi per fundum concessum ad alia loca sua reseruauerit. hæc & Afflict. nu. 2. & 11. placuerunt. Significantius est exemplũ, quod affert Iacob. Cuiacius in illo §. si quis. sub littera. C. cum membrum aliquod habitandi gratia, hortumvè, aut viridarium excipit sibi dominus. Hęc enim reseruatio respicit, & concernit rei proprietatem, & solum, quidue corporeum; ideo ab hac certius argui potest ad incrementa eiusdem naturæ, & qualitatis. Facit optime tex. in c. 1. §. fin. Quib. mod. feud. amitt. ad hoc allegatus ab ipsa Glos. fin. in eo §. si quis de manso.

¶ Quæ possessio † verò requiratur, videamus. Duplex est possessio in feudis, longa, & noua; longa dicitur, quæ annalis est; minor hac noua appellatur. vt habetur in c. 1. §. fin. vbi Bald. de Contro. recti feudi. Annalis igitur † sufficit sciente domino, & non contradicente. vt ait Ober. in c. 1. §. si quis. Si de inuestit. inter dom. & vasal. lis oriat. Ne (vt ibi legitur) iusta ignorantia, vel parui temporis negligentia, cum iniquæ possessionis periurio, damnum quandoque domino afferat. quod & ait Glos. in c. 1. in prin. in verbo. *in possessione*. Si de inuestit. feudi contr. fuer. vbi cæt. interpretes. Oportet autem, & pro eo incremento seruitia præstita fuisse domino. vt probatur in c. 1. in prin. vbi Glos. 4. & Aluarott. nu. 5. de Consuetud. recti feudi. Possessio verò plenè probari debet per duos testes: est enim indicium ad iusiurandum deferendum, vt annot. in l. fin. C. Famil. ercisc. sic ait Bald. in eo c. 1. §. sacramentum. num. 16. de Consuet. recti feudi.

Quòd si scientia domini probari non poterit: possessio † 30. annorum necessaria est, c. 1. §. si quis per 30. annos. Si de feudo contr. fuer. inter dom. & agnat. & in qua non requiritur scientia, & patientia domini, l. si quis emptionis. C. de Præscrip. 30. ann. & eo casu non iuratur: plena enim est probatio, ita inquiunt eadem Glos. 4. & Aluarot. num. 5.

ARGVMENTVM.

¶ Aperto feudo, ad dominum pertinet feudum cum incremento.

SVMMAE.

1. *Incrementum latens, aperto quomodocunque feudo, ad dominum reuertitur, nullo dato pretio.*
2. *De separato idem dicendum venit.*
3. *Nisi fortè cum omni incremento vasallus inuestituram accepisset.*

PARAGRAPHVS II.

OMNE igitur incrementum latens, arg. eius l. item si fundi §. huic vicinus. de Vsufr. & separatum iuxta sanctionem §. si quis de manso, ad vasallum pertinere certum est; eo tamen iure, quo & ipsum feudum, iure scilicet vtilis dominij: directum enim ad dominum spectat, c. 1. in fi. Quib. caus. benef. amitt. vbi Bal. in fi. & in c. 1. de Inuest. de re alie. facta. Vnde aperto feudo quomodocunque, cum omni incremento deferri beneficium aio ad dominum, nullo dato pretio. Alioquin si vasallo pleno iure quæreretur, ius plenius in accessorio incremento, quàm in principali prædio obtineret, contra vulgares regulas. De latenti clara est sanè decisio in eo §. huic vicinus. Sicut. n. alluuionis vsumfructũ tãtùm ad fructuariũ pertinere dicitur; ea quidem fuit illic Celsi sententia, vt finito vsufructu ad proprietarium pertineret. Sic itaque cum fructuarij argumento, latens incrementum ad vasallum pertinere dixerit Glos. in eo §. si quis de manso. & in l. de quibus de Legib. & omnes feudistæ in eo §. ergo eo iure & conditione pertinet, quo & ad fructuarium. Et hanc decisionem expressè probat Io. de Ardizon. in Summa feud. cap. 138. ad finem. argumento eius §. huic vicinus. Huc facit, quoniam vtile dominium vasalli vsusfructus nomine appellatur in c. 1. in fi. In quib. cau. benef. amitt. & iccircò ad pulcherrimam quæstionem infert Bald. in eo §. si quis de manso. nu. 4.

De separato verò incremento insularum videlicet, omissis mendicatis suffragijs, expressum habetur in ipso §. si quis de manso. iuxta sanam & communem explicationem superius comprobatam. ibi. *omne incrementum iure feudi fidelis obtinebit*, non iure igitur proprio, & pleno, sed iure feudi, i. vtilis dominij, & eo iure, quo feudum, cui accedit incrementum, pertinet, obtinebit. Incrementũ itaque vel latens

vel se-

vel separatum ratione directi dominij ad dominum, ratione vtilis ad vasallum spectat. Quam distinctionem Clar. in §. Feudum. q. 88. vers. pen. verbotenus excitauit, dubius tamen hæsit. latè verò comprobauit Berous lib. Quæst. famil. q. 96. à num. 2. ad 4. vsque. quod & Bruno placuit in tract. de Augm. conclus. 16. limi. 7. & in conclu. 20. His addas, quæ nos latius dicturi sumus paulo post in capite ab hoc quinto.

3 Posset † fortasse limitari superiora, cum vasallus accepit inuestituram cum omni incremento expresse. tum enim, ne verba sint superuacanea, & vt aliquid operentur, l. si quando. in prin. de Leg. 1. cum vulg. videtur incrementi cuiusque futuri non solum vtile, sed directum quoque dominium concessum. & ad hoc posset adduci text. in c. 1. §. rursus. Si de inuestit. feudi cont. fuer. vbi inuestitus cum omni incremento, non iure feudi, ait Obertus, illud obtinebit, sed ipsius erit, inquit. Nihil tamen certum constituo: relinquo vnicuique cogitandum.

ARGVMENTVM.

¶ De incrementis emphyteotico prædio additis.

SVMMAE.

1 *Emphyteota, & vasallus ius habent in re, quod de fructuario negatur.*
2 *Argumentum sumi debet secundùm eos locos, qui validius concludunt.*
3 *Incrementum tàm latens, quàm separatum ad emphyteotam pertinet. & num. 6.*
4 *Thesaurus inuentus in solo emphyteotico, emphyteotæ acquiritur. secus in fructuario.*
5 *Arguere licet in dubio à feudo ad emphyteosim, si iusta præsertim, & æqua ratione ius feudale sit constitutum.*
7 *Emphyteotico contractu resoluto, prædium cum incrementis reuertitur ad dominum.*

CAPVT XII.

DE emphyteota successiuè videamus, quod ius in incrementis alluuionum, & insularum, & similium sibi vendicare queat. Quæ res licèt ex superioribus nullam videatur pati cõtrouersiã, quin liberè idem ius constituatur in emphyteota, quod in feudatario; vt ad eum vtrunque incrementum & latens, & separatũ pertineat: nihilominus ex ignoratione, quæ vera foret explicatio eius §. si quis de manso. pleriq; nostratium interpretũ, nec vulgarium disceptatio-

nem hanc quàm latissimè vagati distorserunt, & turpiter lapsi sunt. quorum dicta breuiter comprehensa huc afferre, penitus inutile non erit, sice nim veritas tractata clarius splendescet.

Tres sunt sententiæ. Iacobus Rauennas, & Martinus Silimanus ad hoc relati ab Alberico in l. de quibus. nu. 27. de Legib. vbi latissimè de re hac disserit; censuerunt, neque latens, neque separatum incremen tum ad emphyteotam pertinere: quoniam nec ad feudatarium spectare sancitum est (vt aiunt illi) in c. 1. eo. §. si quis de manso. de Contro. inuest. in hoc aduersantes Glos. in ea l. de quibus; quæ more fructuarij, incrementum alluuionis saltem, ad emphyteotã spectare constituit. Si enim, (vt inquiunt ipsi) articulus, de quo quæritur, nec lege, nec consuetudine definitus est; & ex alterutrius eorum similitudine determinandus agitur: cui magis similis est, illud præferendum, & attendendum aiunt. Cæterùm cum emphyteotam † ius in re habere, vtile scilicet dominium, iuris sit explorati ex l. 1. & 2. Si ager vectig. & emphyt. petat. quod pariter feudatario tribuitur. c. 1. de Inuestit. de re alien. facta: cum simil. quod nullo modo competit fructuario. l. qui vsumfructum. & l. vti frui. in prin. Si vsusfr. per. neque enim suus fundus ei seruire potest, vt ibi dixit Vlpianus; His adde, quod inquit Paulus in l. 1. de Vsufr. Vsumfructum esse ius vtendi, fruendi rebus alienis, salua rerum substantia; quæ definitio habetur etiam in Institut. Eod. in prin. vbi Accurs. interpretatur ius. i. seruitus, vt excludantur vasallus emphyteota, & superficiarius, similesq́; qui vtile dominium habent; Cum itaq; inter vasallum, & emphyteotam maior sit similitudo, quàm inter eum, & fructuarium; magis est, vt constituatur, nullum fluuiaticum incrementum emphyteotæ acquiri, sicut nec feudatario. Huius etiam fuit sententiæ Petrus, vt refert Saly in l. 1. nu. 8. C. de Iure emphyt.

¶ Altera, & paulo humanior opinio fuit Gloss. in illa l. de quibus, & Iacobi de Arena in d. l. 1. nu. 6. vt iuxta distinctionem in fructuario consideratam in l. item si fundi. §. huic vicinus. de Vsufr. incrementum latens emphyteotæ acquiratur, non etiam separatum. Quo niam cum agatur de specie iuris scripti, consequens est, à scripto iure potius argumentum sumi, quàm ab eo, quod moribus, & vsu receptum est, vt inquit Baldus, præsertim in ea l. de quibus. num. 108. & hoc placuit alibi Gloss. fin. in l. 1. C. de Iure emphyt. Hanc sententiam plures secuti sunt, & in primis Guil. de Cuneo. & Rainer. inde Ang. & Ias. eos referens in l. de quibus nu. 25. Salyc. in ea l. 1. nu. 8. vbi Bald. Qui omnes vno ore argumentum Iacobi, & Martini

desumptū ex eo §. si quis de mãso.diluere,& refellere hac ratione nitū tur. In decisione(inquiunt)cuiusq; articuli oportet arguere † secundū eos locos, qui validius concludunt, arg.l. & si nō sint.§.perueniamus. in prin.de Auro & arg.leg.Sed in hac specie fortius arguitur à fructua rio, quàm à vasallo;ergo,&c.arguitur.n.à minori ad maius, quod sem per cōcludēs decidit,l.fin.vbi Glo.C. Qui etate,&c.lib.10.cū simil.ar gumentum verò sumptum à feudario est à simili, quod fallacissimum esse constat.l.comparationes.C.de Fide instru.l.fin.§.pen. Ad munic. Quò fit, vt alibi in §. si verò nullus. Aut.de Instrum.caut.& fide.quælibet alia probatio potior sit similitudine, & comparatione. cum præsertim inter vasallum, & emphyteotam multæ intercedant differentiæ. Argumentum itaque instruendo ab vsufructuario ad emphyteotam, iuris erit apertissimi, si alluuionis incrementum fructuario acquiritur:cui in re vtile dominium non competere constat:illud emphyteotæ multò magis acquirendum fore, quem palàm est in ipso fundo habere vtile dominium. Sic aiunt illi, sic concedunt,§. si quis de man so.contra feudatarium,& emphyteotam facere. Multa sciens prætereo hinc inde deducta, de quibus latè Alb. in ea l. de quibus. fastidit enim animus in re tam explorata laborare. Miror vtique tantam Doctorum horum animis in clarissima luce offusam esse caliginem. Non ne apprimè opportunum fuit, quàm validissimè telum retorquere, & suo illos gladio confodere. quod ego iam iam aggrediar.

¶Tertia igitur,& sanior fuit sentētia Bartoli primùm in l.1.nu.10. C.de Iure emphy.Baldi nu.19.in secunda lectura, & Salyceti. nu.9. Quorum alterutri (eodem enim tempore vigebant) certum est,surreptam eam interpretationem, cum eisdem verbis apud vtrunque legatur. Sequitur Ias.eo loco nu.79.& ante hos omnes placuit Specul. de Locato.§.fin.q.131.nu.157.quem sequitur Imola in c.potuit.nu.46. Eod. florum † est sententia, vt tam latens, quàm separatum incremen tum ad emphyteotā pertineat;ea primùm ratione naturali.l. secūdum de Regul.iuris. cum simil. Si enim periculum omne diminutionis, dummodo non sit rei totius, ad eum spectat, vt habetur in l.1.C. de Iure emphyt.æquum est omne pariter incrementum eius beneficio cedere.Nihil autē debet officere,quod de fructuario dicitur:dispar enim est vtriusque conditio,cum potentius ius habeat emphyteota,vt proxime dixi; quoniam rei vtile dominium habet. vt expresse etiam dicitur in l.possessores.vbi Bart.C.de Fundo patrim.lib. 11. quod de fructuario negatum extitit.

¶In hanc ego quoque transeo opinionem, & æquitati, & veritati

2

3

quàm maximè (vt reor) consentaneam. Illud in primis mouet, quoniam † si thesaurus inuentus fortè fuerit in solo emphyteotico: si ideo concedimus eius partem dimidiam ad ipsum pertinere, quoniam habet vtile dominium emphyteota; quæ thesauri portio fructuario icci rcò non acquiritur, si in solo vsusfructus repertus fuerit, vt inquit Glos. in l. 1. C. de Thesaur. lib. 10. per textum in l. si is qui. §. quòd si seruus. de Acq. rer. dom. Et quòd thesaurus acquiratur emphyteotæ, probat Azo in Summa Tit. de Thesaur. Accurs. in ea l. 1. & illic Io. de Plâtea. Item Spec. de Locato. §. fi. q. 132. quem sequitur Imola in c. potuit. nu. 46. Eod. His sic stantibus, cur liberè non constituimus, vt incrementum etiam separatū pertineat ad emphyteotam, quamuis fructuario illud negetur? Cum in fundo ipso, cui accesserit incremētum, potentius ius retineat: & ex eo quod quis sit dominus soli, ita acquirantur insulę, vt & thesaurus? rei enim ratione acquiruntur, non personę. vnde exceptio rei iudicatæ in fundo præiudicat in incremento separato, l. egi. §. fi. de Excep. rei iud.

4

Rursus, & postremò ex auctoritate c. 1. §. si quis de manso. de Controu. inuest. quàm maximè adducor. Certum est † enim, quòd vbi nō reperitur contrarium à iure communi decisum, à feudo ad emphyteosim licet arguere. si præsertim iusta, & ęqua ratione feudale ius sit constitutum. vt respondit Rom. in cons. 212. nu. 4. ita distinguit Alex. in l. diuortio. §. si fundum. nu. 3. Solut. matrim. ex intentione Io. de Imol. in c. potuit. vers. 7. de Locato: ita post exactam disceptationem, etiam ex superiorum auctoritate distinguit Ias. in l. 1. nu. 59. C. de Iure emphyt. & ita communiter receptum testatur Socin. Sen. in cons. 167. nu. 24. lib. 2. Socin. nepos in cons. 72. nu. 57. lib. 1. Reliquum est igitur, cum superiori capite satis superq; constiterit incrementum & latens, & separatum ad vasallum pertinere, eo non obstante, quòd fructuario latens tantummodo acquiratur: quoniam potentius ius, vtile scilicet dominium in feudo competit fideli, itemq; ex auctoritate illius §. si quis de manso. & hoc communiter receptum probauimus: Superest, † inquam, idem in emphyteota constituere, cum eadem militet ratio, nec contrarium in iure cautum reperiatur. His adde, & retorque argumenta Iac. de Rauen. & Mar. Silim. quæ in principio huius capitis referuntur. Et per prædicta hoc idem voluisse videtur Bald. in eo §. si quis de manso. nu. 3. vbi ita argumentatur, licèt dubitando, & ad hoc ita eum inducit Afflict. ibidem nu. 11. Quicquid dixerit Ias. in ea l. de quibus, vbi censuit Baldum asserere in eo §. nec latens, nec separatum incrementum emphyteotæ acquiri. Hanc etiam probat sen-

5

6

tentiam

tentiam Præpos. in illo §.nu.6. Quæ verissima est, & eam communiter receptam ait Ripa in l.si ex toto. nu.6.de Leg. 1. Cuius testimonio licèt parum in hoc fidendum videatur, cùm obiter, & perfunctoriè (vt aiunt) nullaq; adhibita discussione id proferat: veruntamen & ego receptiorẽ censeo, neç aliter aut responderem aut iudicarem. nihil enim contrarium lego, quàm argumentum à fructuario desumptum, quod in superioribus dilutum est penitus. Si de alluuionis autem incremento quæreretur separatim: citra omnem hæsitationem hoc esset tenendum, vt ait Corn.qui ita respõdit in cons. 15.lib.4. & communiter receptum esse, testatum legitur à quodam in Repetitione d. l. de quibus. nu. 15.in vol. Repet. cuius auctoris nomen ibi deficit.

Omne itaque incrementum siue latens, siue separatum emphyteotæ acquiri, nemo dubitet in futurum: & eodem iure ad eum spectare, quo prædium, cui accesserit, id est iure vtilis domini; vt † resoluto contractu emphyteotico quoquomodo, prædium cũ incremẽtis ad dominum liberè perueniat, quod constitutum fuit in vasallo in superiori cap. 11. §.fin. ad quæ breuitatis gratia me refero. Ab hac autem decisione incremẽtum aluei exceptum ne putes, cùm par sit vtriusq; ratio. 7

ARGVMENTVM.

¶ An quæ de reseruatione domini dicta sunt in feudo, in emphyteosi locum sibi vendicare, dicendum sit.

SVMMAE.

1 *C. 1. §. si quis de manso. de contr. inuest. in emphyteosi locum sibi penitus non vendicat.*

2 *Possessio annalis iure feudorum longa dicitur, eoq; tempore minor noua nuncupatur.*

3 *Possessio longa iure communi ea dicitur, quæ decennio minor non fuerit.*

4 *Iusiurandum, quod vasallo possidenti præstatur, vicem obtinet sacramenti purgationis.*

5 *Reus licèt possideat, & actor nihil probauerit, iure tamen feudorum singulari non absoluitur absque iureiurando.*

6 *Iusiurandum purgationis iure communi non defertur, nisi expressè cautum legatur.*

7 *Possessio cum iuramento vasalli, intentionem domini ex reseruatione fundatam adeo perimit, vt inde concessio incrementi probata censeatur.*

8 *Dominium principaliter deductum in iudicio non probatur per possessionem, etiam si concurrat fama, vel iusiurandum.*

9 Praescriptio longissimi etiam temporis, iure feudorum fauorabilis habetur.
10 Reseruatio, & exceptio regulariter firmat concessionem in non reseruatis.

CAPVT XIII.

PROXIMVM, & consequens est superioribus; an quae dicta sunt de reseruatione in re feudali iuxta sensum c. 1. §. si quis de manso. de Controuer. inuestit; eundem pariant effectum, & ille §. sibi locum vendicet in emphytotico praedio. Si enim eadem est conditio emphiteotae, vt omne incrementum iure vtilis dominij tantum obtineat, qualem in vasallo constituimus: caetera quoque simul obseruanda videntur. vt si dominus quid reseruarit, & possideat, ad ipsum separatum incrementum pertineat, & prout in eo §. statutum legitur. Et hanc probare sententiam ferè videtur Io. Fab. in §. praeterea. Institut. de Rer. diuis. nihil certi tamen determinat. quod & de Aretino ibi poteſt dici.

Huc sanè faciunt, quae Bald. in illo §. si quis de manso. nu. 3. subtili ratione disserit, ad occurrendum obiectioni, quam excitarat ex l. Iulianus. §. si Titius. de Action. empt. cuius §. argum. distinguendum videbatur, aut incrementum accessit ante traditionem; & sit domini. aut post traditionem; & sit vasalli, reiecta penitus in vtroque casu distinctione eius §. si quis de manso. an aliquid reseruatum fuerit à domino, & quis possideat. Attamen illud verum, inquit Baldus, in contractibus, *ex quibus transfertur totum ius tradentis. non est ita in feudo, quia penes concedentem remanet directum dominium, quod debet aliquid operari, quia obtinet suprèmum gradum dominij, vt in c. 1. §. si verò. de Inuestit. de re alie. facta.* Hucusque Baldus. quem perperam Afflictum eo loco num. 2. intellexisse ex his patet, vt id obiter dicam. Dominium igitur directum, quod apud concedentem remanet, efficit; ne post traditionem, incrementa vasallo acquirantur, nisi cum distinctione §. si quis de manso. Quae ratio, si vera est, (nec enim penitus illi consentio) & in emphyteota locum sibi vendicare, nemo est, qui non videat.

Rursus, si propter qualemcunq; reseruationem, ideo incremetum ad dominij pertinet, quoniam quod non concessit, videtur ipse sibi retinuisse, vt ait ibi Glos. & cet. omnes: haec vtique ratio in emphyteotica concessione potest considerari. Quapropter ius idem statuendum videtur. Cum enim hoc nec iuri communi, nec rationi repugnet; à feudo ad emphyteosim absolutè arguere in tota specie hac, nihil est, quod prohibeat, iuxta regulam in superiori capite constitutã.

¶ Neminem præter Præpos. in §.si quis de manso. nu. 6. de re hac agentem legi, vbi contrariam, paucis tamen sentire, & asserere videtur. *In hoc* inquit ille, *feuda habent naturam separatam à contractu emphyteotico, vt patet per præmissa*: præter hæc verba nihil amplius de hac re apud illum. Præmissa porrò fuerunt longa distinctio de quouis incrementorum genere, quæ vel industria vasalli, vel casu, vt fluminum vi, ipsa prædia feudalia accipere consueuerunt; quando & vasalli, & quando domini debeant esse. nihil præterea in specie nostra apud illum legitur.

¶ Nostra † hæc est sententia, vt consentiam Præposito, diuersam, aliamq; feudorum esse naturam in hoc genere à conditione rei emphyteoticæ, vt nullatenus distinctio eius §. si quis de manso, in emphyteotica concessione sit obseruanda: His autem impellimur argumentis. Quoniam quæ de possessione annali dicta sunt in eo §. quam † feudali iure constat longam censeri, vt in c. 1. §. si quis. Si de Inuestit. inter dom. & vasall. lis oriat. coniuncto c. 1. §. fin. de Consuet. recti feudi, vbi Bald. annotauit: & quæ minor anno integro fuerit, eam non longam, aut veterem, sed nouam appellari: quod & in cap. 11. §. 1. paulo ante diximus: hæc inquam de possessione obseruatio in iure nostro ciuili admitti non potest: quod & Bal. fatetur in c. 1. in princ. nu. 6. vbi inquit illud esse proprium ius feudorum sub Tit. de Controu. inuestit. & rectè: longa † enim possessio dicitur, quæ decennalis fuerit, & longum tempus non minori temporis, quàm decem annorum curriculo concluditur; vt frequentiore calculo receptum testatur nobis Bar. in l. 1. §. quòd autem ait. de Superfic. necnon Alex. in cons. 17. vbi latè nu. 2. 3. & 4. lib. 4. Item Dec. in cons. 204. in princ. & hoc notum est lippis, & tonsoribus, vt aiunt.

Diuersam iterum conditionem concessionis feudalis ab emphyteutica ex alio agnoscere licet. nam si vasallus incrementum possederit, iusiurandum tamen necessarium subire cogitur, quòd fuerit ininuestitus, si fortè præcesserit qualiscunque domini reseruatio, vt ex vltimo vers. *si verò fidelis.* eius §. si quis de manso. perlegenti superiora nostra facilè constabit. Hoc † iuramentum vicem obtinet iuramenti purgationis, vt ait Isern. in in c. 1. nu. 4. de Consuet. recti feudi. quale est illud, quod præstatur in l. præsenti. §. sanè. C. de His, qui ad eccles. confug. & in multis casibus ibi annot. Ex quo enim dominus habet præsumptionem pro se ex reseruatione; ideò defertur sacramentum possessori, ad purgandam suam innocentiam, quòd indebitè incrementum non detineat, vt ait Aluarott. in simili in eo c. 1. §. sacramen

tum.

tum.nu.1.declarando illa verba. *aut possidenti dabitur sacramentum.*

5 Sed hoc est ius † singulare in feudis, vt actore nihil probante, reo autem & vasallo possidente, reus ipse iuret cõtra.l.qui accusare.C.de Rei uendic.& c.fin.de Iureiuran.cum vulg.Ita distinguit ex auctoritate Ia. de Belui.Martinus Lauden.in c.1.in prin.nu.15.de Contro.inuestit. vbi Præpo.nu.5.de verbo referens more suo.& Afflict.nu.23.& placet Iasoni in Repet. l.admonendi.nu.73.de Iureiuran.

6 Item iusiurandum, † purgationis in iure nostro nunquam defertur, nisi lex expresse iubeat; sic ait Glos.in ea l.admonendi.in verbo.*exacto.* similis vsque, quaque Glos.in l.in bonæ fidei.C.de Reb.cred. quibus in locis,& in eo §.sanè. quam plures loci citantur, vbi tale iusiurandum deferendum statuitur,& plerunque si de delicto agitur. de hoc sacramento Ang.etiam in cons.197.in prin.

Rursus in alio ius singulare esse agnoscitur, nec in consequentiam
7 trahendum: nam † possessio cum iureiurando vasalli intentionem domini ex reseruatione fundatam adeo perimit,vt inde concessio incrementi probata censeatur. Iure autem nostro, vt ait Bald. in illo §.si
8 quis de manso.nu.5. ex possessione † non surgit probatio concessionis,nec acquisitionis dominij principaliter deducti.l.non hoc.C.Vnde legitimi. Latè Bart.in l.quidam in suo.de Condit.instit.latius Ant. de Butr. in c. cum ad sedem. nu. 27. vbi Abb. nu. 20. de Restit.spol. Etiam si cum possessione cõcurrat fama publica pro dominio. Innoc. in c.illud.in fi.de Præsumpt.quia probare debet (inquit ille) legitimum titulum, atque dominium.l.in rem actio. de Rei vendic. Abb. in eo c. ad sedem.nu. 20. vbi præter Innoc. allegat etiam Rotæ Decis. 336. aliàs.430. Ergo nec ex possessione cum sacramento probabitur dominium. Singulare igitur in hoc est ius feudale, vt præsumat pro possessore. Vnde ob id Bald. in eo §. si quis. præscriptionem † longissimi
9 etiam temporis,fauorabilem eo iure censet;quia gratia vtriusque & domini,& vasalli subinfertur,arg.l.statuliberos.§.stichus annua de Statu lib.Licèt nostro iure secus sit, Glos. in l.fin. C. de Edicto Diui Adria. tollen.quod & Præpositus probat in prin. eius §. si quis de manso. & Affl.nu.40. itemq; Iason in l.3.§. Labeo.in fi.de Acquir. posses.

Postremò, licèt feudali iure reseruatio in hoc prosit domino, vt quod non concessit expresse, videatur reseruasse; & ideo incrementa quæ possidet,illius esse censentur:item vasallus tum alienare prohibetur, quod aliàs liceret,vt in c.1.§.fin.vbi Glos.in fi.& cæt.de Controu.
10 inuestit. Regulariter † tamen iure nostro reseruatio, & exceptio firmat regulam in nõ reseruatis,§.vt vero.Aut.de Non alien.&c.& con-

cesso principali, accessoria etiam concessa intelliguntur. l. si vt certò. §. vsque. Commod. cum vulgaribus.

ARGVMENTVM.

¶De incrementis adiectis prædio locato in longum, modicùmue tempus.

SVMMAE.

1 *Conductor ad longum tempus ius habet in re instar fructuarij, ideo illi incrementum latens acquiritur.*
2 *Conductor ad longum tempus naturaliter sibi, non domino possidet.*
3 *Conductor hic, vtile dominium consequitur, sicut emphyteota.*
4 *Conductor ad lõgum tempus à re locata expelli non potest, nisi per triennium cessauerit in solutione.*
5 *Incrementum non solùm latens, sed etiam separatum conductori ad longum tempus acquiritur.*
6 *Conductor simplex non possidet, nisi alieno nomine.*
7 *Incrementum tantummodo latens acquiritur simplici conductori.*
8 *Creditor, quod ad effectum dominij attinet, & fructuum, debitoris nomine possidet.*

CAPVT XIIII.

QVID de conductoribus dicendum est? illis ne acquiruntur incrementa hæc fluuiatilia? Neminem de re hac differentem legi. distinguendum censeo, vti duo sunt incrementorum genera, inter duas pariter conductionum species, inter conductionẽ scilicet ad longum tempus, & simplicem.

1 Conductorem † itaque ad longum tempus in decennium videlicet, vt ait Bar. de communi antiquorum sententia in l. 1. §. quod autem ait. de Superficieb. vt testatur pariter Alex. in cons. 17. à nu. 1. vsq; ad 4. lib. 4. certum, & exploratum est, habere ius in re, per illum §. quod autem. vers. & sane. ibi *in rem actio competit.* instar fructuarij, vt annotauit Glos. in l. vnde etiam. §. vti videmur. in verbo *per fructuarium.* de Itin. actuq; priu. & ex eius auctoritate Bald. in l. si filiofam. §. si vir in in quinquennium. nu. 1. Solut. matrim. Latens ergo incrementum conductori huic ad non modicum tempus acquiri debere, statuendum est, veluti atque fructuario. l. item si fundi. §. huic vicinus. de Vsufr. Quod ex alio suadetur. hunc. n. conductorem † constat naturaliter sibi, non domino possidere, vt inquit Glos. in l. si vt certo. §. si duobus. Commod. & in l. si quis ante. de Acquir. possess. Ias.

2

in l.3.§.ex contrario.nu.48.& in l.naturaliter.nu.15.de Acq. possess. Sed qui possidet fundum, cui accedit alluuio, eodem tempore absque noua apprehensione incrementum etiam possidet, vt diximus in cap. 8. huius libri: ergo ei acquiri, non est absurdum dicere.

3 Rursus † vtile dominium etiam transfertur in huiuscemodi conductorem ad longum tempus, ceu in emphiteotam, ac feudatarium, superficiarium, & similes, vt placuit Baldo in Rub. C. de Iure emphyteticô. quod probat & Iason in l.3.§.ex còtrario.nu.48. de Acq. posses. arg.l.1.& seq. Si ager vectig. & emphyteot. pet. Quapropter Imola in c.ad audientiam. nu.2.de Reb.eccles.non alien.communiter reprobari profitetur Gloss.fin. in l. codicillis.§.instituto. de Leg. 2. quę censuit, alienare prohibitum, etiam si in centum locet annos, mandatis non cotrauenire. Adeo autem similis est conditio emphyteotæ, & 4 conductoris ad longum tempus, vt hic non † possit expelli à re locata, nisi per triennium à solutione pẽsionum cessarit; sicuti nec ipse emphyteota, vt inquit Ang. in §.scire auté. in Auten. de Non alienan. &c. Iason in l.2.nù.39.C.de Iure emphyt. Ratio est, quia vterque habet vtile dominium rei, & veram possessionem naturalem, vt ait Bald. in c. querelam. in fi. de Iureiuran. & in l.ædem.nu.9. C.Locati. & hoc placuit Raphaeli Fulgos. in Aut. qui rem. C.de Sacrosan. ecclesijs. Cum igitur potentius ius habeat conductor hic, quàm fructuarius; iure ac 5 merito non solùm † latens, sed separatum quoque incrementum ad eum debet pertinere. qua ratione potissimùm & vasallo & emphyteotæ illud acquiri, pauló ante probauimus. Constat enim fructuarium non habere vtile dominium fundi eo iure possesi: nam vsusfructus est ius alienis rebus vtendi, fruendi, &c.l.1. de Vsufr.§.1. Institu. Eod. vbi Glos. ideò interpretatur ius.i. seruitus. ergo dominium non habet in re. nemini enim sua res seruit, l. vti frui. Si vsusfr. pet. & hoc est apertissimum ex illis verbis in definitione. *rebus alienis.* quod & antea diximus.

Feudatario itaque, emphytheotæ, & conductori ad non modicum tempus, cæterisq; quibus attribuitur vtile dominium, omnia incrementa alluuionum, aluei, & insularum acquiri, certo profiteri possumus; eo tamen iure acquirentur, quo prædia, quibus incrementa accesserint, ad eos spectabunt. vt suo iure, & contractibus ea de re resolutis, & incrementa cum prædijs ad eundem dominum perueniant.

6 ¶Superest, vt videamus de simplici cõductore, qui nec † possidet quidẽ ciuiliter, aut naturaliter nisi nomine alieno. l.nõ sol ũ.§.quod vulgò. & ibi annot. de Vsucap. l.qui vniuersas. §. quod per colonũ. cũ l.seq.

de Acquir. poss. Paucis agam. censeo distinguendum inter latentes, & separatas accessiones, vt alias in fructuario. l. item si fundi. §. huic vinus. de Vsufr. & iure locati lates † saltem incrementũ ad conductorem pertinere. Nam quod per alluuionem accedit, simile fit ei, cui accesserit, & eadem actione petitur. vt euidenter colligitur ex l. si ego §. idem ait. vbi Glos. etiam de Public. in rem action. consequens est ideo, incrementum alluuionis conductoris fieri, & iure locati & eius contractus actione posse peti. Addas praeterea; quoniam pignus alluuione augeri certum est, l. si conuenerit. §. si nuda. de Pignorat. actione, l. si fundus. in prin. de Pignoribus; creditor † tamen non minus possidet debitoris nomine, quòd attinet ad effectum dominij, & fructuum acquirendorum, quàm conductor ipse. l. sciendum. §. si possessor. vbi Glos. & Doct. Qui satisda. cogan. l. 1. §. per seruum corporaliter. vbi Alex. Ias. & caet. de Acquir. possess. fundum itaque conductitium ab alluuione incrementum pariter accipere, quid prohibet, ne dicamus? Et hoc semel Accursio placuisse, omnia lustranti tandem occurrit in l. legem. in dictione. *reposci*. C. Locati. Et licèt ob nimiam breuitatẽ vix inde hoc colligi posse videatur: si paulò tamen attentius, diligentiusq; quis enitatur, hoc illi manifestum patebit. Legem quidem conductionis seruari oportet, inquiunt ibi Velerianus, & Galienus Caesares, nec pensionum nomine amplius, quàm conuenit, reposci: *hoc in priuatis locationibus, aliàs secus*, inquit ibi Glos. *vt in l. 2. C. de Alluuion.* vbi si tributaria praedia alluuione augeri contigerit, & tributorum onus augeri decernitur. Ergo si fundus conductus per alluuionem augeatur, pensionem non augeri sensit Glos. proinde ad conductorem huiuscemodi incrementum pertinere, praesupponit. aliàs frustatorium fuisset, ibi distinguere, Et Glos. illam iuxta nostram hanc interpretationem & intelligunt, & probant Cynus in ipsa l. legem. ac Ang. & Salyc. Item Bald. in l. licèt. in prin. C. Locati. Sic Io. And. in addit. ad Specul. de Locato. §. fin. ad. q. 136. Vtrum autem augeatur pensio propter augmentum alluuionis, disceptationem suo loco reseruamus. Illud in praesens nobis sufficiat constare, incrementum latens ad conductorem pertinere. quod & verum est. & neminem sanè hoc in dubium reuocasse legimus.

7

8

1

ARGVMENTVM.

¶ De incrementis fluuiaticis præbendæ additis.

SVMMAE.

1 *Limitatus ager non dicitur, licèt ad mensuram traditus fuerit.*
2 *Incrementum alluuionis adiectum vel præbendis, vel prædijs mensæ communis est vel Canonicorum, vel Capituli respectiuè.*
3 *Incrementum separatum ad Capitulum indistinctè pertinet, siue præbendali, siue mensæ communis prædio accesserit.*
4 *Præbendarius, Canonicusùe fructuario æquiparatur. quinimmo vsuario comparatur. nu. 5.*
6 *Emptum à clerico de fructibus ecclesiasticis, ab ecclesia vendicari potest.*

CAPVT XV.

POSTREMÒ videamus de incrementis, quæ præbendis accedere contingerit, quæ cuius sint. Bald. in c. cum M. Ferrariensis. nu. 24. de Constitut. hinc inde argumentatur. Hinc obstat, ne videatur accessionem alluuialem præbendæ acquiri debere: quoniam taxata est, & ideo sortitur naturam agrorum Limitatorum, l. in agris. de Acq. rer. dom. quod reperit Bald. in fine eiusdē. c. cum M. Sed inde & ex aduerso facit l. Iulianus. §. si Titius. de Action. empt. vbi prædio ad mensuram vendito accedit alluuio. & rectè sanè obijcitur. nam nō ideo, 1 quòd prædium ad mensuram tradatur; sortitur iccircò naturā agrorum Limitatorum. aliàs incassum ferè tot leges de iure alluuionū nobis datæ forent. Baldus itaque rem hanc ita determinat. *Considerandum,* inquit, *est quod in c. cum M. superexcrescentia non accedunt præbendis formatis, sed formandis: & ideò in quæstione proposita videtur, quòd magna alluuio pertineat ad Capitulum, modica ad præbendam: quia de modicis non curamus.* Hucusque Bal. cuius sensus esse videtur, vt ob c. cum M. incrementa alluuionum non præbendis, sed Capitulo, & mensæ communi quærantur. Quod Glos. etiam placuisse videtur in eo. c. cum M. in verbo *industriam.* in fi. vt qualitercunque augeantur redditus præbendarum casùue, vel industria: augmentum non cedat præbendis iam formatis, sed Capitulo pro nouis formandis. ita enim scribit ibi Glos. *Nec distinguitur hic, qualiter redditus augmententur. nec refert, ex quo augmentati sunt, vndecunque processerint: vt infra. de Verbor. signifi. c. fin.* Hæc Glos. In eo textu autem c. fin. in fine, hæc verba leguntur. *In vtilitatem eiusdem ecclesiæ conuertentes augmen-*

mentum suorum redditum, donec duxerimus aliter disponendum. Vbi Glos. etiam fin. iccircò generaliter, & indistinctè intelligit, vndecunque augmentum contingat. Vt iam constet eos voluisse incrementa quoque fluuiatica non præbendis, sed ecclesiæ. i. capitulo acquiri. sic alibi exponitur in c. cum clerici. de Verbor. signifi.

¶ Franciscus autem Ripa in eodem c. cum M. nu. 188. rectius equidem sensit, & propius veritatem accessit. licèt nec ipse metam perfectè attigerit. Distinguit enim in specie illius c. ex auctoritate Hostien. aut † alluuionis augmentum accessit præbēdis proprijs vniuscuiusque Canonici; & tum illorum fit, nec in partem vocantur noui Canonici: nemo enim ad societatem cogendus est, vt in simili Glos. inquit in eo c. cum M. arg. l. si non sortem. §. si centum. de Condict. indeb. l. qui admittitur. Pro socio. Aut accessit prædijs mensæ communis; & tum quæ superius dicta sunt, sibi locum vendicant, & pro formandis nouis præbendis deseruient ea incrementa. Et ita distinguitur in incremento redditum ex industria Canonicorum prouenìente, vt, si singuli Canonici in singulis præbendis per industriam vberiores fructus consequuntur, cuiusque eorum sint: ne doleant diligentes, operam suam, contra l. fin. C. de Alluuion. Quòd si redditus mensæ communis aucti fuerint; tum omne commodum, & incrementum pertinet ad capitulum, vndecūque prouehiat, siue per industriam Canonicorum, vel casu, vt vi fluminum. Et hoc est, quod statuitur in illo c. cum M. vbi de redditu mensæ communis super excrescente agitur, non præbendarum. & ita intellexit Bald. illic nu. 27. sic distinguit Abb. in c. fin. in fin. de Verbor. signifi. sic intelligit ibi Ripa. nu. 184.

¶ Placet hæc Ripæ distinctio, si de incremento alluuionis agitur; vt tum, quod adiectum fuerit præbendæ, præbendarij illius sit: quod prædijs mensę communis, ad capitulum pertineat. Quòd si foret incrementum † separatum: ad Capitulum indistinctè spectare censeo, siue præbendali, siue mensæ communis prædio accesserit. Illud mouet. quoniam † præbendarius, canonicusùe fructuario æquiparatur. vt an not. Glos. 2. in c. fin. de Pecul. cleric. neq; enim proprietatem habet secūdùm Glos. in c. 3. de Probat. vbi Innoc. & Abb. per tex. in c. res. cum c. seq. 12. q. 1. Vnde corū iura morte extinguuntur. de vsufructu constat ex l. corruptione. C. de Vsufr. de præbēdis, & similibus habetur in c. fin. de Pignor. Quinimo & verius vsuarijs † clerici comparari solét, quibus ius est vtendi rebus ad vsum tantùm cotidianum necessarijs; quod legitur in prin. Instit. de Vsu & hab. quod ius & in clericis statutum est, quibus victus & vestitus debet satis esse, c. clericus. 12. q. 1. sic

2

3

4

5

ait Glos.illa.2.in c.fin.de Pecul.cleric. Hinc ait Io.And.in c. res ecclesiæ.12.q.1.ex bonis ecclesiæ illud solum esse clericorũ, quod probabili ratione consumpserunt.vnde Archid. (quem sequitur Ioan. de Ligna.in Clem.Gratiæ.de Rescrip.) contendit, clericum, qui vltra debitum ex bonis ecclesiasticis impendit, ad restitutionem teneri. & Ideo 6 † si quid emptum fuerit à clerico pecunia ex fructibus ecclesię redacta, ab ecclesia potest vendicari, c.sacerdos.12.q.4.& c.fixum.q.fin. sic habetur, & annot. in c. inquirendum.de Pecul. cleric.ergo non facit fructus suos clericus, nisi quos consumpsit. Et per hæc & alia plurima ita censeuit Abb.in Repet.c.cum esses.nu.21. de Testamen. & ab omnibus, vel communiter recepi testatur Ant. de But.in c.fi.nu.17.de Causa possess.& prop. Vnde dicitur canonicos in præbendis non habere legitimã administrationem, nisi in iudicio. vt inquit Innoc.in c.fin. Ne Prelati vices suas.&c.vbi Abb. nu.6.& in c.3. nu.2.de Probat.& ibidẽ Felyn. latè nu.6. Cum itaq; Præbendarius vsufructuario, vel potius vsuario æquiparetur: illi solùm acquiri censeo alluuionis incrementũ; separatum verò ad Capitulum pertinere; vt in fructuario distingui, notum est ex l. item si fundi.§.huic vicinus.de Vsufructu.

ARGVMENTVM.

¶ Eo iure, quo ad nos fundus pertinet, eodem iure incrementa acquiri, longa exemplorum serie probatur.

SVMMAE.

1 *Incrementum acquiritur iure pleni, & liberi dominij.*
2 *Et iure quasi dominij.*
3 *Incrementum fundo, qui vsucapitur, medio tempore adiectum eadem præscriptione acquiritur.*
4 *Incrementum latens non est nouus per se fundus, sed pars integralis eius, cui accesserit.*
5 *Incrementum adiectum prædio iure pleni dominij ad nos spectanti, restitutioni tamen supposito, ipsum quoque restitutionem patitur.*
6 *Vti si dotali prædio adijciatur.*
7 *Vel bonis fideicommissis.*
8 *Vel pacto retrouendendi suppositis.*
9 *Incrementum acquiritur iure vtilis dominij.*
10 *Et ideò feudatario.*
11 *Item emphyteotæ*
12 *Et conductori ad longum tempus.*

CAPVT XVI.

NON inutile futurum existimo; cum circa species quasdam lõgius immorati superius simus, quę difficilioris cognitionis videbantur: generalem modò subijcere regulam, quæ & superiora, & reliqua ad hanc cognitionẽ spectantia quasi Epitome comprehendat, & redigat. Non enim est nouum, vt quibusdam singulatim enumeratis, generalis subijciatur regula, quæ casus omnes complectatur, l. si seruus seruum. §. inquit lex. Ad l. Aquil.

Illud itaque sit generale, eo iure, quo ad nos pertinent prædia, eodẽ & pari iure incrementum omne vel latens, vel separatum, quod illis accesserit, nobis acquiri.

Quapropter † si iure pleni, & liberi dominij fundus pertinet, eodẽ iure & incrementum, l. id quod. in prin. de Pericul. & comm. rei vend. §. cum autem. vers. sed & si post. Institut. de Empt. & vend. cum simil. 1

Si pertinet † iure quasi dominij prædium, vt puta à non domino emptum: Quod per alluuionem fundo tum accessit, simile fit ei, cui accessit, inquit Pomponius in l. si ego. §. idem ait. de Public. in rem actio. & ideo si ipse fundus Publiciana peti non potest, nec hoc poterit. si autem potest, & pars, quæ per alluuionem accessit. vt inquit Vlpianus, ex mẽte Pomponij, auctor illius legis. eodem itaque iure quasi 2

dominij spectat incrementum. Hinc eius §. auctoritate Glos. in l. qui fundum. §. si fundum. Pro emp. censuit, si fundum † pro emptore lon-
3 ga possessione vsucapiam, & per alluuionem ei pars adijciatur: eam quoque partem reliquo tempore, quod ad perficiẽdam vsucapionem deerat, pro emptore me capturum; nec oportere longam illius partis possessionem, integro statuto tempore impleri. quod & Ang. probat in eo §. si fundum. & placuit Corn. in cons. 15. nu. 6. lib. 4. Adde
4 rationem, quoniam † ager alluuius nõ est nouus per se fundus, sed pars illius, cui accessit, & pars integralis, vt inquit Baldus in eo §. idem ait. facit optimè l. si proprietari. de Iure dot. Minimè mirum sit igitur, si noua, & integra non requiritur præscriptio.

5 Si fundus † ad nos spectat iure dominij pleni quidem, sed non perpetui, imò restitutioni suppositi, quale est dominium, quod habet vir in fundo dotali inæstimato; cuius dominus est quidem ipse vir constante matrimonio, vt legitur in l. dotale. §. dotale. de Fund. dotali, in l. doce ancillam. C. de Rei vendic. & ibi annot. sed restitutioni, & reuocationi subiacet, vt inquit Bart. Alex. & Iason. & cæt. in l. diuortio. §. si fundum Solut. matrim. eodem iure, & onere incrementum fluuiaticũ obueniens censebitur, & acquiretur.

6 Si fundus igitur † dotalis alluuione auctus fuerit, & fundi & pariter incrementi vir dominus erit, neque enim est alia dos incrementum, l. 4. de Iure dot. Proinde cum de restitutione dotalis fundi tractabitur: incrementum quoque restituendum veniet. neque enim aliud est quàm dotis incrementum, vt dicitur in eadem l. 4. & placuit expressè. hoc Accurs. in l. diuortio. §. si fundum. Solut. matrimo. Et hoc est æquissimum. ait enim Vlpianus in l. plerunque. de Iure dot. *Si prædijs inæstimatis aliquid accesserit: hoc ad compendium mulieris pertinet. si aliquid decesserit: mulieris damnum est.* Hoc autem ius idem ego constituerem, etiam si fundus æstimatus datus sit; quoties tamen mulieris est electio, vtrum fundum, an æstimationem reddi malit: quoniam nihil interesse videtur, neque fundi dotalis priuilegia abolere, quòd vel liberè, vel arbitrio mulieris restitutioni subiaceat: in vtroque. n. casu legem Iuliam alienationem fundi dotalis prohibentem, locum sibi vendicare respondit Africanus in l. quod si fundus. de Fund. dot. & sancitum est in l. 1. C. Eod. Incrementum itaque prædij dotalis inæstimati, æstimatiuè, vt supra, constante matrimonio ad virum pertinere, eo verò soluto, ad mulierem redire intelligitur.

7 Hinc quoque, † quod prædio ex vi fideicommissi restituendo accesserit; siue illud latens, siue separatum incrementum sit, omne ad fidei-

com-

commissarium pertinebit, l. sæpè. de Leg. 3.

Hinc præuia † benè longa discussione, in hanc veni sententiam, omnes accessiones fluuiaticas, quæ fundo pacto retrouenditionis supposito accesserint, ante redemptionem ad emptorem pertinere, vti interim verè dominum: resoluto autem contractu, pro eodem priori pretio redimenti restituendas fore vnà cum fundo. eodem enim iure spectarent ad emptorem, quo & fundus ipse. 8

Si fundus † ad nos spectat iure vtilis dominij, eodem iure & incrementum. vnde † latens & separatum incrementum feudali prædio accedens, iure feudi ad vasallum pertinere constat ex c. 1. §. si quis de mãso. de Controu. inuest. iuxta communem intellectum, quem ex Martino Laud. ibi comprobauimus in cap. 11. huius libris. Quocirca si feudum ad dominum redire contigerit, cum incrementis quoque reuerti debere diximus ex Bero. in q. 96. Quæst. famil. 9 10

Hinc † ad emphyteotam pertinere tam latens, quàm separatum incrementum communiter recipi ex Ripa in l. si ex toto. nu. 6. de Leg. 1. & per nosmet affirmauimus. Idemq; ius, si finiatur emphyteosis, quod in feudatario, constituimus; vt cum incrementis fundus emphyteoticus ad dominum reuertatur. 11

Hinc † in conductore ad longum tempus, cæterisq;, qui vtile dominium habere dicuntur, idem ius, prout in feudatario & emphyteota, constituendum esse duximus. 12

Quod si † non dominium aliquod, sed ius tantummodo in fundo nobis competit: aucto illo per alluuionem, ius itidem nostrum augetur. Siue illud ius publicum sit, vt iurisdictionis, quod diximus in cap. 6. siue priuatum. Hinc ius † pignoris augeri constat ex l. si conuenerit. §. si nuda. de Pignor. act. & ex l. si fundum. in prin. de Pignor. Eo autem iure resoluto super fundo, extinguitur etiam super incremento: commodum enim proprietatis huius augmenti cedit debitori. Sicut aliàs generaliter quicquid commodi, siue incommodi fortuitù pignoris accessit, id ad debitorem pertinet, vt statuit Vlp. in l. si inter. §. quicquid. de Pignor. & eius. l. argumento sic in proposito decidit Glos. in ea. l. si fundum. Quod placet. nam & si thesaurum in prædio oppignerato creditor, qui ius dominij impetrarat, inuenerit intra constitutum luendi tempus, oblato fundi pretio, & thesauri portionem mediam recuperat debitor, vti dominus: reliquum enim iure inuentoris sibi retinet creditor. ita sancitum legimus in l. si is qui. §. fin. de Acq. rer. dom. 13 14

Hinc etiam iura prædiorum, quæ & seruitutes nuncupantur, l. 1. in

15 fi.de Rer.diuis.augeri constat, siue rerum † sint, vt seruitus aquæductus; quam aucto prædio seruiente per alluuioné augeri inquit Pomp. 16 in l.hoc iure.§.si aquam.de Aqua cotid. & æstiua. siue † personarum, vt vsusfructus; quem augeri per incrementum latens notum est ex decantata, & millies allegata l.item si fundi.§.huic vicinus. de Vsufr.

17 Hinc † pariter ius vtendi, & fruendi, quod solùm competit Canonicis, fructuarij argumento, per alluuionem aucta præbenda, augeri paulò ante comprobauimus.

18 Hinc, si iure præterea simplicis locationis † fundum quis possidet, eodem iure & alluuionis incrementum consequi posse diximus, ex Glos. l.legem. C.Locati, vbi Cyn. Ang. & Salyc. annotarunt.

19 Vlterius † pendente iudicio rei vendicationis, aucto interim per alluuionem actoris iure, augetur contra reum condemnatio. l. idem est. de Rei vendic.

20 Item pendente † iudicio familiæ erciscundæ, id, quod amnis fundo post litem contestatam alluit; æquè venit iu hoc iudicium, inquit Vlpianus in l.& puto.§.id quod. Famil. erciscun.

21 Indebiti † quoque soluti condictio quia naturalis est: ideò quod rei solutæ per alluuionem accessit, in condictionem venit, vt placuit Paulo in l.indebiti.in prin.de Cond. indeb.

22 Si spe † solùm debetur fundus, eodem iure & incrementum vtrunque pertinet; vti si accedat † prædio legato. l. quod in rerum. §. 2. de 23 Leg. 1 .l.sæpè.de Leg. 3. Et hoc verum est, etiam si parti alicuius fundi mihi legatæ accreuerit secundùm Imolam in l. si ex toto. in princ. de Leg. 1. & Brunum de Augment. in q. 15. limit. 5. Etiam si dictum sit, Lego fundum meum. quæ oratio ad præsens tantùm respicit. Imola in l. serui electione.§.cum fundus.nu.4. vbi Aret.de Leg. 1. & ante eos Cyn. in l.si grege. Eod. & post eos Ias. in ea l. quod in rerum. §. 2. nu. 3. ac Brun. in illa Limit. 5.

24 Hinc, quit prædium aliquod euincit, euincit etiam alluuionis incrementum. l.ex mille.§. quod si modo. de Euiction. ibi *quia alluuionis periculum non præstat venditor.* præsupponit igitur illic Papinianus alluuionem cum fundo euictam. Et hoc verum est, non modo si pendente iudicio, sed & si ante litem euictionis contestatam adiectum fuerit, vt colligitur ex illis verbis. *accesserit, ac postea pro indiuiso pars quinta totius euicta sit. &c.*

25 Hinc est, quod empti † actio, quæ datur emptori contra auctorem euicto prædio, datur etiã & augetur, si simul alluuionis incrementũ sit euictũ quod post emptioné accesserat. nam vt Paulus ait in l. filius. §

fi.de

fin. de Action. empt. empti iudicium non pretium continet tantùm, sed omne, quod interest, emptoris fundũ nõ euinci. idemq; ait in l. cui cta re. de Euictio. & hoc sentiunt Glos. Odofr. Alb. & Ang. in l. ex mil les. §. si totus. de Euiction. quibus placuit eam legem, vbi dicitur, vendi torem alluuionis euictæ periculum non præstare, intelligi per † duplæ scilicet stipulationem, non per empti actionem. & communem intellectũ dicit Brun. de Aug. q. 12. Ampl. 15. & rectè. Duplæ enim stipula tio refertur ad pretium, quod fuit venditionis tempore, vt expressum est in l. bonitatis. de Euict. vbi Glos. Ideo, quæ postea contigerint siue accessiones, siue decessiones, in hanc actionem non veniunt. l. si prægnãs. Eod. sic ait Glos. in ea l. bonitatis, vbi Odofr. & cæt. Actio verò ex empto respicit euictionis tempus, & eatenus tum competit, quatenus interest emptoris. d. l. euicta re. vbi quoque annot. 26

Quo iure igitur ad nos spectat fundus, si iure pleni, & liberi dominij, si iure quasi dominij, si dominij restitutioni subiecti, si iure vtilis dominij, si in fundo ius aliquod competit, si spe debetur: eodem iure incrementum fluuiaticum nobis acquiritur; idem ius, & eadem spes in cremento debetur, & competit.

ARGVMENTVM.

¶ Diminuto per alluuionem, seu vi fluminis prædio conductio, emphyteotico, & feudali, an pensio diminuatur.

SVMMAE.

1. *Diminuto fundo locato vi fluminis, diminuitur quoque pro rata, pensio.*
2. *Conductori ad longum tempus fit pensionis remissio ob sterilitatem.*
3. *Et ob proprietatis diminutionem ex fluminis impetu.*
4. *Emphyteotæ nulla fit remissio ob rei ex parte diminutionem, quantacunque sit, dummodo non totius rei sit.*
5. *Ratio redditur.*
6. *Dominium non recipit plus, vel minus.*
7. *Feudatario non diminuitur seruitium, feudo quantumuis diminuto à flumine, si modo eius aliqua particula superstit.*

CAPVT XVII.

NON videtur extra præsentẽ tractationem, differere cum proximè cognouerimus incrementa fluuiatilia non solùm plenè dominis acquiri, sed eis quoq;, qui vtile dominiũ, & ius in fundo habent, cui accesserint, vti feudatario, emphyteotæ, conductori

9 Præscriptio longißimi etiam temporis, iure feudorum fauorabilis habetur.
10 Reseruatio, & exceptio regulariter firmat concessionem in non reseruatis.

CAPVT XIII.

PROXIMVM, & consequens est superioribus; an quæ dicta sunt de reseruatione in re feudali iuxta sensum c. 1. §. si quis de manso. de Controuer. inuestit; eundem pariant effectum, & ille §. sibi locum vendicet in emphytotico prædio. Si enim eadem est conditio emphiteotæ, vt omne incrementum iure vtilis dominij tantùm obtineat, qualem in vasallo constituimus: cætera quoque simul obseruanda videntur. vt si dominus quid reseruarit, & possideat, ad ipsum separatum incrementum pertineat, & prout in eo §. statutum legitur. Et hanc probare sententiam ferè videtur Io. Fab. in §. præterea. Institut. de Rer. diuis. nihil certi tamen determinat. quod & de Aretino ibi potest dici.

Huc sanè faciunt, quæ Bald. in illo §. si quis de manso. nu. 3. subtili ratione differit, ad occurrendum obiectioni, quam excitarat ex l. Iulianus. §. si Titius. de Action. empt. cuius §. argum. distinguendum videbatur, aut incrementum accessit ante traditionem; & sit domini. aut post traditionem; & sit vasalli, reiecta penitus in vtroque casu distinctione eius §. si quis de manso. an aliquid reseruatum fuerit à domino, & quis possideat. Attamen illud verum, inquit Baldus, in contractibus, *ex quibus transfertur totum ius tradentis. non est ita in feudo, quia penes concedentem remanet directum dominium, quod debet aliquid operari, quia obtinet suprèmum gradum dominij, vt in c. 1. §. si verò. de Inuestit. de re alie. facta.* Hucusque Baldus. quem perperam Afflictum eo loco num. 2. intellexisse ex his patet, vt id obiter dicam. Dominium igitur directum, quod apud concedentem remanet, efficit; ne post traditionem, incrementa vasallo acquirantur, nisi cum distinctione §. si quis de manso. Quæ ratio, si vera est, (nec enim penitus illi consentio) & in emphyteota locum sibi vendicare, nemo est, qui non videat.

Rursus, si propter qualemcunq; reseruationem, ideo incremẽtum ad dominij pertinet, quoniam quod non concessit, videtur ipse sibi retinuisse, vt ait ibi Glos. & cęt. omnes: hæc vtique ratio in emphyteotica concessione potest considerari. Quapropter ius idem statuendum videtur. Cùm enim hoc nec iuri communi, nec rationi repugnet; à feudo ad emphyteosim absolutè arguere in tota specie hac, nihil est, quod prohibeat, iuxta regulam in superiori capite constitutã.

¶ Neminem præter Præpos. in §.si quis de manso. nu. 6. de re hac agentem legi, vbi contrariam, paucis tamen sentire, & asserere videtur. *In hoc* inquit ille, *feuda habent naturam separatam à contractu emphyteotico, vt patet per præmissa*: præter hæc verba nihil amplius de hac re apud illum. Præmissa porrò fuerunt longa distinctio de quouis incrementorum genere, quæ vel industria vasalli, vel casu, vt fluminum vi, ipsa prædia feudalia accipere consueuerunt; quando & vasalli, & quando domini debeant esse. nihil præterea in specie nostra apud illum legitur.

¶ Nostra † hæc est sententia, vt consentiam Præposito, diuersam, aliamque feudorum esse naturam in hoc genere à conditione rei emphyteoticæ, vt nullatenus distinctio eius §.si quis de manso. in emphyteotica concessione sit obseruanda: His autem impellimur argumentis. Quoniam quæ de possessione annali dicta sunt in eo §.quam † feudali iure constat longam censeri, vt in c.1.§.si quis. Si de Inuestit. inter dom.& vasall.lis oriat.coniuncto c.1.§.fin.de Consuet.recti feudi, vbi Bald.annotauit:& quæ minor anno integro fuerit, eam non longam, aut veterem, sed nouam appellari: quod & in cap.11.§.1.paulo ante diximus: hæc inquam de possessione obseruatio in iure nostro ciuili admitti non potest: quod & Bal.fatetur in c.1.in princ.nu.6.vbi inquit illud esse proprium ius feudorum sub Tit.de Controu.inuest.& rectè: longa † enim possessio dicitur, quæ decennalis fuerit, & longum tempus non minori temporis, quàm decem anniorum curriculo concluditur; vt frequētiore calculo receptum testatur nobis Bar. in l.1.§.quod autem ait.de Superfic.necnon Alex.in cons. 17.vbi latè nu.2.3.& 4.lib.4. Item Dec. in cons.204.in princ.& hoc notum est lippis, & tonsoribus, vt aiunt.

Diuersam iterum conditionem concessionis feudalis ab emphyteutica ex alio agnoscere licet. nam si vasallus incrementum possederit, iusiurandum tamen necessarium subire cogitur, quòd fuerit in inuestitus: si fortè præcesserit qualiscunque domini reseruatio, vt ex vltimo vers. *si verò fidelis.* eius §.si quis de manso. perlegenti superiora nostra facilè constabit. Hoc † iuramentum vicem obtinet iuramenti purgationis, vt ait Isern.in in c.1.nu.4.de Consuet.recti feudi. quale est illud, quod præstatur in l.præsenti.§.sanè.C.de His, qui ad eccles. confug. & in multis casibus ibi annot. Ex quo enim dominus habet præsumptionem pro se ex reseruatione; ideò defertur sacramentum possessori, ad purgandam suam innocentiam, quòd indebitè incrementum non detineat, vt ait Aluarott. in simili in eo c.1.§. sacramentum.

1 2 3 3 4

tum.nu.1.declarando illa verba. *aut possidenti dabitur sacramentum.*

5 Sed hoc est ius † singulare in feudis, vt actore nihil probante, reo autem & vasallo possidente, reus ipse iuret cōtra.l.qui accusare.C.de Rei uendic.& c.fin.de Iureiuran.cum vulg.Ita distinguit ex auctoritate Ia. de Belui.Martinus Lauden.in c.1.in prin.nu.15. de Contro. inuestit. vbi Præpo.nu.5.de verbo referens more suo.& Afflict.nu.23.& placet Iasoni in Repet. l.admonendi.nu.73.de Iureiuran.

6 Item iusiurandum, † purgationis in iure nostro nunquam defertur, nisi lex expresse iubeat; sic ait Glos.in ea l.admonendi.in verbo.*exacto*.similis vsque quaque Glos.in l.in bonæ fidei.C.de Reb.cred. quibus in locis,& in eo §.sane. quam plures loci citantur, vbi tale iusiurandum deferendum statuitur,& plerunque si de delicto agitur. de hoc sacramento Ang.etiam in cons.197.in prin.

7 Rursus in alio ius singulare esse agnoscitur, nec in consequentiam trahendum: nam † possessio cum iureiurando vasalli intentionem domini ex reseruatione fundatam adeo perimit,vt inde concessio incrementi probata censeatur. Iure autem nostro, vt ait Bald. in illo §.si 8 quis de manso.nu.5. ex possessione † non surgit probatio concessionis,nec acquisitionis dominij principaliter deducti.l.non hoc.C.Vnde legitimi. Latè Bart.in l.quidam in suo.de Condit.instit.latius Ant. de Butr. in c. cum ad sedem. nu. 27. vbi Abb. nu. 20. de Restit. spol. Etiam si cum possessione cōcurrat fama publica pro dominio. Innoc. in c.illud.in fi.de Præsumpt.quia probare debet (inquit ille) legitimum titulum, atque dominium.l.in rem actio. de Rei vendic. Abb. in eo c. ad sedem.nu. 20. vbi præter Innoc. allegat etiam Rotæ Decis. 336. aliàs.430. Ergo nec ex possessione cum sacramento probabitur dominium. Singulare igitur in hoc est ius feudale, vt præsumat pro possessore. Vnde ob id Bald. in eo §. si quis. præscriptionem † longissimi 9 etiam temporis, fauorabilem eo iure censet;quia gratia vtriusque & domini,& vasalli subinfertur, arg.l.statuliberos.§.stichus annua de Statu lib.Licèt nostro iure secus sit, Glos. in l.fin. C. de Edicto Diui Adria. tollen.quod & Præpositus probat in prin. eius §. si quis de manso. & Affl.nu.40. itemq; Iason in l.3.§.Labeo.in fi.de Acquir. possess.

Postremò, licèt feudali iure reseruatio in hoc prosit domino, vt quod non concessit expresse, videatur reseruasse; & ideo incrementa quæ possidet,illius esse censentur:item vasallus tum alienare prohibetur, quod aliàs liceret,vt in c.1.§.fin.vbi Glos.in fi.& cæt.de Controu. 10 inuestit. Regulariter † tamen iure nostro reseruatio, & exceptio firmat regulam in nō reseruatis,§.vt vero.Aut.de Non alien. &c. & con-

cesso

cesso principali, accessoria etiam concessa intelliguntur. l. si vt certo. §. vsque. Commod. cum vulgaribus.

ARGVMENTVM.

¶De incrementis adiectis prædio locato in longum, modicùmue tempus.

SVMMAE.

1 *Conductor ad longum tempus ius habet in re instar fructuarij, ideo illi incrementum latens acquiritur.*

2 *Conductor ad longum tempus naturaliter sibi, non domino possidet.*

3 *Conductor hic, vtile dominium consequitur, sicut emphyteota.*

4 *Conductor ad lõgum tempus à re locata expelli non potest, nisi per triennium cessauerit in solutione.*

5 *Incrementum non solùm latens, sed etiam separatum conductori ad longum tempus acquiritur.*

6 *Conductor simplex non possidet, nisi alieno nomine.*

7 *Incrementum tantummodo latens acquiritur simplici conductori.*

8 *Creditor, quod ad effectum dominij attinet, & fructuum, debitoris nomine possidet.*

CAPVT XIIII.

QVID de conductoribus dicendum est? illis ne acquiruntur incrementa hæc fluuiatilia? Neminem de re hac differentem legi. distinguendum censeo, vti duo sunt incrementorum genera, inter duas pariter conductionum species, inter conductioné scilicet ad longum tempus, & simplicem.

Conductorem † itaque ad longum tempus in decennium videlicet, vt ait Bar. de communi antiquorum sententia in l. 1. §. quod autem ait. de Superficieb. vt testatur pariter Alex. in cons. 17. à nu. 1. vsq; ad 4. lib. 4. certum, & exploratum est, habere ius in re, per illum §. quod autem. vers. & sane. ibi *in rem actio competit.* instar fructuarij, vt annotauit Glos. in l. vnde etiam. §. vti videmur. in verbo *per fructuarium.* de Itin. actuq; priu. & ex eius auctoritate Bald. in l. si filiofam. §. si vir in in quinquennium. nu. 1. Solut. matrim. Latens ergo incrementum conductori huic ad non modicum tempus acquiri debere, statuendum est, veluti atque fructuario. l. item si fundi. §. huic vicinus. de Vsufr. Quod ex alio suadetur. hunc. n. conductorem † constat naturaliter sibi, non domino possidere, vt inquit Glos. in l. si vt certo. §. si duobus. Commod. & in l. si quis ante. de Acquir. possess. Ias.

in l. 3. §. ex contrario. nu. 48. & in l. naturaliter. nu. 15. de Acq. possess. Sed qui possidet fundum, cui accedit alluuio, eodem tempore absque noua apprehensione incrementum etiam possidet, vt diximus in cap. 8. huius libri: ergo ei acquiri, non est absurdum dicere.

3 Rursus † vtile dominium etiam transfertur in huiuscemodi conductorem ad longum tempus, ceu in emphiteotam, ac feudatarium, superficiarium, & similes, vt placuit Baldo in Rub. C. de Iure emphyteotico. quod probat & Iason in l. 3. §. ex cōtrario. nu. 48. de Acq. posses. arg. l. 1. & seq. Si ager vectig. & emphyteot. pet. Quapropter Imola in c. ad audientiam. nu. 2. de Reb. eccles. non alien. communiter reprobari profitetur Glos. fin. in l. codicillis. §. instituto. de Leg. 2. quę censuit, alienare prohibitum, etiam si in centum locet annos, mandatis non cotrauenire. Adeo autem similis est conditio emphyteotæ, & conductoris ad longum tempus, vt hic non † possit expelli à re locata, nisi per triennium à solutione pēsionum cessarit; sicuti nec ipse emphyteota, vt inquit Ang. in §. scire autē. in Auten. de Non alienan. &c. Iason in l. 2. nū. 39. C. de Iure emphyt. Ratio est, quia vterque habet vtile dominium rei, & veram possessionem naturalem, vt ait Bald. in c. querelam. in fi. de Iureiuran. & in l. ædem. nu. 9. C. Locati. & hoc placuit Raphaeli Fulgos. in Aut. qui rem. C. de Sacrosan. ecclesijs. Cum igitur potentius ius habeat conductor hic, quàm fructuarius; iure ac merito non solùm † latens, sed separatum quoque incrementum ad eum debet pertinere. qua ratione potissimùm & vasallo & emphyteotæ illud acquiri, paulò ante probauimus. Constat enim fructuarium non habere vtile dominium fundi eo iure possesi: nam vsusfructus est ius alienis rebus vtendi, fruendi, &c. l. 1. de Vsufr. §. 1. Institu. Eod. vbi Glos. ideo interpretatur ius. i. seruitus. ergo dominium non habet in re. nemini enim sua res seruit, l. vti frui. Si vsusfr. pet. & hoc est apertissimum ex illis verbis in definitione. *rebus alienis.* quod & antea diximus.

Feudatario itaque, emphytheotæ, & conductori ad non modicum tempus, cæterisq; quibus attribuitur vtile dominium, omnia incrementa alluuionum, aluei, & insularum acquiri, certo profiteri possumus; eo tamen iure acquirentur, quo prædia, quibus incrementa accesserint, ad eos spectabunt. vt suo iure, & contractibus ea de re resolutis, & incrementa cum prædijs ad eundem dominum per ueniant.

6 ¶ Superest, vt videamus de simplici cōductore, qui nec possidet quidē ciuiliter, aut naturaliter nisi nomine alieno. l. nō sol ū. §. quod vulgo. & ibi annot. de Vsucap. l. qui vniuersas. §. quod per c olonū. cū. l. seq.

de Acquir. poss. Paucis agam. censeo distinguendum inter latentes, & separatas accessiones, vt aliàs in fructuario. l. item si fundi. §. huic vinus. de Vsufr. & iure locati latẽs † saltem incrementũ ad conductorem pertinere. Nam quod per alluuionem accedit, simile fit ei, cui accessērit, & eadem actione petitur. vt euidenter colligitur ex l. si ego §. idem ait. vbi Glos. etiam de Public. in rem action. consequens est ideo, incrementum alluuionis conductoris fieri, & iure locati & eius contractus actione posse peti. Addas præterea; quoniam pignus alluuione augeri certum est, l. si conuenerit. §. si nuda. de Pignorat. actione, l. si fundus. in prin. de Pignoribus; creditor † tamen non minus possidet debitoris nomine, quòd attinet ad effectum dominij, & fructuum acquirendorum, quàm coductor ipse. l. sciendum. §. si possessor. vbi Glos. & Doct. Qui satisda. cogan. l. 1. §. per seruum corporaliter. vbi Alex. Ias. & cæt. de Acquir. posses. fundum itaque conductitium ab alluuione incrementum pariter accipere, quid prohibet, ne dicamus? Et hoc semel Accursio placuisse, omnia lustranti tandem occurrit in l. legem. in dictione. *reposci.* C. Locati. Et licèt ob nimiam breuitatē vix inde hoc colligi posse videatur: si paulò tamen attentius, diligentiusq; quis enitatur, hoc illi manifestum patebit. Legem quidem conductionis seruari oportet, inquiunt ibi Velerianus, & Galienus Cæsares; nec pensionum nomine amplius, quàm conuenit, reposci. *hoc in priuatis locationibus, aliàs secus*, inquit ibi Glos. *vt in l. 2. C. de Alluuion.* vbi si tributaria prædia alluuione augeri contigerit, & tributorum onus augeri decernitur. Ergo si fundus conductus per alluuionem augeatur, pensionem non augeri sensit Glos. proinde ad conductorem huiuscemodi incrementum pertinere, præsupponit. aliàs frustatorium fuisset, ibi distinguere. Et Glos. illam iuxta nostram hanc interpretationem & intelligunt, & probant Cynus in ipsa l. legem. ac Ang. & Salyc. Item Bald. in l. licèt. in prin. C. Locati. Sic Io. And. in addit. ad Specul. de Locato. §. fin. ad. q. 136. Vtrum autem augeatur pensio propter augmentum alluuionis, disceptationem suo loco reseruamus. Illud in præsenis nobis sufficiat constare, incrementum latens ad conductorem pertinere. quod & verum est. & neminem sanè hoc in dubium reuocasse legimus.

7

8

1

ARGVMENTVM.

¶ De incrementis fluuiaticis præbendæ additis.

SVMMAE.

1 Limitatus ager non dicitur, licet ad mensuram traditus fuerit.
2 Incrementum alluuionis adiectum vel præbendis, vel prædijs mensæ communis est vel Canonicorum, vel Capituli respectiuè.
3 Incrementum separatum ad Capitulum indistinctè pertinet, siue præbendali, siue mensæ communis prædio accesserit.
4 Præbendarius, Canonicusue fructuario æquiparatur, quinimmo usuario comparatur. nu. 5.
6 Emptum à clerico de fructibus ecclesiasticis, ab ecclesia vendicari potest.

CAPVT XV.

POSTREMÒ videamus de incrementis, quæ præbendis accedere contingerit, quæ cuius sint. Bald. in c. cum M. Ferrariensis. nu. 24. de Constitut. hinc inde argumentatur. Hinc obstat, ne videatur accessionem alluuialem præbendæ acquiri debere: quoniam taxata est, & ideo sortitur naturam agrorum Limitatorum, l. in agris. de Acq. rer. dom. quod repetit Bald. in fine eiusdē. c. cum M. Sed inde & ex aduerso facit l. Iulianus. §. si Titius. de Action. empt. vbi prædio ad mensuram vendito accedit alluuio. & rectè sanè obijcitur. nam nō 1 ideo, † quòd prædium ad mensuram tradatur; sortitur iccircò naturā agrorum Limitatorum. aliàs incassum ferè tot leges de iure alluuionū nobis datæ forent. Baldus itaque rem hanc ita determinat. *Considerandum,* inquit, *est quod in c. cum M. superexcrescentia non accedunt præbendis formatis, sed formandis: & ideò in quæstione proposita videtur, quòd magna alluuio pertineat ad Capitulum, modica ad præbendam: quia de modicis non curamus.* Hucusque Bal. cuius sensus esse videtur, vt ob c. cum M. incrementa alluuionum non præbendis, sed Capitulo, & mensæ communi quærantur. Quod Glos. etiam placuisse videtur in eo. c. cum M. in verbo *industriam.* in fi. vt qualitercunque augeantur redditus præbendarum casuue, vel industria: augmentum non cedat præbendis iam formatis, sed Capitulo pro nouis formandis. ita enim scribit ibi Glos. *Nec distinguitur hic, qualiter redditus augmententur. nec refert, ex quo augmentati sunt, vndecunque processerint: vt infra. de Verbor. signifi. c. fin.* Hæc Glos. In eo textu autem c. fin. in fine, hæc verba leguntur. *In vtilitatem eiusdem ecclesiæ conuertentes au-*

gmen-

mentum suorum redditũum, donec duxerimus aliter disponendum. Vbi Glos. etiam fin. iccircò generaliter, & indistinctè intelligit, vndecunque augmentum contingat. Vt iam constet eos voluisse incrementa quoque fluuiatica non præbendis, sed ecclesiæ.i.capitulo acquiri. sic alibi exponitur in c.cum clerici. de Verbor. signifi.

¶ Franciscus autem Ripa in eodem c. cum M. nu. 188. rectius equidem sensit, & propius veritatem accessit. licèt nec ipse metam perfectè attigerit. Distinguit enim in specie illius c. ex auctoritate Hostien. aut † alluuionis augmentum accessit præbẽdis proprijs vniuscuiusque Canonici; & tum illorum fit, nec in partem vocantur noui Canonici: nemo enim ad societatem cogendus est, vt in simili Glos. inquit in eo c.cum M. arg. l. si non sortem. §. si centum. de Condict. indeb. l. qui admittitur. Pro socio. Aut accessit prædijs mensæ communis; & tum quæ superius dicta sunt, sibi locum vendicant, & pro formandis nouis præbendis deseruient ea incrementa. Et ita distinguitur in incremento redditũum ex industria Canonicorum proueniente. vt, si singuli Canonici in singulis præbendis per industriam vberiores fructus consequuntur, cuiusque eorum sint: ne doleant diligentes, operam suam, contra l. fin. C. de Alluuion. Quòd si redditus mensæ communis aucti fuerint; tum omne commodum, & incrementum pertinet ad capitulum, vndecũque proueniat, siue per industriam Canonicorum, vel casu, vt vi fluminum. Et hoc est, quod statuitur in illo c. cum M. vbi de reddituu mensæ communis super excrescente agitur, non præbendarum. & ita intellexit Bald. illic nu. 27. sic distinguit Abb. in c. fin. in fin. de Verbor. signifi. sic intelligit ibi Ripa. nu. 184.

¶ Placet hæc Ripæ distinctio, si de incremento alluuionis agitur; vt tum, quod adiectum fuerit præbendæ, præbendarij illius sit: quod prædijs mensę communis, ad capitulum pertineat. Quòd si foret incrementum † separatum: ad Capitulum indistinctè spectare censeo, siue præbendali, siue mensæ communis prædio accesserit. Illud mouet. quoniam † præbendarius, canonicusùe fructuario æquiparatur. vt an not. Glos. 2. in c. fin. de Pecul. cleric. neq; enim proprietatem habet secũdùm Glos. in c. 3. de Probat. vbi Innoc. & Abb. per tex. in c. res. cum c. seq. 12. q. 1. Vnde eorũ iura morte extinguuntur. de vsufructu constat ex l. corruptione. C. de Vsufr. de præbẽdis, & similibus habetur in c. fin. de Pignor. Quinimo & verius vsuarijs † clerici comparari solẽt, quibus ius est vtendi rebus ad vsum tantùm cotidianum necessarijs; quod legitur in prin. Instit. de Vsu & hab. quod ius & in clericis statutum est, quibus victus & vestitus debet satis esse, c. clericus. 12. q. 1: sic

2

3

4

5

ait Glos.illa.2.in c.fin.de Pecul.cleric. Hinc ait Io.And.in c. res ecclesiæ.12.q.1.ex bonis ecclesiæ illud solum esse clericorũ, quod probabili ratione consumpserunt.vnde Archid. (quem sequitur Ioan. de Ligna.in Clem.Gratiæ.de Rescrip.) contendit,clericum, qui vltra debitum ex bonis ecclesiasticis impendit, ad restitutionem teneri. & Ideo

6 † si quid emptum fuerit à clerico pecunia ex fructibus ecclesię redacta, ab ecclesia potest vendicari,c.sacerdos.12.q.4.& c.fixum.q.fin. sic habetur,& annot. in c. inquirendum.de Pecul. cleric.ergo non facit fructus suos clericus, nisi quos consumpsit. Et per hæc & alia plurima ita censeuit Abb.in Repet.c.cum esses.nu.21. de Testamen. & ab omnibus,vel communiter recepi testatur Ant. de Bur.in c.fi.nu.17.de Causa possess.& prop. Vnde dicitur canonicos in præbendis non habere legitimã administrationem, nisi in iudicio. vt inquit Innoc.in c.fin. Ne Pręlati vices suas.&c.vbi Abb. nu.6.& in c.3, nu.2.de Probat.& ibidẽ Felyn. latè nu.6. Cum itaq; Præbendarius vsufructuario, vel potius vsuario æquipareturæ illi solum acquiri censeo alluuionis incrementũ; separatum verò ad Capitulum pertinere; vt in fructuario distingui, notum est ex l. item si fundi.§.huic vicinus.de Vsufructu.

ARGVMENTVM.

¶ Eo iurę, quo ad nos fundus pertinet,eodem iure incrementa acquiri, longa exemplorum serie probatur.

SVMMAE.

1 *Incrementum acquiritur iure pleni, & liberi dominij.*
2 *Et iure quasi dominij.*
3 *Incrementum fundo,qui vsucapitur, medio tempore adiectum eadem præscriptione acquiritur.*
4 *Incrementum latens non est nouus per se fundus, sed pars integralis eius, cui accesserit.*
5 *Incrementum adiectum prædio iure pleni dominij ad nos spectanti, restitutioni tamen suppositio, ipsum quoque restitututionem patitur.*
6 *Vt si dotali prædio adijciatur.*
7 *Vel bonis fideicommissis.*
8 *Vel pacto retrouendendi suppositis.*
9 *Incrementum acquiritur iure vtilis dominij.*
10 *Et ideò feudatario.*
11 *Item emphyteotæ*
12 *Et conductori ad longum tempus.*

13 *Incrementum adiectum fundo, in quo non dominium, sed ius aliquod tantummodo competat, eo iure ad nos pertinet, & illud ius augetur. Siue ius publicum sit, siue priuatum.*
14 *Hinc ius pignoris augetur.*
15 *Et seruitus realis.*
16 *Et seruitus personalis.*
17 *Et ius vtendi Præbendario competens.*
18 *Et vtilitas conductori competens in fundo locato.*
19 *Et iudicium rei vendicationis.*
20 *Et iudicium familiæ herciscundæ.*
21 *Et condictio indebiti soluti.*
22 *Incrementum accedens fundo spe mihi debito, spe quoque illud debetur.*
23 *Vnde aucto prædio legato, incrementum legatario debetur.*
24 *Euincens fundum euincit etiam incrementum alluuionis, licèt ante motam litem foret adiectum.*
25 *Empti actio augetur, si prædium euictum auctum per alluuionem fuisset post venditionem.*
26 *Duplæ verò stipulatio non augetur.*

CAPVT XVI.

NON inutile futurum existimo; cum circa species quasdam lõgius immorati superius simus, quę difficilioris cognitionis videbantur: generalem modò subijcere regulam, quæ & superiora, & reliqua ad hanc cognitionẽ spectantia quasi Epitome comprehendat, & redigat. Non enim est nouum, vt quibusdam singulatim enumeratis, generalis subijciatur regula, quæ casus omnes complectatur, l. si seruus seruum. §. inquit lex. Ad l. Aquil.

Illud itaque sit generale, eo iure, quo ad nos pertinent prædia, eodẽ & pari iure incrementum omne vel latens, vel separatum, quod illis accesserit, nobis acquiri.

Quapropter † si iure pleni, & liberi dominij fundus pertinet, eodẽ iure & incrementum, l. id quod. in prin. de Pericul. & comm. rei vend. §. cum autem. vers. sed & si post. Institut. de Empt. & vend. cum simil. 1

Si pertinet † iure quasi dominij prædium, vt puta à non domino emptum: Quod per alluuionem fundo tum accessit, simile fit ei, cui accessit, inquit Pomponius in l. si ego. §. idem ait. de Public. in rem actio. & ideo si ipse fundus Publiciana peti non poteſt; nec hoc poterit. si autem poteſt, & pars, quæ per alluuionem accessit. vt inquit Vlpianus, ex mẽte Pomponij, auctor illius legis. eodem itaque iure quasi 2

dominij spectat incrementum. Hinc eius §. auctoritate Glos. in l. qui fundum. §. si fundum. Pro emp. censuit, si fundum † pro emptore longa possessione vsucapiam, & per alluuionem ei pars adijciatur: eam quoque partem reliquo tempore, quod ad perficiẽdam vsucapionem deerat, pro emptore me capturum; nec oportere longam illius partis possessionem, integro statuto tempore impleri. quod & Ang. probat in eo §. si fundum. & placuit Corn. in cons. 15. nu. 6. lib. 4. Adde rationem, quoniam † ager alluuius nõ est nouus per se fundus, sed pars illius, cui accessit, & pars integralis, vt inquit Baldus in eo §. idem ait. facit optimè l. si proprietati. de Iure dot. Minimè mirum sit igitur, si noua, & integra non requiritur præscriptio.

Si fundus † ad nos spectat iure dominij pleni quidem, sed non perpetui, imò restitutioni suppositi, quale est dominium, quod habet vir in fundo dotali inæstimato; cuius dominus est quidem ipse vir constante matrimonio, vt legitur in l. dotale. §. dotale. de Fund. dotali, in l. doce ancillam. C. de Rei vendic. & ibi annot. sed restitutioni, & reuocationi subiacet, vt inquit Bart. Alex. & Iason. & cæt. in l. diuortio. §. si fundum Solut. matrim. eodem iure, & onere incrementum fluuiaticũ obueniens censebitur, & acquiretur.

Si fundus igitur † dotalis alluuione auctus fuerit, & fundi & pariter incrementi vir dominus erit, neque enim est alia dos incrementum, l. 4. de Iure dot. Proinde cum de restitutione dotalis fundi tractabitur: incrementum quoque restituendum veniet. neque enim aliud est quàm dotis incrementum, vt dicitur in eadem l. 4. & placuit expressè. hoc Accurs. in l. diuortio. §. si fundum. Solut. matrimo. Et hoc est æquissimum. ait enim Vlpianus in l. plerunque. de Iure dot. *Si prædijs inæstimatis aliquid accesserit: hoc ad compendium mulieris pertinet. si aliquid decesserit: mulieris damnum est.* Hoc autem ius idem ego constituerem, etiam si fundus æstimatus datus sit; quoties tamen mulieris est electio, vtrum fundum, an æstimationem reddi malit: quoniam nihil interesse videtur, neque fundi dotalis priuilegia abolere, quòd vel liberè, vel arbitrio mulieris restitutioni subiaceat: in vtroque. n. casu legem Iuliam alienationem fundi dotalis prohibentem, locum sibi vendicare respondit Africanus in l. quod si fundus. de Fund. dot. & sancitum est in l. 1. C. Eod. Incrementum itaque prædij dotalis inæstimati, æstimatiuè, vt supra, constante matrimonio ad virum pertinere, eo verò soluto, ad mulierem redire intelligitur.

Hinc quoque, † quod prædio ex vi fideicommissi restituendo accesserit; siue illud latens, siue separatum incrementum sit, omne ad fidei-

com-

commissarium pertinebit, l. sæpè. de Leg. 3.

Hinc præuia † benè longa discussione, in hanc veni sententiam, omnes accessiones fluuiaticas, quæ fundo pacto retrouenditionis supposito accesserint, ante redemptionem ad emptorem pertinere, vti interim verè dominum: resoluto autem contractu, pro eodem priori pretio redimenti restituendas fore vnà cum fundo. eodem enim iure spectarent ad emptorem, quo & fundus ipse. 8

Si fundus † ad nos spectat iure vtilis dominij, eodem iure & incrementum. vnde † latens & separatum incrementum feudali prædio accedens, iure feudi ad vasallum pertinere constat ex c. 1. §. si quis de mãso. de Controu. inuest. iuxta communem intellectum, quem ex Martino Laud. ibi comprobauimus in cap. 11. huius libris. Quocirca si feudum ad dominum redire contigerit, cum incrementis quoque reuerti debere diximus ex Bero. in q. 96. Quæst. famil. 9 10

Hinc † ad emphyteotam pertinere tam latens, quàm separatum incrementum communiter recipi ex Ripa in l. si ex toto. nu. 6. de Leg. 1. & per nosmet affirmauimus. Idemq; ius, si finiatur emphyteosis, quod in feudatario, constituimus; vt cum incrementis fundus emphyteoticus ad dominum reuertatur. 11

Hinc † in conductore ad longum tempus, cæterisq;, qui vtile dominium habere dicuntur, idem ius, prout in feudatario & emphyteota, constituendum esse duximus. 12

Quod si † non dominium aliquod, sed ius tantummodo in fundo nobis competit: aucto illo per alluuionem, ius itidem nostrum augetur. Siue illud ius publicum sit, vt iurisdictionis, quod diximus in cap. 6. siue priuatum. Hinc ius † pignoris augeri constat ex l. si conuenerit. §. si nuda. de Pignor. act. & ex l. si fundum. in prin. de Pignor. Eo autem iure resoluto super fundo, extinguitur etiam super incremento: commodum enim proprietatis huius augmenti cedit debitori. Sicut aliàs generaliter quicquid commodi, siue incommodi fortuitù pignoris accessit, id ad debitorem pertinet, vt statuit Vlp. in l. si inter. §. quicquid. de Pignor. & eius. l. argumento sic in proposito decidit Glos. in ea. l. si fundum. Quod placet. nam & si thesaurum in prædio oppignerato creditor, qui ius dominij impetrarat, inuenerit intra constitutum luendi tempus, oblato fundi pretio, & thesauri portionem mediam recuperat debitor, vti dominus: reliquum enim iure inuentoris sibi retinet creditor. ita sancitum legimus in l. si is qui. §. fin. de Acq. rer. dom. 13 14

Hinc etiam iura prædiorum, quæ & seruitutes nuncupantur, l. 1. in

15 fi.de Rer.diuis.augeri constat, siue rerum † sint, vt seruitus aquæductus; quam aucto prædio seruiente per alluuioné augeri inquit Pomp.
16 in l.hoc iure.§.si aquam.de Aqua cotid. & æstiua. siue † personarum, vt vsusfructus; quem augeri per incrementum latens notum est ex decantata, & millies allegata l.item si fundi.§.huic vicinus. de Vsufr.

17 Hinc † pariter ius vtendi, & fruendi, quod solùm competit Canonicis, fructuarij argumento, per alluuionem aucta præbenda, augeri paulò ante comprobauimus.

18 Hinc, si iure præterea simplicis locationis † fundum quis posidet, eodem iure & alluuionis incrementum consequi posse diximus, ex Glos. l.legem. C.Locati, vbi Cyn. Ang. & Salyc. annotarunt.

19 Vlterius † pendente iudicio rei vendicationis, aucto interim per alluuionem actoris iure, augetur contra reum condemnatio. l. idem est. de Rei vendic.

20 Item pendente † iudicio familiæ erciscundæ, id, quod amnis fundo post litem contestatam alluit; æquè venit iu hoc iudicium, inquit Vlpianus in l.& puto.§.id quod. Famil. erciscun.

21 Indebiti † quoque soluti condictio quia naturalis est: ideò quod rei solutæ per alluuionem accessit, in condictionem venit, vt placuit Paulo in l.indebiti.in prin.de Cond. indeb.

22 Si spe † solùm debetur fundus, eodem iure & incrementum vtrunque pertinet; vti si accedat †
23 prædio legato. l. quod in rerum. §. 2. de Leg. 1. l.sæpè.de Leg. 3. Et hoc verum est, etiam si parti alicuius fundi mihi legatæ accreuerit secundùm Imolam in l. si ex toto. in princ. de Leg. 1. & Brunum de Augmen. in q. 15. limit. 5. Etiam si dictum sit, Lego fundum meum. quæ oratio ad præsens tantùm respicit. Imola in l. serui electione.§.cum fundus.nu.4.vbi Aret.de Leg. 1. & ante eos Cyn. in l.si grege. Eod. & post eos Ias. in ea l. quod in rerum. §. 2. nu. 3. ac Brun. in illa Limit. 5.

24 Hinc, quit prædium aliquod euincit, euincit etiam alluuionis incrementum. l.ex mille.§. quòd si modo. de Euiction. ibi' *quia alluuionis periculum non præstat venditor.* præsupponit igitur illic Papinianus alluuionem cum fundo euictam. Et hoc verum est, non modo si pendente iudicio, sed & si ante litem euictionis contestatam adiectum fuerit, vt colligitur ex illis verbis. *accesserit, ac postea pro indiuiso pars quinta totius euicta sit. &c.*

25 Hinc est, quod empti † actio, quæ datur emptori contra auctorem euicto prædio, datur etiã & augetur, si simul alluuionis incrementũ sit euictũ quod post emptioné accesserat. nam vt Paulus ait in l. filius. §.

fi.de

fin. de Action. empt. empti iudicium non pretium continet tantùm, ſed omne, quod intereſt, emptoris fundũ nõ euinci. idemq; ait in l. cui ꝯta re. de Euictio. & hoc ſenſerunt Gloſ. Odofr. Alb. & Ang. in l. ex mil les. §. ſi totus. de Euiction. quibus placuit eam legem, vbi dicitur, vendi torem alluuionis euictæ periculum non præſtare, intelligi per † duplæ ſcilicet ſtipulationem, non per empti actionem. & communem intellectũ dicit Brun. de Aug. q. 12. Ampl. 15. & rectè. Duplæ enim ſtipulatio refertur ad pretium, quod fuit venditionis tempore, vt expreſſum eſt in l. bonitatis. de Euict. vbi Gloſ. Ideo, quæ poſtea contigerint ſiue acceſſiones, ſiue deceſſiones, in hanc actionem non veniunt. l. ſi prægnãs. Eod. ſic ait Gloſ. in ea l. bonitatis. vbi Odofr. & cæt. Actio verò ex empto reſpicit euictionis tempus, & eatenus tum competit, quatenus intereſt emptoris. d. l. euicta re. vbi quoque annot.

26

Quo iure igitur ad nos ſpectat fundus, ſi iure pleni, & liberi dominij, ſi iure quaſi dominij, ſi dominij reſtitutioni ſubiecti, ſi iure vtilis dominij, ſi in fundo ius aliquod competit, ſi ſpe debetur: eodem iure incrementum fluuiaticum nobis acquiritur; idem ius, & eadem ſpes in cremento debetur, & competit.

ARGVMENTVM.

¶ Diminuto per alluuionem, ſeu vi fluminis prædio conductio, emphyteotico, & feudali, an penſio diminuatur.

S V M M AE.

1. *Diminuto fundo locato vi fluminis, diminuitur quoque pro rata, penſio.*
2. *Conductori ad longum tempus fit penſionis remiſsio ob ſterilitatem.*
3. *Et ob proprietatis diminutionem ex fluminis impetu.*
4. *Emphyteotæ nulla fit remiſsio ob rei ex parte diminutionem, quantacunque ſit, dummodo non totius rei ſit.*
5. *Ratio redditur.*
6. *Dominium non recipit plus, vel minus.*
7. *Feudatario non diminuitur ſeruitium, feudo quantumuis diminuto à flumine, ſi modo eius aliqua particula ſuperſit.*

CAPVT XVII.

NON videtur extra præſentẽ tractationem, diſſerere cum proximè cognouerimus incrementa fluuiatilia non ſolùm plenè dominis acquiri, ſed eis quoq;, qui vtile dominiũ, & ius in fundo habent, cui acceſſerint, vti feudatario, emphyteotæ, conductori

ad longũ tẽpus, vel & simplici cõductori: an ob id augeatur pensio, canon, & seruitiũ. & ex aduerso si per alluuionẽ, seu vim fluminũ diminutus fuerit fundus, ad eos & similes pertinens, diminuenda veniat præstatio, canon, & seruitium. De diminutione prius dicamus.

1 ¶ Initium facio à specie minus dubitabili. fundo simpliciter † locato diminuto, palàm est minuendam fore pro rata pensionem. nam in l. ex conducto. §. 1. Locati & condu. Seruius ait. *omnem vim cui resisti non potest, dominum colono præstare debere: vt puta fluminum, gracculorum sturnorum, & si quid simile acciderit.* & paulò post Vlpianus in simili putat, *Si ager terræmotu ita corruerit, vt nusquam sit, damnum domini esse. oportere enim agrum præstari conductori, vt frui possit.*

De conductore ad longum tempus idem iudicium statuo. quoniã locatio, & conductio ad longum tempus absolutè dicitur locatio, & conductio in l. fi. cum Glos. Si ager vectig. &c. c. ad audiẽtiam. de Reb. eccle. non alien. Rursus † constat, propter fructuum sterilitatem ei fieri debere mercedis remissionẽ; vt placuit Cyno in l. 1. q. 8. nu. 12. C. de Iure emphyt. Petri auctoritatem secutus. quod & Bald. censuit in ead. l. 1. nu. 24. in lect. priore, & nu. 23. in posteriore, & Salyc. nu. 12. Item probant Pet. de Ancha. & Imola in c. potuit. nu. 41. de Locato. Ang. in §. quia verò Leonis. de Nõ alien. ita respõdit Frã. Aret. in cõs. 55. Alex. in cons. 28. nu. 4. vol. 4. Soc. in cons. 88. vol. 1. Quod verum vtrique est, vt rectè etiã cẽset Ias. in l. 1. nu. 21. C. de Iure emphyt. nam hic conductor non minus pensionem fructibus correspõdentem soluit, atque ipse conductor simplex. & huc facit optimè, quod statuitur de vectigali fundo diminuto in l. si vno. in prin. Locati. Si addideris l. 1. Si ager. vectig. &c. & ea quæ in cap. seq. dicam. Si fit igitur propter fructum sterilitatem remissio conductori ad longum tempus; multò

3 † magis propter proprietatis ipsius diminutionem, pensionem ei remittendam pro rata dicere cogimur. neminem enim inficiaturum suspicor, quin maior vrgeat ratio remissionis ex rei peremptione, quàm fructuum corruptione. cum annua quæque fructuum quãtitas vicesimã proprietatis vix constituat. §. quia vero Leonis. ver. si verò. Aut. de Non alien. reb. eccles. Glos. in Aut. Perpetua. C. de Sacrosan. eccles.

4 ¶ Ex aduerso, quod ad fundum emphyteoticum pertinet: certum est † nullam emphyteotæ fieri canonis remissionem, sed integrum præstari; si nõ prorsus ipsius fundi interitum faciat alluuio, & fluminis vis. quod sancitũ legitur in l. 1. C. de Iure emphyt. & hic est sensus Imperatoris illic: quicquid aliàs Nicolaus Mattarellus sibi effinxerit; cuius ea fuit opinio, vt putarit per eam legem nõ negari, quin propter

rei

rei particularem interitum facienda esset canonis diminutio. Sed eo casu à contractu emphyteotam nō liberari. Cæterum à Cyno reprobatur in ipsa l. 1. nu. 6. & communiter non recipi ibidem asserit Baldus in posteriore lectura nu. 15. & rectè sane. Quantacunque igitur fuerit emphyteotici prædij diminutio, si modò non totius sit interitus: integrum semper canonem præstare cogendus est. Nam reprobata est etiam vno ore Mart. & Io. opinio, putantium (quoniam & in d. l. 1. & in §. adeo autem. Instit. de Locat. & condu. in hæc verba constitutionem legimus, *sin verò particulare, vel aliud leue damnum. &c.*) vsque ad dimidiam diminutionis periculum ad emphyteotam pertinere, nec vlterius præterea. partis enim appellatione in dubio de dimidia intelligimus, l. nomen filiarum. §. portio. de Verbor. signifi. vtrobique autem Accursius ex Bulgari sensu eos refellit. & rectè proculdubio: nam diligenter intuenti constat, de quacunque parte maxima vel minima Zenonem intellexisse. Ait etenim. *Sin verò particulare, vel aliud leue damnum contigerit ex quo non ipsa rei penitus lædatur substantia: hoc suis partibus emphyteuticarius non dubitet ascribendum.* Illud proponit Zeno; illud tantùm respicit; in eo semper residet per totam legem, *Si non ipsa rei penitus lædatur substantia.* hoc tātùm casu penitus liberari emphyteotam censuit; cū res penitus esse desierit. Et per hæc meliorem hanc sententiā inquit Specul. de Locato. §. fin. q. 135. nu. 161. quæ plerisq; vel etiā omnibus ferè posterioribus placuit. quos vide ad ipsam l. 1. & ad illum §. adeo autē, singulos. n. recēsere longū esset. Abbas sane in c. potuit. nu. 19. & Aug. Berous nu. 174. de Locato. verā hanc sententiā & cōem profitentur. idemq; ait Ias. in ea l. 1. nu. 77. C. de Iure emphyt.

Consueuit † autem per Doctores, & cōmuniter (vt inquit Natta in cōs. 49. nu. 23. lib. 1. & Berous in eo c. potuit. nu. 175.) ea ratio assignari, cur emphyteota non liberetur, nisi per totius rei interitum: quoniā emphyteota canonem modicum persoluit in recognitionem dominij potius directi, quod penes dominum remansit, quàm in compensationem fructuum. ideò quandiu durat substātia, durat & dominium, & semper subest causa recognitionis. quod secus est in conductore. sic ait Bar. in ea l. 1. nu. 4. & Bald. nu. 21. in priore lect. C. de Iure emphyt. Nec enim, licèt diminuatur fundus, diminuitur & dominium, † quod nec plus, nec minus recipere potest, vt ait Bald. in l. data opera. nu. 29. C. de His qui accus.

5

6

Et licèt Bartolus illud intellexerit, quando scilicet tantum ex fundo remāsit, ex quo sufficientes redditus percipere potest emphyteota, qui canonis præstationi æquiualeāt; aliàs faciendā remissionē censet: indi-

ſtinctè tamen nullam debere fieri, conſtituit Baldus in ea.l. 1. in poſte riore lectura num. 15, reprobata in hac re Bart.ſententia; quæ diuinationem ſapere videtur, nec lege probatur quinimò eſt contra generalem orationem illius l. 1. Sic reprobat Sylicet. illic num. 7. ita refellit Abb. in eo c. potuit. nu. 16. & Berous nu. 174. nam nulla foret differentia inter emphyteotam, & conductorem.

Alia porrò ratio, quæ affertur à Petro, Cyno. q. 7. Baldo in poſteriore lectura nu. 20. d.l. 1. & à Salyc. nu. 9. quoniam ſcilicet cum fundus per alluuionem penitus non perijt, ſpes eſt, vt è conuerſo per alluuionem augeatur, & hoc modo, quod fuit ablatum, reſtituatur: quòd ſi nihil ſuperfuerit, ſpes omnis tollitur: hæc, inquam, ratio explodenda eſt; tum quia non militat niſi in prædijs penes flumina poſitis; tum etiã quia nõ minus de diminutione in reliquo dubitandum eſt, quàm de augmento ſperandum. alluuionum enim vitia nota ſunt, vt in l. fin. C. de Iure emphyteotico.

7 ¶ Reliquum eſt, de feudali prædio † per alluuionem diminuto diſſerere. diſtinctionem ergo in re emphyteotica traditam & in hoc obſeruandam fore, nos admonet magna vtriuſque contractus ſimilitudo; vt inquit Specul. de Feud. nu. 63. Et palàm eſt, quod à iure feudali deciſum non eſt, ex iuris communis auctoritate ſuppleri. & ita diſtinxit in propoſito Iſern. in c. 1. §. ſi quis de manſo, nu. 18. de Contr. inueſtitut. & Afflictus eo loco nu. 24.

ARGVMENTVM.

¶ Fundo emphyteotico per alluuionem diminuto, pro quo canon fructibus reſpondens penditur, an præſtatio diminuatur.

SVMMAE.

1 *Emphyteoſis etiam ea dicitur, quando iuſta & fructibus reſpondens penſio ſoluitur.*
2 *Emphyteoſis natura ea eſt, quam partes ſuis pactionibus conſtituerunt.*
3 *Canon in dominij recognitionem præſtandus de ſubſtantia eſt emphyteoſis, & ideo nequit omitti.*
4 *Explanatio l. 1. C. de Iure emphyt. & nu. 10. & 30.*
5 *Emphyteoſis propria eſt contractus medius inter emptionem, & locationem.*
6 *Emphyteoſis ea ex titulo oneroſo haberi dicitur, cum præter canonem annuũ ab initio ſumma aliqua ſoluta eſt.*
7 *Ideo in ea locum habet actio Quanto minoris, & Redhibitoria ſubſidiaria.*
8 *Emphyteotæ non fit canonis remiſſio ob rei particularem interitum, quoniam*

hic

hic soluitur in directi dominij contestationem.

9 *Causa qua nocet, non quæ prodest, attenditur.& nu. 31.*

11 *Emphyteotæ soluenti pensionem fructibus æqualem, remissio ad ratam debet fieri diminuto per alluuionem fundo.& nu. 14. 21. 27. & 29.*

12 *Emphyteosis ecclesiastica fieri potest cum diminutione sextæ partis consueti redditus: periculum tamen omne tum ad emphyteotam pertinet.*

13 *Glos. in Auth. perpetua. C. de Sacrosan. eccl. declaratur.*

15 *Emphyteosis propria est, cũ exiguus canon penditur in recognitionẽ dominij.*

16 *Emphyteoticus contractus iudicandus est, si parua pensio præstatur, & locatio perpetua sit.*

17 *Emphyteota æqualem fructibus pensionem soluens ad publicas functiones non tenetur.*

18 *Contractus mistus ex natura illius iudicatur, in quo magis incalescit.*

19 *Emphyteota, & conductor ad longum tempus in multis conueniunt.*

20 *Emphyteotæ soluenti canonem fructibus æqualem fit remissio ob inundationem, & sterilitatem.*

22 *Vectigalis fundi conductori fit remissio ob sterilitem.*

23 *Vectigalis ager qui sit.*

24 *Emendatur. l. si finita. §. de vectigali. de Damn. infecto.*

25 *Manceps est, quisquis à populo aliquid emit, conducitve.*

26 *Emphyteoticus ager, quando iusta soluitur pensio, & Vectigalis in nullo ferè differunt.*

28 *Explanatio l. si vno. in prin. Locati.*

32 *Pensio iusta à quo tempore consideretur.*

33 *Pensionis remissio ob diminutionem fundi non prohibetur, licèt ab alia parte auctus fuerit per alluuionem fundus.*

CAPVT XVIII.

QVID? si non quid modicum, sed pensionem fructibus respondentem soluat emphyteota, vti simplex conductor; & per alluuionem fundus diminuatur: erit nec nec tum ad ratam diminuenda pensio? Vtiliorem fortè in hoc tractatu disceptationem non interseremus. ideo pleniore stilo tractanda est. cum hinc inde virorum illustrium vrgeant auctoritates. Marcus Antonius Natta iurisconsultus inter respondẽtes de iure post Alexandrum, mea sententia, primas obtinens, ex facto interrogatus sæpius respondit distinctionẽ l. 1. C. de Iure emphyt. in emphyteota soluente iustam pensionem non minus sibi locum vendicare, quàm in eo, qui modicum quid in recognitionẽ dominij directi pendit. vt nullo casu propter rei particu-

larem interitum diminuatur pensio. & præsertim in consl.49.& consl. 114. atque in consl. 194. lib. 1.

Mouetur hic in primis. quoniam lex generaliter, & indistinctè loquitur: ergo generaliter & indistinctè debet accipi, vulg.l. 1. §. generater. de Leg. præst. Præsertim cũ in iure emphyteosis † passim etiã ea appelletur, quãdo iusta pẽsio soluitur, vt legitur in Auth. perpetua. C. de Sacrosan. eccles. & in §. quia verò Leonis. Auth. de Non alienan. aut permut. vnde Auth. illa desumpta est, & in canones quoque translata sub c. Hoc ius porrectum. vers. Perpetua. 10. q. 11. Et in §. emphyteuses verò. Auth. de Alienat. & emphyt. Rursus ex alio argumentatur, ita propriè esse scilicet emphyteusim, quando soluitur magna & iusta pensio, ac tum, cum quid modicum præstatur. Quoniam emphyteosis propriam † esse naturam eam statuit Zeno, quam partes suis pactionibus constituerint. & quod pactum fuerit, hoc ita obtinere ait Iustinianus in §. adeo. Instit. de Locat. & conduct. ac si naturalis esset contractus; de propria scilicet contractus natura ea pactio iudicatur. Sicut aliàs dicimus, naturalia contractus, quæ sunt de propria contractus natura. mihi enim non probatur illic Glos. interpretatio, naturalis, idest iurisgentium. Quicquid igitur partes inuicem paciscuntur in ineundo contractu emphyteotico; id omne est emphyteosis propriè; & obseruandum est. Ideo siue de modico, siue de maximo canone persoluendo conuenit, contractus emphyteotici natura non alteratur. Plus namq; & minus non faciunt differre in specie, & appellatione, l. fin. de Fundo instr. & instrum. leg.

Sed esto etiam, vt sit de natura emphyteosis, vt quid modicum in directi dominij contestationem persoluatur: pacta tamen contra naturalia cuiusque contractus seruanda sunt; & in reliquis antiqua viget natura perinde, ac si nullum pactum intercesisset. secus foret, si contra substantialia contractus quid conuenisset. de qua re elegantem habemus Glos. in l. pacta. de Contrah. emp. & Bar. in l. vbi ita donatur. de Donat. cau. mort. Si pactum † itaq; fieret, vt nihil emphyteota præstaret in recognitionem dominij: quoniam repugnat substantiæ contractus emphyteotici; contractus, & pactum simul corruerent, arg. l. cum precario. in prin. de Precar. l. si donationes. de Contrah. emp. pactum autem, quod emphyteota expelli non possit, quantumuis longi temporis spatio cesset à solutione; quia non substantialibus, sed accidentalibus, naturalibùsve repugnat, valet, & obseruendum est. nec contractus naturam immutat in reliquis, sed alterat tantummodo. ita eruditè nobis distinxit Bart. in l. 2. num. 7. C. de

Iure emphyt. Sufficit igitur conuenire canonem esse soluendum. Quid vero, & quantum persolui debeat, ex substantia contractus esse, statutum non habemus. libero itaque arbitrio contrahentium videtur permissum. Aut ergo non alteratur natura contractus emphyteotici, etiam si iusta pensio persoluitur. Aut si in hoc alteratur, in reliquis seruandam esse censendum est, vt in vtroque casu distinctio, & constitutio l. 1. C. de Iure emphyt. debeat obseruari.

Et sanè si antiquam emphyteosis naturam inspicimus, de qua † agitur in ea l. 1. nihil obstare videtur; quin ex ea emphyteosi ad hanc, in qua pensio iusta persoluitur, legitimè possit inferri. Olim dubitatum fuisse, legitur in §. adeo. Institut. de Locat. & conduct. an emphyteuseos contractus locatio, vel venditio foret: & ideò Imperator Zeno propriam statuit naturam illius, neque ad locationem, neq; ad venditionẽ inclinantem, sed suis pactionibus fulciendam. Constitutionem habemus in l. 1. C. de Iure emphyt. Causa autem dubitationis ea fuit; quoniam in contractu emphyteotico æstimatur quanti sit fundus, nec datur integrum pretium: sed si centum fuerit æstimatus, soluuntur, puta LXX. & inde constituitur annua pensio, sed modica. Sic ait Iac. de Arena in ea l. 1. num. 2. Hinc dixit Bald. in Addit. ad Specul. de Locato. §. fi. emphyteotam esse infra emptorem, & supra simplicem conductorem. Glos. verò prima in c. potuit. de Locato. emphyteosim inquit esse † contractum medium inter venditionem, quia ab initio loco pretij certa quantitas soluitur: & locationem, quoniam postea persoluitur annua pensio in dominij directi recognitionem. Ex his itaque constat, hanc † emphyteosim, de qua locutum Zenonem palam est in illa l. 1. non minus ex causa onerosa haberi, quàm eam, in qua nullo dato pretio ab initio, pensio tantum fructibus correspondens soluitur. Quid refert enim, quod semel ab initio contractus præstitum est, si paulatim successiuis postea temporibus soluatur? Adest Bart. auctoritas in l. si mihi & Titio. num. 4. de Verbor. oblig. emphyteosim, de qua in ea l. 1. dicitur, censentis haberi ex oneroso titulo, non lucratiuo; cum vltra annuum canonem ab initio summa aliqua interuenerit. Bartolum secutus est eo loco Alex. num. 13. & Ias. nu. 11. Hinc ait Bald. in l. 2. num. 10. C. de Aedilit. edicto. actionem † Quanto minoris, & Redhibitoriam subsidiariam habere locum in contractu emphyteotico, quas in contractibus onerosis tantum dari constat ex ea l. 2. Quod annotandum summopere censet Iason in l. 1. nu. 71. C. de Iure emphyt.

4

5

6

7

Si igitur in vtroque casu emphyteosim ex oneroso titulo haberi dicitur, cur diuersitatem inducimus? si eadem ratio militat, non potest negari constitutionem d.l.1.in vtroque casu fore obseruandam.

8 Confirmatur quinto loco sententia hæc. Nam si inspicimus † rationem, cur emphyteotæ soluenti quid modicum nulla fiat remissio canonis propter particularem rei interitum, vel ob sterilitatem, cuius contrarium in conductore receptum est: eam vtique communiter tradi comperiemus & in ipsa l.1.C.de Iure emphyteot. & in c. potuit. de Locato. Quoniam emphyteota soluit in recognitionem dominij directi, conductor autem soluit in compensationem fructuum. Quis porrò dubitat, quin eadem recognitionis causa militet, siue modica, siue iusta pensio ab emphyteota persoluatur; vt in vtroque casu censeatur pendi in dominij recognitioné? Nonne illud certú est, quod licèt aliàs quilibet pro altero possit soluere sine mandato, adeo vt creditorem ad accipiendum teneri, & debitorem inde liberari, verissimum sit secundum Glos.in l.obsignatione.C.de Solution. canonem tamen recipere ab alio dominum non cogi, quàm ab ipso emphyteota, indistinctè inquit Bald.in l. acceptam.q.25.C.de Vsur.propter contestandam directi dominij recognitionem. Præcipue igitur canonem persolui intelligitur ad recognitionem, non ad fructuum recompensationem. quæ ratio militat in vtroque casu, & in vtroque emphyteota. Et ita in emphyteosi ecclesiastica Canonem solui in dominij, recognitionem, censet Angel. in §.quia vero Leonis.nu.22. Aut. de Non alien. aut permu. vbi constat pensionem fructibus æqualem solui ex ipso §. quia vero Leonis. Sed detur vtranq; causam æquè vt præcipuam considerari & recognitionis, & recompensationis: in concursu, † cum altera noceat, altera prosit, per regulam iuris ciuilis cogimur illam, quæ nocet, attendere. vt inquit Bart. in l.si vir vxori. in fi. de Vsucap. pro dona.& in l.si quis in graui.§.fin.Ad Syllan. Causa igitur recognitionis, quæ nocet, debet attendi, non causa recompensationis fructuum, quæ prodest.. Huc optimè facit, quòd ex eo §.quia vero Leonis.& §. dudum. Eodem. Angelus idem generaliter constituit in qualibet emphyteosi; vt omnes casus fortuiti ad emphyteotas semper pertineant. & hac ratione factum credidit, vt ab ecclesia prædia frugifera, cum diminutione sextę partis cósueti redditus, possint in emphyteosim concedi. Solamen mali, & periculi. tanquàm semper casus fortuiti soleát, & debeant attribui emphyteotis. Vnde complures vulgariter, & generaliter hoc axioma vsurpant, *emphyteotam rem accipere cum irruptione.* sic Iac.de Arena in l.1.C.de Iure emphyt.sub nu.7.Cyn.ubi ed q.7.nu.12.

9

Alb.nu.6.Bal.nu. 21.in posteriore lectura.& Salyc.nu. 10. Item Cuman.in l.interdum.§.quod ex naufragio, & illic Alex. in fin.de Acq. poss. & postremò Ias.in ea l 1.nu.84.vbi ait ex illis §.§.probari, mero iure ad emphyteotam spectare pericula sterilitatis, & particularis interitus. Sic in l.quicunque. C.de Fundo patrimo.lib. 11.generaliter dicitur sterilitatem ad emphyteotam pertinere.

Et per hæc pleraque, & alia vel leuiora, vel ad rem nostram non facientia respondit (vt diximus) Natta in cons.49. & cons. 194. lib. 1. emphyteotæ soluenti iustam pensionem & fructibus æqualem, ex causa cuiuscunque sterilitatis non esse faciendam remissionem, vti nec fieri communiter recipitur emphyteotæ, qui modicum quid soluit. Et pariter, cum inter eos nullam constituat differentiam; idem Natta respondit, emphyteotam soluentem iustam, vt supra pensionem ita teneri ad publicas functiones, ac si quid modicum, pendere. quod dicitur in l.2.C.de Iure Emphyt.& hoc legitur in eius cons. 114. lib.1.& hoc etiam placuit Petro de Vbald.in cons.2. posito in fi. sui tractatus de Collect.nu.2. Et in proposito Bald.in ea l.1.nu.15.in poster. lect. & Salyc.nu. 7.C.de Iure Emphyt. propter eius legis generalem orationem indistincte dixerunt siue magna, siue modica pēsio soluatur, particulare rei interitu ad emphyteotam pertinere, in hoc Bartolum refellentes: quoniam vtroq; modo contractus emphyteoticus potest fieri.

Et licet Bal.in priore lect.nu.24.& Rom.in l. interdum. §. quod ex naufragio.de Acq.possess.distinguant, cum quæritur, si fundus emphyteoticus propter bellum coli non potuit, an sit facienda remissio; distinguant, inquam, si census magnæ vel modicæ quantitatis penditur: hoc tamen nihil officit; quoniam ea communiter ratione conceditur remissio, quia res tum pro deperdita habetur. Inundatum enim esse aliquid, vel ab hostibus occupatum, pari iure censetur.l.cum vnus. §.fin.de Bon.auctor.iud.possid.inundatum porro deperditum dicitur l.3.§.Labeo.& l.interdum. §. 1. de Acq. possess. per totum autem rei interitum emphyteotam liberari, ex ea l.1.C.de Iure emphyt.euidentissimè conijcitur. Ergo, &c.

¶ Ex aduerso multa proponuntur, quæ contrariam opinionem validius astruere videntur. vt sit facienda distinctio, an quid modicum soluatur, & tum nulla fiat remissio, † & in hac specie intelligitur l.1.C. de Iure emphyt. Quod si pensionem fructibus respondentem pendat emphyteota: † ad ratam rei peremptæ diminuatur solutio. in qua specie nos versamur.

10

11

In primis in emphyteusi ecclesiastica, quam sub annua pensione,

quàm fieri possit, iustiore concedi debere, certum est: Imperiali constitutione permittitur, vt fiat † cum diminutione ad summum sextæ partis consueti redditus. Cur ideo? propter casus scilicet fortuitos in re, vel in fructibus contingentes. qui ideo ad emphyteotas tum pertinere statuitur, vt legitur in §. dudum, & §. quia vero Leonis. vbi Iac. de Beluis. in 3. opp. Auth. de Non alien. vel permut. &c. expresſius in Auth. perpetua. C. de Sacrosan. eccle. & ita per hæc iura probat Speculator de Locato. §. fin. nu. 10. q. 7. & ad hoc ea inducit Aret. in l. interdum. §. quod ex naufragio. nu. 8. de Acquir. posseſſ. Si forte igitur sine vlla diminutione emphyteosim fieri contigerit, clare præsupponitur ad emphyteotam casus fortuitos tum non pertinere; sicut etiam cōstitutum est in simplici conductore integram pensionem soluente, cui propter sterilitatem fieri remiſsionem mercedis planum est ex l. si vno. §. 1. Locati. cum simil. Et hoc est quod inquit † Glos. in ipsa Auth. perpetua, quæ expreſsè hāc illationem sensit. ideo. n. inquit, non esse conditionem deteriorem ecclesiæ concedentis fundum in emphyteosim cum diminutione sextæ partis redditus consueti, quam sit conditio cæterorum, qui sub iusta pensione locant: quoniam propter eam diminutionem, omnes casus fortuitos ad emphyteotas illos pertinere, postea constituitur. Sensit itaque Glos. emphyteotam † sine vlla diminutione conducentem ab ecclesia etiā, ad casus fortuitos nō teneri. hæc sunt verba Glos. *Nonne est ecclesia deterioris conditionis, quam alius. resp. non, quia diminutio fit propter sterilitates, quæ quando erunt, priuatus remittet totum. vt Locati. l. si vno. §. 1.* Huiusque Glos. *Priuatus.* intelligas. i. in emphyteosim concedens, non locator simplex, vt recta sit illatio. alias foret a diuersis contra l. fin. de Calumn. Et ideo verisimile est, Glos. vim facere in illis verbis *idem in vectigali damno respondit.* vt recta sit oppositio. nam vectigalis ager, & emphyteoticus vnum, & idem sunt fere, vt paulo post dicam. Hanc porro Glos. sequitur Bar. ibidem nu. 5. eamq; vti recte locutam probat Paul. de Castro. nu. 3. & ad hoc eam, & §. dudum. & §. quia vero Leonis. induxit Alex. in cons. 112. nu. 2. lib. 1. quem videas. Et licet Salycetus in illa Auth. perpetua. hanc Glos. reprobet; quoniam, inquit, si emphyteotæ priuati nō fit remiſsio propter rei ex parte interitum, vt in l. 1. C. de Iure emphyt. multo minus propter fructuum sterilitatem. nihil hoc tamen habet officere; cum sint diuersi casus. In ea l. 1. agitur de emphyteota soluente quid modicum in recognitionem domini; at in Auth. perpetua. agitur de emphyteota ecclesiæ, iustam pensionem soluente. ideo &c.

Secundo allegatur, eam proprie esse emphyteosim, † cum quidmo

dicum penditur in dominij commemorationem, in quo differt à locatione, vt inquit Io. And. ad Speculat. de Locato. §. fi. ad q. 4. quod consuetudine approbatum scribit. vti cum pro prædio centum æstimato tres denarij penduntur. & hoc idem exemplum proposuit Iac. de Arena in l. 1. nu. 2. C. de Iure Emphyt. sic ait Cyn. eo loco nu. 7. & modicum præstari dixit ibidem Bar. nu. 4. Bald. nu. 21. in priore lect. & nu. 6. in posteriore, ac Salyc. nu. 4. & idem Bal. in addit. ad Specul. de Emphyteosi. col. 3. Nec negat Natta. quin in hoc omnes conuenire, vt hæc sit forma emphyteosis propria, inquit in cons. 49. nu. 7. lib. 1. Cuius rei rationem affert Bald. in ea l. 1. nu. 8. cur scilicet modica pensio constituatur: quoniam, inquit, è conuerso emponemata consequitur concedens finita ephyteosi, quod & ait Iason illic nu. 5.

16 Hinc ait Bald. in c. literæ. nu. 2. de Dilation. ex parua † pensione, & perpetua locatione in dubio præsumi, initum esse contractum emphyteoticũ. aliàs si pensio correspõdet fructibus; præsumitur contractus locationis. Paulus quoq; de Monte pico in Repe. Auth. præterea. à nu. 13. ad 15. vsq;. C. Vnde vir. & vxor. probat, quãdo quid modicũ soluitur, esse propriè emphyteosim. si pensio iusta: licèt concessio facta sit sub vocabulo emphyteosis, nihilominus tanquam contractum locationis habendum fore. effectus enim, non verba demõstrant, quis contractus sit initus l. si vno. in prin. Locati. l. insulam. Præscrip. verb. & communiter receptum inquit Cagnol. in l. 2. nu. 203. q. 43. C. de Rescind. vend. Vnde in tali emphyteosi ipsam l. 2. sibi locum vendicare contendit; at secus, si modicum quid soluatur. Et in hanc sententiam habemus integrum Sing. Ant. Corsetti. in littera. C. in dictione *contractus*. vbi inter cæteros Barbatiæ auctoritatem deducit in eo c. literæ. de Dilation.

17 Hinc quia cũ soluitur iusta pensio, nõ est propriè emphiteosis: tum † non teneri emphyteotam ad publicas functiones concludit, & latè probat Brun. super statuto exclud. fœmi. artic. 8. q. 22. nu. 109. & 110. qui aliàs teneretur, l. 2. C. de Iure emphyt. & ita obseruari per senatum inquit Clar. in §. emphyteosis. q. 46. Si propriè igitur est emphyteosis, cum modica pensio præstatur, & de hac dicatur in l. 1. C. de Iure ememph. vt verba propriè accipiantur per vulg. l. 3. §. hæc verba. de Neg. gest. & l. fin. de His qui ven. ætat. impetr. ad emphyteotam igitur soluentem iustam pensionem illius legis constitutio non est extendenda; cum tanta militet diuersitatis ratio.

Sed rectius est, cùm pensio & fructibus correspondens, & in recognitionem simul præstetur, & ideo hic contractus non sit propriè em-

phyteo-

18 phyteosis, neque locatio, sed mistum quid: rectius † est, inquam, ex natura illius iudicare, in quo magis incalescit arg. l. quæritur. de Statu homin. facit l. 1. §. si quis seruum. Depositi. sic Alber. in l. 1. C. de Iure emphyte. & in proposito communem sententiam dicit Bellon. in consil. 21. nu. 5. Proinde, cum emphyteota hic, & conductor ad longum tempus in multis conueniant; cui propter rei peremptionem, remissionem pro rata fieri oportere in cap. 17. huius libri statuimus: idem in hoc emphiteota constituendum venit. In hoc autem conueniunt † emphiteota hic, & conductor, ad longum tempus: quoniam vterque habet vtile dominium, l. 1. & 2. vbi Gloss. Si ager vectig. & emphit. petat. vterque cessans per triennium in solutione cadit à iure suo. de emphyteota est text. in l. 2. C. de Iure emphyt. de conductore scribit Ang. in §. sci re. in prin. Auth. de Non alienan. &c. Bal. in c. querelam. in fi. de Iureiurã. Abb. in c. propter. in vlt. not. Locati. Dec. in Auth. qui rem. in prin. C. de Sacrosan. eccles. Rursus, sicut emphyteota alienans irrequisito domino priuatus est ipso iure, l. fin. C. de Iure emphyteo. ita quoque conductorem ad longum tempus priuari respondit Fulgos. in cons. 240. quod summè probat Iason in l. 1. nu. 35. C. Eo. ita respondit Aretin. in cons. 55. Prçterea, quod maius est, in hoc cõueniunt, quòd vterque soluit pensionem fructibus æqualem. Vnde propterea Imola in c. nulli. nu. 8. & in c. ad audientiam. nu. 3. de Reb. eccles. non alien. nullam in effectu inter eos esse differentiam arbitratus est, nisi quò ad nomen. & propterea Alex. in cons. 112. lib. 1. respondit, emphyteotæ † sol-

20 uenti iustam pensionem, fieri debuisse remissionem propter inundationem, & sterilitatem, sicut conductori ad longum tempus.

Addas, si emphiteotç soluenti iustam pensionem facienda est remissio secundùm Alex. in eo cons. 112. quod & respondit Rom. in cons. 369. nu. 32. & ante eos placuit Baldo in l. 1. nu. 24. C. de Iure emphyt. in priore lectura, & Corneo in cons. 181. nu. 41. lib. 2. & latè probant Aretin. in cons. 55. Bologn. in toto cons. 54. Bellon. in cons. 21. nu. 8. & exactè Berous in cons. 130. & 131. lib. 1. quã sentẽtiam communẽ testatur. Brun. de Augmento. q. 13. in prin. idemq; testatus est Alciat. in l. interdum. §. quod ex naufragio. ad fin. de Acq. poss. Si remissio, in-

21 quam, huic emphyteotæ propter sterilitatem fieri debet: multò † magis propter quemcunque rei ipsius interitum, nam cum canon præstetur tum pro vsu rei, ideò quatenus vti frui non potest, eatenus ei debet consultum iri, arg. l. ex conducto. §. 1. ibi *Si ager terræmotu*. Locati. Item grauius est rei detrimentum, quàm fructuum sterilitas. si quidem viginti annorum redditus simul computatos vix proprietati

æquiua-

æquiualere, statutum est in §. quia verò Leonis. vers. si verò. Auth. de Non alienam. &c.

Quartò & apertius confirmatur hæc sententia. Si vectigalis fundus, & emphyteoticus, is scilicet, in quo soluitur iusta pensio, parum aut nihil inter se differre cognoscuntur: vti † propter sterilitatem, & damnum vectigalis agri fit remissio eius conductori, l. si vno. in prin. illic, *hoc idem & in uectigali damno respondit.* Locati. idem ius & in emphyteota debet cõstitui. Qui sint agri vectigales, videamus. De his Paulus ait in l. 1. Si ager vectig. vel emphyt. &c. 22

Vectigales † agri ciuitatum sunt, qui in perpetuum locantur; idest hac lege, vt quandiu pro his vectigal pendatur, tandiu neq; ipsis qui conduxerunt, neq; his, qui in locum eorum successerunt, auferri eos liceat. qui quamuis non efficiantur domini, tamen placuit eis in rem actionem competere aduersus quemuis possessorem; sed & aduersus ipsos municipes. Horum agrorum conductores mancipes vocabantur. de quibus in l. si finita. §. de vectigali. de Damno infecto in eo vers. *Sed in vectigali prædio, si mancipes non cauerint. &c.* ita enim † legendum est, nõ municipes, vt rectè censuit & Alciat. Dispun. li. 3. cap. 10. de his quoque legitur in l. qui fideiussor. Locati. Manceps † autem, inquit Festus, est quisquis à populo aliquid emit, cõducitue, quia manu sublata significat auctorem se emptionis esse. de qua re Budæus ad l. qui fideiussor. Locati. Nam per subhastationẽ prædia ciuitatis locabantur, l. locatio. de Public. & vectig. & plus offerenti tradebantur, l. loca. C. de Locat. præd. ciuil. lib. 11. vt verisimile sit, vectigal quàm proximè fructibus respondisse. 23 24 25

Sic pariter emphyteosis est locatio in perpetuum, quandiu soluitur pensio, §. adeo. Instit. de Locat. & conduct. transferens vtile dominium, sub iusta pensione contracta. Ergo nulla debet esse in remissione differentia.

Quinimmo † fundum, vectigalem, & emphyteoticum ab eodem cõtractu procedere, licet suspicari ex Rub. Si ager vectig. vel emphyt. pet. vbi Glos. interpretatur *vel* idest. Quin Iacob. Cuiac. in Paratitlis, ad illum Tit. sic legit. *Si ager vectigalis, idest emphyteuticus petatur.* (Sicut & in Pandectis ad exemplar Florentinarum impressis legi constat) & in iure agrum vectigalem semper pro emphyteotico accipi contendit. Nec malè sanè. licet enim obseruare Glossas vbique sic interpretari, sic cæteros omnes interpretes, vt apertè legitur in l. lex vectigali fundo. de Pignor. in l. si finita. §. si de vectigalibus. de Damn. inf. in l. cum sponsus. §. 2. de Public. in rem act. in l. si sciendum. §. 1. Qui satisd. cogan. in l. 1. in prin. vbi Bald. Quemadmod. vsufr. amitt. ac in l. 1. C. de 26

Admin.rer.public.lib. 11.vbi Glos.cum sexcentum similibus. Nullam quidem cōstituit differentiam Paul. de castro in Rub. Si ager vectig. &c. quàm quòd dicitur vectigalis ager de prædio ciuitatis, emphyteoticus de priuatorum fundo.cui consentit Iason in l.si domus.§. si fundus.in prin.de Leg. 1. Si emphyteoticus igitur ager, & vectigalis parum, aut nihil inter se differunt: sicuti propter vectigalis agri sterilitatem fit remissio, vt in ea l. si vno.in prin. ita † propter agri emphyteotici sterilitatem, & multò magis per interitum. & ad hoc illum textum videtur adduxisse Glo.in Auth.perpetua.in verbo *sextam*. C.de Sacrosan.ecclef.expresse Berous in c.potuit.nu. 175.de Locato.

27

28 Huius l.si vno. † antiqui interpretes vim persensere. eosq; ad modum conturbauit:dum dubitant an propter sterilitatem facienda sit remissio emphyteotæ.nam in l. 1. C. de Iure emphyt. statuitur omnem rei diminutionem pertinere ad emphyteotam, nisi sit totius rei interitu;sideo & multò magis periculum sterilitatis.his obstat, quod in ea l.si vno.statuitur de agro vectigali,qui idem est,qui & emphyteoticus, vt patet ex superioribus. & hoc ipsi præsupponere videntur. Iacobus de Arena,Cynus,& Alb.in ea l. 1.hoc obijciūt,sed non diluunt. Bald. autem, & Salyc. illic eisdem met verbis, respondere sunt aggressi per longam distinctionem,sed ieiunam,& futilem.Summa hæc est. quòd ille textus (vt inquiunt ipsi) intelligitur, quando fundus vectigalis fuit simpliciter conductus à ciuitate ad modicum, vel etiam ad longum tempus,non autem sub nonine emphyteosis.sic ait ex mente eorum,& ita huic l.si vno.respondit Natta in cons.49.nu.27.lib.1.Hæc distinctio quàm sit aliena ab illius legis sensu & penitus verbalis,ex superioribus facilè patet.dicitur enim simpliciter,Hoc *idem & in uectigali damno respondit*.ergo simpliciter,& indistinctè intelligi oportet.Item in Synonymis nulla vis debet fieri in diuersa rei appellatione.

Rectius itaq; iura hæc, quę inuicē diffidentia videntur,hac potius ratione conciliabūtur.vt,cum soluitur quid modicum ab emphiteota in dominij recognitionem; tum omne rei particulare detrimentum, item omnis sterilitas ad emphyteotam pertineat. & in his terminis intelligatur l. 1.C.de Iure emphyteot. Aut iusta pensio soluitur, qualē pendit conductor agri vectigalis (nam per licitationem locantur vectigales fundi,l.loca.C.de Locat.præd.ciuil.lib. 11.)& tum,sicuti fit remissio propter vectigalis agri damnum, sic & propter damnum emphyteotici. quia aut vnum & idem sunt, aut eadem remissionis ratio saltem militat in vtroque.

29 Et ne hæc † nostra sententia auctoritate defici videatur, adest Bar-

tolus, qni in ea l. 1. nu. 9. expreſsè ſentit, emphyteotæ ſoluenti iuſtam penſionem, ob diminutionem fundi, remiſsionem fieri debere. Ait enim in terminis illius legis, quãdo ſoluit emphyteota quid modicum in recognitionem domini, magnã tum diminutionem, ſeu totius fun di interitum cenſeri, cum non ſuperfuit tantum ex prædio, vt ex eo poſſint percipi fructus reſpondentes, & pares penſioni, & canoni. ſen tit itaque, vbicunque penſio fructibus reſpondet, fundo diminuto diminuendam eſſe penſionem. Et hunc fuiſſe Bartoli ſenſum expreſsè inquit Iaſon in ipſa l. 1. nu. 20. licèt de hoc dubitet, & Bartolum reprehẽdi à Salyceto ſcribat, prout verum eſt. Is enim in ea l. 1. nu. 7. & Bal. nu. 15. in poſteriore lect. contendunt hanc Bartoli diſtinctionem, diuinationem ſapere, nec lege probari, & eſſe contra generalia verba illius l. 1. Quibus & ego conſentio, ſi fiat diſtinctio in terminis ipſius l. 1. in terminis autem noſtris cum penſio reſpondet fructibus; Bartolum rectè locutum cenſeo per ea, quæ latè ſuperius deduximus. Quin & Baldus ipſe in priore lectura l. nu. 24. ſibimet contrarius emphyteotæ tum faciendam propter ſterilitatem remiſſionem cẽſuit, ſi cenſus erit notabilis quantitatis, ſecus ſi modicæ. ergo multò magis propter rei detrimentum. Ita quoque diſtinxit in terminis noſtris, & limitauit ipſam l. 1. Cagnol. in l. 2. nu. 104. C. de Reſcin. vend. & ante eum Card. Zabar. in c. potuit. ad finem. de Locato. vbi concludit etiam, quòd in ipſa remiſſione ob rei detrimentum, ſolennitates requiſitæ in alienatione rerum immobilium eccleſiæ adhiberi debebunt. hanc diſtinctionem probat & Berous in eo c. potuit. nu. 175. Et licèt Clar. in §. emphyteoſis. q. 8. verſ. quæro etiam. in hanc ſe demum opinio nem venturum profiteatur, quando & penſio correſpondens fructibus, & in vnumquodque iugerum penderetur certa penſio: nihili tamen facienda eſt hæc eius ſententia, cum ab eo, iure medio non probetur; (quod, vbi ſuam ille profert opinionem, perpetuum eſt ei vitium in toto ferè illo opere) ſed indiſtinctè concludendum, ſiue in vniuerſum corpus, ſiue in ſingula iugera pendatur cenſus reſpondens fructibus, remiſſionem pro rata fundi per alluuionem, aut alio modo à flumine diminuti, eſſe faciendam; ſicut in ſimplici conductore non diſtinguitur.

¶ Hãc opinionẽ ego quoq; probo. quam, ſi numerũ inſpicimus, receptiorẽ; ſi argumẽtorũ vim, veriorẽ arbitror. quod ex obiectorũ refutatione clarius patebit. Venio igitur ad illud, quod in primis oppoſitũ fuit, ſ. l. 1. C. de Iure emphy. dicẽtẽ indiſtinctè & generaliter oẽm rei diminutionẽ particularẽ ad emphyt. ſpectare, generaliter & indiſtinctè

de quocunque emphyteota siue iustum, siue modicum canonem soluat; esse intelligendam. l. 1. §. generaliter. de Leg. præstan. Ad hoc respondetur vulgariter; non esse inconueniens, vt lex legi declarationem, & distinctionem afferat. nec est nouum, vt priores leges ad posteriores trahantur, & è conuerso. l. non est nouum. cum seq. de Legib. Ideo l. 1. per l. si vno. declarari & distingui, nemini quid magnum videatur.

Quod ad secundam oppositionem pertinet. ex quo scilicet contractus emphyteosis omnem pactionem recipit, & de eius natura, & proprietate hoc venit; ideo siue modicum, siue iustum canonem paciscantur contrahentes, emphyteosis erit propriè: Huic dubitationi sic occurrimus. Doctores communiter arbitrari, eam solam esse propriè, & verè emphyteosim, quando quid modicum soluitur. ideò pacisci, vt pensio iusta persoluatur: cum sit contra propriam substantiam contractus; ab vna specie in aliam transmutat emphyteosim. vnde argumentum optimè retorquetur. Illud sanè certum est, illam l. 1. de ea emphyteosi agere, cum quid modicum soluitur: at nos cum pensio iusta. ob quam diuersitatem malum est ab eis inuicem arguere.

De illo autẽ quod dictũ fuit, & in specie ipsius l. 1. emphyteotam dici rem habere ex onerosa causa, quippe qui ab initio pro intratura (quod aiunt) summam haud vulgarem persoluisse ibi præsupponitur: & ideo videri in effectu canonem pendere respondentem redditibus; prout in proposito asserimus nos: quo non obstante sancitum illic habetur, omnem rei particularem interitum ad emphyteotam pertinere: sic respondemus.

30 Quando ab initio † pro intratura soluitur egregia summa; & in recognitionem dominij quid modicum postea præstatur ab emphyteota: duæ possunt proponi causæ ad eam l. 1. cur ille particulari diminutioni subiaceat. Altera est, quæ communiter assignatur; quoniam canon penditur in recognitionem dominij, quod dominium est quid indiuisibile, & ceu anima totum in toto & totum in qualibet parte; nec recipit plus, & minus. quousque igitur durat rei quantulacunque portio, durat & dominium & causa recognitionis, vt diximus in proximo superiori capite. ideo non refert, an rem habeat emphyteota ex causa onerosa, vel lucratiua: hoc enim nihil causam præstationis afficit. Altera nec insubtilis fortasse proponi potest ratio. Propter egregiam illam summam, quæ ab initio contractus in specie illius l. 1. datam constat, ad naturam

emptio-

emptionis quàm proximè videtur accedere emphyteosis; à locatione autem multum distare, & propter datam illam summam, & quoniam in locatione pensio exigua dari non potest. l. si quis. Locati. Hinc apud antiquiores dubitatum fuit, an dici oporteret emphyteosim esse contractum emptionis, & venditionis, vt legitur expressim in §. adeo. Instit. de Locat. nam vbicunque fit mentio pretij in contractu, semper emptio præsumitur. Glos. sing. in l. cum dotem. de Iure dot. sic Iason in ea l. 1. nu. 23. Hinc fit vt vtile dominium rei nanciscatur emphyteota. l. 1. Si ager. vectig. &c.

Quoniam igitur sapere videbatur naturam emptionis, factum fortè fuit, vt ad illum pertineret particularis rei interitus; sicut alias ad emptorem pertinet, quod fundo empto per alluuionem accessit, vel perijt. l. id quod. de Pericul. & comm. rei vend. Totius autem rei interitus non pertinet ad eum, sed ad dominum; tum quia & ille directum dominium habet; tum etiam, quoniam extincta penitus dominij causa, dominij recognitionem perire necessum fuit.

At in nostra specie licèt vtile dominium transferatur in emphyteotam, nihilominus cōductioni proximè, & penitus ferè accedit, sed emptioni minimè: nihil. n. ab initio soluitur. nam & in conductorem saltem ad longum tempus transfertur vtile dominium; & quod magis est, annua pensio fructibus æqualis præstatur, in ipsorum fructuum potius recompensationem, quàm in dominij recognitionem. Ideo ab illa specie l. 1. iniquum est arguere ad nostram longè diuersam, & alia mente constitutam. In l. 1. emphyteosis sapit naturam emptionis, in nostro casu naturam conductionis. ad conductorem autem etiam longi temporis periculum rei, & sterilitatis minimè spectare constat ex ea l. si vno. in prin. ex l. si ex conducto §. 1. Locati. quod diximus in in superiori proximo capite.

Ad quintam obiectionem venio. qua dicitur iustum etiam canonem ab emphyteota pendi, vel principaliter in recognitionem dominij, secundariò in fructuum compensationem, vel æquè principaliter. vnde fit vt dominus non cogatur canonem ab alia manu suscipere, quàm ab ipso emphyteota, vel eius legitimo procuratore. quapropter cum ex ijs duabus causis altera noceat, altera prosit, in concursu quæ officit, ea præualet, & alteri præiudicat.

Primùm aio ego, Sicut in cōductore ad longum tempus, & in conductore vectigalis fundi, ita in emphyteota iustam pensionem princi-

cipaliter pendi in fructuum compensationem, secundariò in dominij recognitionem. Vtilitas.n.tum fuit primùm in intentione, recognitionis autem honor in consequentiam. quod rationi, & sensui optimè arridet, & consentit.

Quòd si detur etiam vtrunque principaliter fuisse in intentione: 31 Brocardica † (vt aiunt) illa regula optimè contra dominum retorquetur. Ex quo, illi prodest, datam videri iustam pensionem in dominij recognitionem; sed officit, si in fructuum compensationem: ideò hoc vltimum, quod nocet, & contra dominum attendatur. Nattam itaque nullam vim super eo facere oportuit, neque super cæteris superioribus. vnde manifeste patet malè eum bis respondisse, emphyteotæ soluenti iustam pensionem, non debuisse ex caussa sterilitatis fieri remissionem; eundemq; teneri ad publicarum functionum solutionem. Hinc etiam patet, quàm iniquum, ne dicam ridiculum, sit illud Axioma, quod generaliter & indistinctè desumunt Doct. ex §. dudum. & §. quia verò Leonis. Auth. de Non alien. &c. scilicet *emphyteotam rem accipere cum omni irruptione*, vt aiunt. Nam illic expressè constat, ideò ad emphyteotam ecclesiasticum pertinere casus fortuitos, quia minus, quam sit iusta pensio ad sextam vsque, persoluit. Quocirca malè Doct. ex casu speciali generalem regulam desumpserunt, quæ præterea ex superioribus optimè redarguitur. Ad l. quicunque. C. de Fundo partim. lib. 10. respondet Alex. in cons. 112. lib. 1. ad quē breuitatis gratia te remitto.

Superiorum summa sit igitur, diminuto vi fluminis fundo emphytheotico, emphyteotæ soluenti iustam pensionem pro rata remissionem fieri oportere.

32 Iusta porrò pensio, † ad initium contractus referenda est, sicuti in emptionis contractu an iustum pretium fuerit, tempus initæ venditionis inspicitur. l. si voluntate. in fi. C. de Rescind. vend. c. cum causa, de Emp. & vend. & hoc probat in hac ipsa specie emphyteotica Corn. in cons. 15. nu. 9. lib. 4.

§ Silentio autem non est prætereunda limitatio, quam ad superiorem conclusionem tradidit Alb. Brun. de Aug. in conclus. 22. ad fin. Is putat, si tantundem per alluuionem ab alia parte fundo accessit, quantum perijt emphyteotæ, remissionem minimè fieri oportere; in hac adductus sententiam ex eo, quod habetur in l. ex mille. §. quæsitum est. de Euiction. vim facit in illis verbis. *Nam reliqua quadraginta, quæ de vniuerso fundo decesserunt, pro rata noua regionis esse intelligi.*

33 Quod ego non probo. † sensus.n. Papiniani illic, alius est, quàm

putet Albertus, si rectè intueamur. nam quod ait, *de vniuerso fundo decesserunt*, intelligitur per euictionem, non per alluuionem, vt ibi & rectè interpretatus est Accursius. Ea etenim verba, *nam reliqua quadraginta*, referuntur ad proxima; & ea XL iugera, reliqua sunt ex CLX euictis, quæ simul collecta CC efficiunt. quæ summa pro indiuiso fuerat euicta.

Item quod per alluuionem perijt, non potest dici, decessisse de vniuerso fundo: sed illud rectè, quod per euictionem decessit, ex quo pro indiuiso ex fundo mille iugerum, ducenta. i. quinta pars euicta proponitur.

Præterea hæc limitatio ex alio redarguitur: quia opima, & culta prædia per alluuionem auferuntur, & sterilia, incultaq; adijciuntur; ideo adhuc viget eadem damni ratio, & rem issionis.

ARGVMENTVM.

¶ Aucto vi fluminis emphyteotico prædio, feudali, atque locato, an augeatur præstatio.

SVMMAE.

1 *Emphyteotæ soluenti quid modicum, aucto prædio per incrementum latens vel separatum, nullatenus canon augebitur.*
2 *Dominium est quid incorporeum, nec magis, nec minus recipiens.*
3 *Feudatario, aucto quantuncunque feudo vi fluminis, seruitium non augetur.*
4 *Conductori, aut emphyteotæ soluenti iustam pensionem, ob fructuum vbertatem non augetur pensio.*
5 *Neque ob incrementum prædij. & nu. 7.*
6 *Explanatio l. si merces. §. vis maior. Locati.*
8 *Tributorum onus augetur, aucto per alluuionem prædio.*
9 *Vel auctis fructibus.*
10 *Pensio augetur conductori, & emphyteotæ, si augmentum fructuum contingat ex aliquo inopinato, & insolito casu.*

CAPVT XIX.

RES postulat, vt post eam disceptationem, an propter diminutionem ex alluuione factam, sit necne diminuenda conductori, & emphyteotæ pensio, & feudatario seruitium: ex diuerso quæratur, an aucto per alluuionem prædio, illis augeri debeat pensiones, & seruitia.

Quod ad emphyteotam pertinet soluentem modicum quid in

1 recognitionem dominij. Certum test, aucto illi prædio per incrementum latens, vel separatum, nō augeri canonem; sicut nec diminuitur, eo per alluuionem diminuto. quod supra probauimus in cap. 17. naturale enim est commoda eum consequi, quem sequuntur incommoda l. id quod. in prin. de Peric. & comm. rei vend. & hoc sentit in terminis his Glos. pen. in fi. super l. 1. C. de Iure emphyt. dum inquit, speciale esse in l. 2. C. de Alluu. hoc est, vt in tributis aucto, vel diminuto prædio, augeatur, vel diminuatur tributum. in emphyteosi igitur nec diminui, nec augeri canonem intelligit. Et licèt in eadem l. 1. Glos. fin. distinxerit inter latens, & separatum incrementum, quam secutus est Specul. de Locato. §. fin. q. 136. nu. 162. communiter tamen reprobatur, vt inquit Bald. in ea l. 1. nu. 15. in posteriore lect. & eam reprobauit Iacob. de Are. conciuis illic nu. 6. & indistinctè censuit pensionem non augeri arg. l. legem. C. Locati. quoniam iste contractus est stricti iuris, & nō venit in ipsum, nisi id, de quo actum est, & cogitatum. quod & Petro placuit ar. l. secundùm. de Reg. iur. vt refert Cyn. in eadem l. 1. nu. 12. q. 7. quem videtur & ipse sequi. hoc placuit & Alber. ibidem nu. 5. & 9. & hoc communiter teneri ante Bald. dixit Io. And. in Addit. ad Specul. in eo §. fin. ad versic. 136. etiam si duplo maius sit incrementum, quàm ipsum prædium, cui accessit. hæc probat Bart. in ea l. 1. nu. 10. Salyc. & Iason communem dicunt, hic nu. 79. ille nu. 7. & reuera receptior est, & verior, & sat rationi conueniens. Si enim ideo non minuitur canon ob qualemcunque rei ex parte diminutionem, quoniam dominium, in cuius recognitionem præstatur, est quid indiuisibile, & totum in toto, & totum in qualibet parte, vt de anima inquiunt Philosophi; & ideo quousque aliqua fundi portio superest, superest & causa

2 recognitionis: ex aduerso itaque, quoniam dominium est quid incorporeum, §. 1. Instit. de Reb. corpor. nec recipit magis, vel minus secundùm Bald. in l. data opera. nu. 28. C. de Iis qui accus. si idē est dominiū, licèt auctus sit fundus, eadem debet & prior esse recognitio.

¶ Sciendum tamen est, quòd si fundus auctus vi fluminis venditur, augetur & quinquagesima pro laudemio, vt videtur sentire Specul. in §. fin. q. 119. Odofr. & Alber. nu. 9. in l. fin. vbi Iason. nu. 44. C. de Iure Emphyt. Brun. de Aug. Concl. 14. Limit. 3. in fine.

3 ¶ De feudali autem † prædio aucto per latens, vel separatum incrementum, quantuncunque sit, idem ius est constituendū, quod in emphyteotico; vt non augeatur seruitium, quod illo diminuto, non remitti iam probauimus argumento emphyteotæ, vt in cap. 17. huius libri. Quod & placet Mart. Laud. in c. 1. §. fin. nu. 18. de Contr. inuestit. vbi

refel-

refellit, & rectè sanè Andream de Isern. qui in eod. c. 1. §. si quis de mā so. nu. 17. & 18. post longam discusionem in hanc descendit distinctionem. *Aut incrementum* inquit, *est tanti valoris, vel plus, quanti est totum feudum: tunc teneatur ad seruitium pro modo valoris. aut minus, & sic particulare: & tunc non teneatur. Hæc distinctio correspondebit distinctioni factæ in contrarium de damno, & detrimento, vbi distinctum est totale, & particulare.* Hucusque Isernia. qui comprobat superiora regulis generalibus; quoniam contrariorum est eadem disciplina. Item nō debet postulare id, cuius contrarium non peteret, eò maximè quia in iudicijs feudalibus maximè obseruatur equitas, quæ in paribus causis paria iura desiderat. c. hæc edictali. §. fin. de Pace iura firm. Distinctioni huic subscribit Afflictus eo loco, latè reassumens à nu. 18. vsque ad nu. 28. per Iserniam proposita. cui quàm maximè deferendum censet, quoniam is inter feudistas principem locum occupat. Ego tamen, licèt Iserniæ primas deferam cū Afflicto, in hoc tamen eius distinctioni minime possum deferre; tum quia iure non probatur; quinimò cum antiquitus in emphyteotico prædio aucto hæc distinctio fuisset proposita, eam communiter reprobatam scribit Cynus in l. 1. nu. 12. C. de Iure emphyt. & Io. Andr. ad Specul. de Locato. §. fi. in versic. 136. Tum etiam ex eo, quod statutum esse in emphyteota paulò antè diximus, à quo ad feudatarium licitè potest argumentum desumi, vt latè probatum fuit in hoc libro cap. 12. Idem ius itaque in emphyteotico, & feudali prædio aucto constituendum sentio, vt non augeatur canon, neque seruitium.

¶ Quid dicēdum de fundo conducto, & cōcesso ad emphyteosim sub iusta pensione, quo diminuto per alluuionem, & pensionem diminuendam diximus? An illo aucto, pensionem augeri iustum est?

De conductore ait Glos. in l. si merces. §. uis maior. Locati. Si non diligentia ipsius coloni, sed ui fortuita fructuum maxima extiterit vbertas, augendam esse pensionem, vti propter ingentem sterilitatem fit remisio, contrariorum enim eadem est norma, l. fin. de Leg. 3. l. 3. §. fi. Vbi pupill. educ. debeat. & secundùm naturam est ad eum commoda pertinere, quem sequuntur incommoda, l. secundùm. de Regu. iur. Hanc Glos. probat Bar. eo loco nu. 8. Bald. in prin. & communem hāc esse sententiam inquit Fulg. nu. 13. & 14. Adde l. 2. C. de Alluu. vbi tributario prædio aucto per alluuionem, augeri tributum statuitur, quia eo diminuto, minuitur. Si propter fructuū igitur incrementum conductori pensio augetur, multo magis ob rei ipsius, & fundi incremētū.

Si porrò hæc vera sunt in conductore; idem in emphyteota soluen

te iustam pensionem, videtur dicendum; quorum par est conditio in obtinenda remissione propter fundum diminutum; & tum naturam potius conductionis, quàm propriæ emphyteosis sapere videtur emphyteoticus contractus.

Rursus addas; ideo in emphyteota soluente quid modicum nó augeri pensionem aucto per alluuionem prædio; quoniam, vt communi voto, & ratione inquiunt Doctores, nec illo diminuto fit vlla remissio; & naturale est commoda eum consequi, quem sequuntur incommoda. Sic itaque ex aduerso, quoniam fit diminutio emphyteotæ soluenti iustum canonem, si fundus per alluuionem diminuitur, æquum est eo aucto, augeri pariter canonem.

¶Cæterùm, quamuis hæc maximè moueant, multi tamen magniq; iuris interpretes, & quod †ad fructuum vbertatem, & ad ipsius rei † incrementum vi fluminis contingens pertinet; in diuersam, & superioribus contrariam iere sententiam, vt in neutro casu augmentum pensionis peti possit.

4
5

Quod ad fructus pertinet, Glossa est in l. licèt. in prin. C. de Locato. quam probat Cyn. in l. legem C. Eodem. & rationem affert huiusce rei, quam cogitatione magis percipere, quam oratione consequi poterimus, vt inquit ille. is ita scribit. *Non esse mirandum, si fit remissio conductori propter sterilitatem, licèt non augetur pensio propter vbertatem, quià non debet inconueniens reputari, si sterilitatis damnum tempore locationis contingens conductor, qui non habet emolumentum percipere nisi temporaliter, communicet cum locatore, qui perpetuo habet sentire emolumentum: & econtrario non communicet commodum vbertatis cum eo, ad quem debet res locata reuerti*. Hæc Cynus. Quæ Ant. de Butrio in c. propter. de Locato. nu. 20. sic intelligit. *Quia ad conductorem modico tempore duraturum spectat onus supportabile, cũ conduxit ad tempus: ideò debet penes eum remanere emolumentum, &c.* Hanc sẽtẽtiam, & Glossam pariter probat Bald. in ea l. licèt. in prin. hac ratione, & his verbis. *Vbi est fertilitas, ibi commune gaudium; & ideo bona fortuna, & prospera, fælix procedit, sed vbi sterilitas, ibi mœror, & luctus*. Rectius porrò ibi Salyc. nu. 3. qui & ipse Glos. sequitur. & hanc rationem adducit, cur, sicuti fit remissio propter sterilitatem conductori, ita propter vbertatem non augeatur pensio. Taxata est in conuẽtione (ait ille) certa pensio; non autem taxati sunt fructus; sed omnes, quotcunque nasciturì sunt, ex conuentione debentur conductori. Ideo cum nihil amplius quàm conuentum sit, percipiat, non debet augeri pensio. Ex aduerso quia annua pensio præstatur in recompensationem fructuum, ex tacita conuentione videtur promissum, conductorem

tot fructus percepturum, qui pensioni respondeant, ideo propter steri litatem fit remisiio.

Rursus idem Salyc. in l. si merces. §. uis maior. in fine, hanc defendit opinionem, & meliore quidem ratione. nam si vbertas præcedentium annorum compensatur cum sterilitate sequẽtis anni, vel antecedẽtis, l. si uno. in prin. Locati. l. licet. C. Eod. c. propter. Eodẽ, nihil superesset, quod posset compensari, si anno vbertatis augeretur pensio. qua ductus ratione Abb. in eo. c. propter. nu. 5. hoc idem censuit.

Paulus quoque Castren. in eo §. uis maior. à nu. 6. ad finem vsque hanc latè defendit sententiam. inter cætera mouetur ex † verbis. §. uis maior. quæ proculdubio efficacissimè vrgent. *Modicum damnum*, inquit Caius, *æquo animo debet ferre colonus, cui immodicum lucrum non aufertur*. immodicum intelligas. i. maximum, seu nimium; quasi dicas sine modo. nec aliter citra inuerecundam violentiam accipi potest. quicquid ibi Glos. dixerit, vt inquit Arius Pinell. in l. ij. C. de Rescin. vend. in cap. 3. Par. 2. nu. 34. passim enim ita accipitur apud bonos authores, vt illud, *immodicas opes*, & apud Liuium *lingua immodicus*, & in iure nostro in l. non dubium. de Leg. 3. ibi. *immodico pretio*. i. valde nimio, vt interpretatus est illic Accurs. Et licèt apud aliquos ille textus §. uis maior. legatur, prout legit Imola in c. potuit. nu. 14. de Locato. scilicet, *cui modicum non aufertur lucrum*. vulgata tamen lectio habet *immodicum*. & in suo Codice Glos. ita legisse constat, & in Codicibus impressis ad exemplar Pandectarum Florentinarum ita legi testatur Socin nepos in cõs. 68. nu. 10. lib. 2. quod verum est, & nos vidimus. & sanè sanior est lectio, & intentioni I.C. potentius deseruit.

6

Si conductori igitur immodicum non aufertur lucrum: ergo quantacunque fuerit vbertas fructuum, non augebitur pensio. aliàs fructus lucro non cederent, sed ex causa onerosa obtinerentur.

Fulgosius pariter in eo §. vis maior. in hanc venit sententiam tum ex illis verbis *cui immodicum. &c.* tum etiam, quoniam non est eadẽ ratio obligationis, & liberationis. l. Arrianus. de Actio. & oblig. hoc est, licèt liberatio conductori contingat propter sterilitatem, non ideo debet crescere obligatio propter vbertatem. Item non est eadem ratio damni, & lucri. l. fin. C. de Codicill. l. fin. §. licentiam. C. de Iure delib. ipse locator agit de lucro, colonus autem altero casu de damno euitando. Ideo (vt inquit etiam Castren.) fit remissio conductori, ne sit in damno. nec potest conqueri dominus: quia si non locasset, idem damnum fuisset passurus. Sed quando est vbertas, vterque certat de lucro captando, ideò potior est conditio rei in pari causa. l. si seruum. §. sequi

tur. de Verb. oblig. l. ij. Ne quis eum qui in ius vocat. cum simil. Hanc quoq; probat sententiam Aretin. in l. si quis nec aliter. nu. 8. de Verb. oblig. nec aliter se iudicaturum fuisse profitetur. & ita respondit Socin. iun. in eo cons. 68. nu. 10. lib. 2. & placuit Ario Pinello, vt dixi. Et si nostrum licet interponere iudicium; in hanc opinionem nos quoque manibus pedibusq; pertransimus, tum horum decem virorum auctoritate suffulti, tum & libentius ob ineuitabilem decisionem eius §. vis maior, & vrgentiorem Salyceti rationem in eo §. ab ipso traditam.

7 Quod ad incrementum † vi fluminis adiectum prædio locato, vt non sit pensio ob id augenda, pertinet, alia rursus Gloss. nobis expressè hoc asserit in l. legem. in verbo. *reposci*. C. de Locato, quam summè probant eo loco Cyn. & Ang. nec Salyc. improbauit. Cyno equidem apertè assentitur Bald. in l. licet. in prin. C. Eodem. vt dixi. & ante illum Io. And. in Addit. ad Specul. de Locato. §. fin. super versic. 136. vbi ab illa l. legem. arguit, sicut propter augmentum alluuionis non augetur pensio conductori, ita nec emphyteotæ oportere augeri. Angeli autem decisionem illam inter Singularia retulit Marsil. in suo Sing. 134. quam quibusdam munire nixus est. Rationem porrò, cur diminuatur, & non augeatur pensio propter alluuionem, ex Cyno hanc affert Ang. obscuram sanè, vti paucioribus verbis perstrictam. *Quia colonus*, inquit, *habet commodum temporale*; *Sed ex incremento dominus habet commodum perpetuum*. quasi dicant, ideo non est inconueniens, si ad dominum potius spectat damnum, quàm ad colonum, qui propter commodum perpetuum facilius damnum feret. Quando autem agitur de incremento acquirendo, in pari causa potior est rei, & possessoris conditio. Et hanc sententiam ego quoq; probo non per hæc tantùm, sed per ea potius, quæ pauló ante dicta sunt de vbertate fructuũ, quæ huic quæstioni etiam deseruiunt.

Omne igitur incrementum vel fructuum, vel ipsius rei, & fundi absq; vllo augendæ pensionis onere ad conductorem pertinere dicendum venit: & exemplo conductoris ad emphyteotam quoque, qui soluit pensionem fructibus æqualem: tum enim à conductore parum differre iam probauimus in proximo superiori capite. In hoc tamen nihil certum constituo, quoniam pleræq; superiorum rationum in hac emphyteosi sibi penitus locum non vendicant, ex eo, quod emphyteosis est contractus perpetuus, conductio autem temporarius.

¶ Superest, vt obiectis respondeamus. quod igitur ad illas communes animi conceptiones pertinet, contrariorum eandem, esse disciplinam; & secundùm naturam esse, commoda cuiusque rei consequi

eum, quem sequentur incommoda: veras fatetur Paulus de Castro in eo §. vis maior. vbi ratio diuersę decisionis non vrgeat. de pluribus autem superius mentionem fecimus. Vel vbi claram legis sanctionem habemus, de ratione frustra laboramus, l. prospexit. Qui & a quibus &c. cum vulgar. immodicum autem lucrum colono non auferri, indistinctè ait, & apertissimè Caius in eo §. vis maior: & hoc vsu receptum ait Arius Pinell. in loco superius citato.

Quod postremò pertinet ad l. 2. C. de Alluuion. vbi aucto † per alluuionem fundo tributario, augetur solutio, quoniam ex aduerso eo diminuto remissionem facit peræquator, vt in l. forma. de Censib. Respondeas, diuersam esse causam tributorum, ac pensionum. onus tributorum respicit ratam fructuum, & modum rei possessæ, nil aliud autem attenditur. l. Imperatores. de Public. & vectig. l. 3. C. Sine censu vel reliq. ideo aucto, & diminuto prædio, rata & ipsa alteratur. At pensio non ad ratam principaliter, sed iuxta conuentionem præstatur. Quibus astipulatur id, quod ex Salyc. in l. licet. nu. 3. C. de Locato. paulò ante diximus, & hoc ait Iason in l. 1. nu. 78. post Alber. C. de Iure emphyt. Neque enim placet responsio Arij Pinelli in l. 2. cap. 3. par. 2. nu. 34. C. de Rescind. vend. ideo augeri tributum per augmentum alluuionis in ea l. 2. C. de Alluuion. quia illic agitur de ipsius rei augmento, non fructuum. Quasi si aucti sint fructus, non sit augendum tributum, & eis diminutis, non diminuendum fore. Nonne, † vt Vlpianus ait in l. forma. in prin. de Censib. oportet profiteri agri qualitatem, an aruum sit; si vinea, & quot vites habeat, si oliuetum, quot arbores; si pratum, si pascua, si siluæ cæduæ. Ad quid hæc tanta diligentia? nonne ad fructuum modum respicit? hinc ideo si vites mortuæ sint, vel arbores aruerint, iniquum esse putat Vlpianus agrum, vt antea, in censum referri.

8

9

Constat igitur, explosa ea communi sententia, quam refert, & nihilominus refellit in eo §. vis maior. Fulgosius nu. 14. & 15. conductori non esse augendam pensionem ob incrementum qualecunque vel rei, vel fructuum; neque emphyteotæ argumento conductoris.

¶Si libet tamen fortassis has contrarias opiniones inuicem conciliare; optimè distinctio Pauli de Castro in l. cotem ferro. §. qui maximos. nu. 2. de Publicanis. deseruire poterit. Is ita scribit. Si augmentum † fructuum ex naturali, & consueto ordine contingat, pensionem nõ augeri. Quòd si inopinatus quis casus, & insolitus illud operetur, posse augmentum pensionis peti. vti si conductor molendini alicuius, propter vicinorum ruinam vberiores redditus consequatur. quod

10

exem-

exemplum Bartolus prior attulerat in eo §. vis maior. Vnde & ipsum hanc distinctionem sensisse, verisimile est. De Abbate sanè certò hoc asserere nos cogimur, ne sibi contrarius videatur. quippe qui in c. propter. de Locato. nu. 5. nō augeri pensionē scribit, aliàs non posset fieri cōpēsatio cū sterilitate præcedenti, vel subsequenti. quod & supra nos ex Salyceto diximus. in fine autem capitis, hoc exemplo molēdini proposito, contrarium concludit. Hanc distinctionem cōsiderauit Ant. quoque de Butr. in eo c. propter. nu. 20. & hanc esse communem distinctionem in proposito testatur Socin. Iun. in eo cons. 68. ad fin. de qua re Alb. Brun. de Augm. concl. 14. & reuera maximam sapit æquitatem. Nostræ tamen sententiæ nihil officit. neque efficit, vt propter incrementum vi fluminis allatum, pensio sit augenda: insolitum enim casum minimè dici oportet. quod cuiq; ad ripas fluuiorum prędia possidenti notorium censeo. notoria est etiā Theodosij constitutio, quæ partim legitur in l. fin. C. de Alluu. ibi *vitia alluuionum.* & reliquum recensuimus in cap. 10. huiusmet libri.

ARGVMENTVM.

¶ Auctis post mortem patrisfamilias facultatibus ex alluuione, vel aliter sine vllo hominis artificio, an augeatur legitima.

SVMMAE.

1 *Incrementum quantitatis, vti alluuionis, post mortem patris contingens an augeat legitimam. & nu. 15.*

2 *Falcidiæ legis ratio ineunda est secundùm quantitatem patrimonij, quod fuit mortis testatoris tempore.*

3 *Patroni legitima post mortem liberti per alluuionem nō augetur. & nu. 37.*

4 *Argumentum à lege Falcidia, & patroni legitima ad legitimam filiorum an sumi valeat.*

5 *An legitima ex æstimationis augmento incrementum accipiat post mortem patrisfamilias. & nu. 10. 11. & 14.*

6 *Explanatio l. in lege Falcidia. §. fin. Ad leg. Falcid.*

7 *Formale pretium) quale sit.*

8 *Præsens pretium) quod intelligatur.*

9 *In legitimam bona debent imputari, quæ filius alienauit; nec incrementum illis accedens à fideicommissario potest repeti.*

12 *Legitimæ ratio non potest iniri sine ipsa bonorum æstimatione.*

13 *Legitimæ portionis dominium filijs post mortem patris illicò videtur acqui-*

45 Legitima quocunque tempore vis triens, vel semis bonorum defuncti considerenda est.

46 Cum legitimæ ratio inquiritur, æstimatio à quantitate nunquã est separanda.

47 Legitima ex ipsis bonis, & rebus defuncti præstanda est, nec filio inuito pretium earum à patre, vel iudice potest assignari.

48 Legitima non est triens, vel semis æstimationis bonorum defuncti, sed triens bonorum ipsorum.

50 Aestimatio bonorum aucta hæredis opera, tota est ipsius hæredis.

CAPVT XX.

NVLLA fortasse quæstio vtilior, & quæ in foro frequentius versetur, in toto hoc opere tractari potest, quàm ea, qua quæritur, Si post mortem patrisfamilias sit auctum patrimoniũ per alluuionem, vel æstimationis incremento sine hominis artificio: augeatur nec ne legitima. Ideò diligentiore stilo examinanda venit. cum multas Doctorum inuicem dissidentium sententias habeamus, multifariam distinguentium, quin etiam leges ipsæ inter se ex aduerso de hac re decernere videantur. quæ res interpretum ferè omnium ingenia adeo conturbauit, & exercuit, vt nihil supra. Rem ipsam aggredior.

¶Multi igitur distinguunt inter incrementum quantitatis, seu corporum, vti alluuionis, fructuum, & similium, atque inter incrementum æstimationis, valorisue, vti si patrimonij æstimatio ex solo temporis cursu creuerit, quoniam prædia pretiosora effecta sint, quàm ab initio fuissent. Per incrementum namq; corporeum † legitimam minimè augeri concedunt: sed ea tantummodo bona in legitimam venire, quæ mortis tempore in defuncti patrimonio fuerunt. Sicut & pro ineunda ratione legis Falcidiæ † quantitatem patrimonij exquirendam à mortis tempore constituit Caius in l. in quantitate. in prin. & placuit Marcello in l. cum quo. in prin. ac Mætiano in l. in ratione. in prin. Ad leg. Falcid.

Sic legitima † patrono debita in bonis libertorum, aucto per alluuionem liberti patrimonio post mortem illius, non augetur, l. si papatronum. §. fin. de Bon. libert.

¶Quoniam notando, & disputando benè, & optima ratione veritas decernitur, vt hoc nomine ab Arcadio Herénius Modestinus commendatur in l. fin. §. mista. de Muner. & honor. de singulis distinctionum membris sigillatim, atque ideo de hoc priori primùm videamus.

Quod igitur ad legem Falcidiam, & patroni legitimam pertinet,

tinet, non videtur rectè inferri ab eis ad legitimam filiorum, quæ ex iure naturali est.l.pen.§. omnia igitur.ibi. *& ab eo naturalia debita percipere*. C.de Adopt. §. primùm itaque. Auth. de Hæred. & Falcidia. At Falcidiam, & patroni portionem constat esse ex vi iuris ciuilis. l. 1. Ad leg. Falcid. & l. 1. de Bon. libert. potior itaq;, & fauorabilior videtur filiorum legitima. & ita distinguit Glos. in l. si quis legatum. Ad leg. Cornel. de falsis, vnde iusta non datur † inter eos argumentatio, arg. l. si verò. §. de viro. Solut. matrim. & similium. Propterea quod in Falcidia, aut patroni legitima prohibitum est, id pariter in filiorum legitima prohibendum fore, non debet constitui.

4

¶Quòd verò ad alterum distinctionis membrum, ad incremẽtum scilicet æstimationis attinet: inde omnino legitimam † augeri contendunt. pro qua sententia vis fieri solet in l. in lege Falcidia. §. fin. Ad leg. Falcid. vbi in lege Falcidia corpora, si qua erunt in hæreditate secundùm præsens pretium æstimanda ait Vlpianus. Non itaq; eorum corporum pretium ad tempus mortis est referendum, sed secundùm præsens est æstimandum. vnde tantò minus legata minuentur per Falcidiam, quò maioris erunt pretij ea corpora, quàm essent mortis tempore. Sic arguit Rimin. Iun. in Cons. 148. nu. 9. lib. 2. atque dein respondet sub nu. fin. secutus Accursij interpretationem in eo §. fin. Quæ omnino reijcienda est: vterque enim latinæ locutionis amphibologia lapsus esse deprehenditur. quoniam non æstimatio secundùm præsens pretium illic proponitur, vt excludatur præterita æstimatio, qua cariora corpora illa à defuncto fortè fuerant comparata. hic nanque sensus diuininationem penitus sapit. Iusta igitur responsio, & sanus illius legis intellectus huiuscemodi est. † illic non quæritur, quod tempus in ineunda ratione legis Falcidiæ attendatur, an mortis testatoris, an petitionis. quæritur tantummodo, qua ratione, quòve pretio in Falcidiæ computatione, bona hæreditaria debeant æstimari. propterea ibi statuitur, vt corpora hæreditaria secundùm rei veritatem æstimentur, hoc est secundùm præsens pretium, non formali pretio. Sic ait Vlpianus. quæ verba expone, vt scilicet secũdùm illud pretium æstimentur ea corpora, quo venderentur præsenti & numerata pecunia. verum enim est illud pretium. quod de formali pretio dici nequit, idest † de singulari pretio, siue eo, quod quisque sibi ex affectione format, & fingit (in hoc enim sequor Accursij expositionẽ.) Cui interpretationi optimè astipulatur lex illicò subsequẽs, ad hoc fortasse à Pandectarum compositoribus statim apposita, scilicet l. pretia rerum. Vbi per Paulum statuitur, pretia rerum non ex affectu, nec vtilitate singu-

5

6

7

lorum, sed ex communi vtilitate fingi aut formari debere. vnde paulò post subinfertur, illum, qui filium alienum possidet, tantum non habere, quantum eum patri vendere potest. Nec esse expectandum, dũ vendat, sed in præsentia non quasi filius alicuius, sed quasi homo æsti mari oportet. Præsens † porrò pretium, seu præsentem pecuniam eleganter accipi pro pecunia, quæ sit in promptu, & numerata, constat sæpe sæpius apud latinos auctores. vnde pecunia repræsentata dicitur, quæ iam ante numerata sit. quo sensu repræsentatam pecuniam dixit Vlpianus in l. cum hi. §. eam transactionem. ac præsentem pecuniam in §. vult igitur. de Transaction. Sic & Cicero pro Cluentio. *pecuniam* (inquit) *præsentem non debitam soluit mulieri.* Sic & Plaut. in Pœn. *Venditq́ has omnes & nutricem & virgines præsenti argento homini.* nihil itaque ad rem facit eà l. in lege Falcidia. §. fin. Reliqua percurramus.

8

9

¶Rursus inquiunt. Si filius † fideicommisso grauatus potest bona restitutioni supposita alienare vsque ad legitimam; vt propterea illa sint sibi in eam imputanda, nec à fideicommissario possint ab emptore reuocari, vt placet Baldo in l. iubemus. C. Ad S. C. Trebell. & expressim probat Castren. in l. Marcellus. § res quæ. in fi. ff. Eod. arg. §. quamobrem. Auth. de Restitut. & ea quæ par. &c. atque ideo in ipsa fideicommissi restitutione fideicommissarius æstimationem præsentem fundi alienati à filio petere non potest; si forte tum minoris sint distracta prædia, quàm nunc æstimentur ob incrementum pretij, quod cursu temporis sit auctũ; ne filius, qui lege permittente alienauit, deceptus videatur, contra l. Graccus. C. de Adult. quod probat Ias. in toto cons. 161. lib. 4. Consequens est superioribus, vt augmentum æstimationis lucro filij non alienantis pariter cedat, atque illi, qui distraxit. ne durior constituatur conditio filij diligentis, quàm sit conditio disperdentis.

10

His ita respondetur. † Si iusta esset hæc argumentatio; quod de incremento æstimationis dicitur, idem & de incremento quantitatis oporteret constitui, vt vtrunque legitimam augeret: quod nullatenus esse concedendum, inferius ex receptissima omnium sententia dicam. Magis est igitur, vt aut falsam argumentationem dicamus, de qua mul tùm dubitari constat ex Rimin. Iun. in eo cons. 148. lib. 2. Aut ideo æstimationis incrementum fundi alienati per fideicommissariũ non posse repeti à filio: quoniam is fundus post alienationem in patrimonio, & bonis defuncti esse desierit. & hoc sit non fauore filij, sed ratione fideicõmissarij; ne petat illud, cuius contrariũ, si diminuta fuisset æstimatio, non fuisset postulaturus. l. pen. C. de Solution. cũ vulgar.

In hanc sententiam † præterea, & in hanc distinctionem descendit ista ratione Bertrand. in cons. 141. nu. 16. lib. 2. Si legitima est portio bonorum ex substantia patris, atque ex ipsis corporibus detrahenda, vt constat ex l. Papinianus. §. quarta. de Inoff. testa. ex l. cum quæritur, & Auth. nouissima. C. Eod. & dicimus æstimationis incrementum non ad filium, sed ad hæredem pertinere, atque ideo bona secundùm præsentis temporis æstimationem adauctam esse assignanda: futurum est, vt portio legitima admodum diminuta præstari contingat. Veluti si ex L x. iugeribus defuncti, legitima fuisset x x. iugerum, ac ideò tum ducentorum aureorum, æstimato denis aureis vnoquoque iugero: quæ nunc demum ex prolixitate temporis, singula vicenis æstimetur: & propterea decem tantummodo iugera, quoniam ducentis valeát, pro viginti præstentur: dimidio minor erit ipsa legitima. quod minimè videtur concedendum. 11

Huic argumento sic occurrit Rimin. Iun. in eo cons. 148. nu. 46. Quoniam in ineunda ratione portionis † filio debitę non solùm quantitatis bonorum, sed æstimationis ratio simul necessario debet haberi (non enim omnium corporum, & prædiorum idem est & vniforme pretium.) Si petitionis tempore tot bona tradantur, quæ antiquã illam æstimationem impleant, legi satisfactum esse dicendum est: vt triens, vel semis bonorum, quæ fuerunt mortis tempore, assignatus habeatur. Tot prædia, quæ centum æstimarentur, debitam portionem mortis tempore referebant; tot prædia igitur, quæ nunc centum æstimentur, accipiat filius. 12

Postremum (vt cætera leuiora præteream) illud est, quod inquiunt. Si portionis legitimæ dominium † post mortem parentis illicò filijs acquiritur. l. 2. C. Quando & quib. quart. pars, &c. lib. 10. Vnde ex die mortis patrisfamilias fructus filio debentur, vti probat Glos. 1. in fin. in l. in fideicommissaria. Ad S. C. Trebell. quam communiter receptam testatur Alex. atque ideo ita respondit in cons. 127. nu. 2. lib. 6. quorum fructuum perceptio arguit dominium. l. Herénius. i. de Vsur. Si propterea bona ipsa, non eorum æstimatio præstari debet, quod conijcitur ex ea l. cum quæritur. ibi. *quartam bonorum partem*. ex Auth. nouissima. illic *ex substantia deficientis*, atq; ex l. scimus. §. repletionem. C. de Inoff. testa. & placet Bar. in l. suus quoque. in fine prin. de Hered. instit. æquum videtur † incrementum, quod bonis filio acquisitis accesserit, ad filium pertinere. Et hac ferè ratione hoc probat Corn. in cons. 265. nu. 7. vol. 1. qui præterea in rem hanc sumit argumentum ex l. non amplius. §. fin. cum l. seq. de Leg. 1. & ex l. generali. §. fin. 13 14

de Vſufr. quæ tamen nihil ad rem faciunt, vt legendo per ſe patere poteſt. qui nihilominus ſectatorem reperit Hier. Gratum, qui in conſ. 79. in fi. lib. 2. hanc probat ſententiam, ſed nulla lege, vel ratione comprobat, quos ſequitur Fabian. in Repet. illius Auth. Nouiſſima. nu. 87.

Quod ad hanc argumentationem pertinet, poteſt reſponderi; mortis tempus in ineunda ratione legitimæ eſſe conſtitutum in l. cum quæritur. C. de inoff. teſtam. Ideo quicquid patrisfamilias bonis acceſſerit poſt eius mortem, extra hanc computationem venit dimittendum. cum nihil afferatur, quo à legis diſpoſitione indiſtincta ſit recedendũ. aliàs non tempus mortis, ſed aliud quodcunque veniret attendendũ. & hac eadem ratione incremẽtum quantitatis pariter deberet filijs acquiri. quod vno ore ab omnibus reicitur, vt paulò poſt dicam.

Hic prætermitto ea, quæ proponit Bald. ad hoc in conſi. 23. lib. 4. vbi primus omnium inter incrementum quantitatis, & qualitatis, ſeu æſtimationis diſtinxit. & vim facit in l. in hac. & in l. fin. de Cond. tritic. in l. non ſolum. de Rei vendicat. in l. in ratione. Ad l. Falcid. ac in l. mulier. §. ſed enim. Ad S.C. Trebell. quoniam hæ leges aut nihil ad rẽ, aut ex ſuperioribus earum uis retunditur.

¶ Alij porrò non ſolùm æſtimationis augmentum, ſed & quantitatis † incrementum cenſent lucro filiorum pro rata legitimæ portionis cedere. in quam ſententiam aliàs vir doctiſsimus ex nonnullis, quæ ſuperius dicta ſunt, argumẽtabatur, & prçcipuè (nec in ſubtiliter ſanè) ex ea l. ſi patronum. §. idem eſt in alluuione. de Bon. libert. vbi Paulus in hæc verba ſcribit. *Idem eſt in alluuione, cum ſatisfactum ſit ex ijs bonis, quæ mortis tempore fuerunt.* Quorum ſenſus huiuſmodi eſſe videtur. patronus pariter ab incremento alluuionis excludendus venit, quoniam debitam portionem ex bonis, quæ mortis tempore fuerunt, iam ſit conſecutus. quaſi ſi nondum illi foret ſatisfactum, portionem incrementi poſt liberti mortem contingentis fuiſſet conſecuturus. Vnde ſi in patroni legitima hoc dicimus: eò magis in filiorum legitima, quæ longè fauorabilior eſt, oportet conſtitui.

Cui interpretationi optimè conueniunt ea, quæ ad illam l. explanandam dicentur inferius.

Cæterùm huic ratiocinatio huic legi minimè poteſt conuenire; ne ab iſta intellectus conuerſione contrarius legi alteri ſenſus reſultet cõtra l. 2. C. de Cond. inſert. ſi quidem, vt Vlpianus inquit, *debitam partem eorum, quæ cum moritur, libertus habuit, patrono damus. mortis enim tempus ſpectamus.* quod legere eſt in l. etiam ſi. §. fi. de Bon. libert. Proinde quæ poſt mortem liberti, eius bonis acceſſerunt, ad patronum pertinere

non posse, expressim inde colligimus. Dicamus igitur † *Idem est in alluuione, cum satisfactum sit ex ijs bonis, &c.* ideft cum præsertim satisfactum sit ex ijs bonis &c. quoniam duabus rationibus æquè principalibus excluditur illic patronus ab incremento alluuionis. altera est, quoniam erat ei satisfactum ex bonis, quæ mortis tempore fuerunt. altera verò, quia post mortem accesserat alluuio. quarum rationum vtraque satis fuit ad illum excludendum. Nec obstat, quod in proximo superiore §. constituitur. nam illic agitur de incremento originem trahente à tempore ante mortem liberti, vt inferius dicam: quod de alluuione non intelligitur. Neque etiam obstare potest ea oratio † *idem est.* intelligo enim idem esse re ipsa, quòd scilicet patronus excluditur; non idem per omnia esse & re, & ratione cum superiore casu; quos inter se differre palàm est. sic & aliàs Accursius ea verba interpretatur in l idē est. Ad S. C. Velleian. & alibi sæpè. Et sanè quid prodest, mortis tempus esse in hac re definitum; si quod postea contingit, indistinctè variationem habet inducere?

16

17

¶ Nonnullis † autem, vt Polito in Repet. l. filius quem habentem. nu. 160. C. Famil. erciscun. sub obscuro verborum inuolucro, sed in hunc sensum (ni fallor) placuit distinguere. Si ex bonis, quæ mortis tempore fuerunt, certa corpora filio, vel patrono à testatore relicta sunt, quæ ad debitam eis portionem sufficiant: propter augmentum quodcunque postea contingens filio, vel patrono inofficiosi querelā ad rescindendum testamentum (vti mos erat antiquo iure) æquum est non competere. cum testator, quæ futura erant, præcauere non potuerit. l. 1. §. illa. de Dolį mali & met. except. Quòd si non certa corpora, sed simpliciter debita portio, aut quid minus, quod supplemento indigeat, relictum sit: cum eo casu, quo relicta est integra legitima cessaret etiam antiquo iure inofficiosi querela; & eo, quo minus legitima relictum sit, iure nouissimo, quo vtimur, adhuc cesset: atque iccircò vtroque casu iam cesset querelæ ratio; debet pariter cessare ratio auferendi liberis hæc incrementa. Sic inquit Politus ex ea l. si patronum. §. pen. & fin. cuius sensum huiuscemodi esse, arbitratur.

18

Quæ distinctio † omnino explodenda est. tum quia & in fine ipsius l. si patronum. debita portio in hæreditate, vel legato, non in certis corporibus simpliciter patrono assignata proponitur. tū quia incrementum ad patronum non pertinere illic statuitur non metu querelæ, sed quoniam post mortem accreuerat. Et sanè nulla differentiæ ratio inter vtrunq; casum potest afferri. & distinctio, an sint relicta certa corpora, vel sit relicta certa portio, verborū est penitus, non rerum.

19

Adde præterea, quòd bonorum possessio patroni, cui partim quoquomodo sit satisfactum, testamentum totum nõ infringit, sed pro rata tantùm portione. vt annot. in l. illud. de Bonor. possess. sicut & hodie de filio statutum est in l. omnimodo. C. de Inoff. testa. Ideò testamenti rescindendi ratio per Politum proposita, suæ distinctioni non deseruit.

Postremò adde, quæ paulò post dicentur in eius l. si patronum. explanatione, quibus optimè ista distinctio confunditur.

¶ Quibusdam etiam visum est, ita posse distingui. An mora vlla filio possit imputari, qui separationem legitimæ non petierit: & eo casu, cum mora semper obesse consueuerit. l. quod te. Si cert. petat. c. mora. de Reg. iur. in 6. incrementum omne ad hæredem pertineat, nec inde augmentum vllum accipiat legitima. Sin autem nihil est, quod eius culpæ, aut negligẽtiæ possit ascribi; vti qui fortè testamentũ, & fideicommissum extare ignorauerit; qualis ignorantia semper in filio hærede præsumitur. l. eius qui in prouincia. in fi. Si cert. petat. Iasin l. qui Romæ. §. duo fratres. nũ. 56. de Verbor. oblig. æquum esse existimant, filium pinguiorem accipere legitimam; qui si testamẽtum paternum rescisset, ac separationem impetrasset; illud incrementum fuisset cõsecuturus. Quæ distinctio Curtio Seniori ferè probatur, vt legere est ad finem consilij eius vltimi. & expresse comprobat Rimin. Iun. in eo cons. 148. num. 48. vbi hac ratione distinguens respondit ei argumentationi, quam superius recensuimus: cum incrementum post mortem testatoris accedens fundo per filium grauatum alienato, à fideicommissario non posse reperi propositum est, & propterea filij lucro cedere. vnde idem de filio non alienante videbatur quoque constituendum.

Veruntamen hæc distinctio mihi non probatur. quoniam generaliter, & indistinctè † Imperator Antoninus constituit in l. cum quæritur. C. de Inoff. testa. mortis tempus esse inspiciendum in ineunda ratione portionis filio debitæ; nec moram, diligentiam, vel ignorantiam aut ipse considerauit, aut nobis considerandam proposuit. quod pariter statutum est in Auth. nouissima. C. Eod. Si verba illa *ex substantia deficientis* perpendantur. Propterea potest coniectura capi, nec Imperatoris esse sententiam, vt ita distinguatur, vulgata. l. de pretio. de Public. in rem action.

¶ Non defuerunt † alij præterea, qui data etiam scientia testamenti paterni, distinxere, An filius ipse sit ex asse, vel parte aliqua hæres institutus vltra legitimam portionem. tum etenim, quoniam videtur legi-

timam

timam consequi ex patris voluntate, augebitur legitima ex augmento post mortem patris contingente. Quòd si constat filium detrahere legitimam cõtra patrisfamilias voluntaté, vti qui nec in legitima integra sit institutus, incrementum ad filium non pertinebit. Quæ distinctio probari solet ex legum duarum inuicem ex aduerso (vt hucusque visum est) pugnantium reconciliatione. hæ sunt l. serui qui. Ad leg. Falcid. & ipsa l. si patronum. §. si ex bonis. de Bon. libert. in quarum † altera, & priore statuitur, seruos, qui apud hostes erant, post testatoris mortem reuersos, quod ad legem Falcidiam pertinet, locupletiorem facere hæreditatem; ita vt legata integra præstari debeant per hæredem perinde, ac si mortis tempore in hæreditate extitissent: ius enim postliminij & in seruis captis inde redeũtibus agnoscitur. l. postliminium. §. transfugæ. de Cap. & postlim. reuers. Hoc incrementum igitur, quod post mortem testatoris contingit, hæredi non acquiritur vti ipsius, & ex eius re proueniens, sed tanquam iure hæreditario acquisitum in Falcidiam imputatur. At ex l. si patronum. §. si ex bonis. deprehenditur (vt inquiunt) seruum post mortem liberti reuersum ab hostibus patrimonium non augere, vt ideo non debeat in ineunda ratione portionis patrono debitæ computari; sed hæredi totum iure suo acquiratur perinde, ac si post mortem liberti ex hæredis ipsius patrimonio processisset, neque mortis tempore in hæreditate fuisset. Vt propterea nullum incrementum accipiat patroni legitima. Ad conciliandas † ergo duas hasce leges, quæ omnium ferè Doctorum ingenia mirificè exercuerunt: & in quibus inter se componendis insudarunt inter cæteros Salyc. in l. scimus. §. repletionem. nu. 9. C. de Inoff. testa. Castren. in l. in quãtitate. Alex. in l. in ratione. 2. nu. 6. & in ipsa l. serui qui. vbi & Cuman. Ad leg. Falcid. Iason in Auth. nouissima. nu. 5. Corras. in l. filius quem habentem. nu. 186. C. Famil. ercis. & postremò Rimin. Iun. in eo cons. 148. nu. 52. Ad has leges itaque conciliandas ex multis differentiæ rationibus præcipua hæc solet proponi. In l. serui qui. incrementum patrimonij iccircò proficere legatarijs, ne ex detractione Falcidiæ eorum legata minuantur: quoniam secundùm testatoris beniuolam voluntatem accipiuntur legata; quod de legitima patroni non dicitur, quæ ex legis iussu, atque contra libertorum mentem detrahatur. Hæc autem distinctio proponitur à Curt. sen. in cons. vltimo in fi. si rectè animum aduertimus. Sic (vt in re nostra fere inquit Castren. in ea l. in quantitate.) Trebellianica fauorabilior est, quæ detrahitur ex voluntate testatoris, quàm quæ contra voluntatem; prout manifestè colligitur ex l. Titia. Ad leg. Falcid. Qua-

22

23

propter videtur, filium hæredem institutum, atque ideo ex patris voluntate præsumpta detrahentem legitimam debere incremẽtum post mortem parentis contingens pro rata consequi.

24 Sed hæc quoque distinctio † ex multis improbanda venit præter eam rationem, qua proxima superior distinctio reiecta est. In primis aio legitimam à filio etiam instituto, à quo fideicommissum sit, contra † mentem testatoris detrahi, nisi expressim ea detractio permittatur. Cuius rei mihi argumentum est, quod de Falcidia constituit Accur. in ea l. Titia. in Glossa pen. vbi Falcidiam cõtra testatoris mentem in dubio detrahi præsumendum ait, arg. l. 1. C. Ad leg. Falcid. quæ præsumptio & in legitima filiorum viget penitus. nam si pater iussit simpliciter hæreditatem alteri restitui, & detrahitur legitima: cui dubium, voluntati paternæ non obtemperari? Cuius l. argumento ita etiam inquit Alex. in cons. 139. in prin. lib. 1. & communem esse sententiam ex Curtio seniore testatur Ripa in l. in quartam. nu. 114. Ad leg. Falcid.

26 Rursus differentiæ ratio, quam inter patroni legitimam, † & legata constituunt Doctores, tollitur omnino per Africanum in l. liberto octoginta. de Bon. libert. quo loci ipse argumentatur ab eo, quod statutum est, ne legata diminuantur, ad sententiam suam comprobandam, ne legitima patroni deficiat. nec apud illum hæc voluntatis beniuolæ, vel repugnantis coniectura quicquam operatur. Cum enim ex lege Papia, si liberti minores centenarijs essent, ab eorum successione patroni penitus excluderentur. §. sed nostra. Institut. de Success. libert. legatum liberto factum, cuius dies cesserat ipso liberto decedente, perinde in bonis defuncti, licèt eius hæres illud repudiauerit, computandum ait Africanus, ac si fuisset agnitum, vt libertus maior centenarijs videatur: & possit patronus partem debitam vendicare. nam (sic infert) *& si de lege Falcidia quæratur: tale legatum quamuis repudiatum in quadrantem hæreditatis imputatur legatarijs.* quod itaq; legatarijs prodest, idem patrono prodesse debere existimat hic Africanus.

27 Postremò nullam inter has leges esse antinomiam † censeo, si rectè intelliguntur; & quod in l. si patronum. deficit, ex l. siue libertus. §. ex duobus. de Iure patron. suppleatur; in qua eadem ferè quæstionis species versatur. De vera igitur lectione, & intellectu ipsius l. si patronum prius videamus.

28 Nihil inter se differre has orationes † [debitã partem esse datam,] & [debitã portionem patrono esse assignatã;] quin earũ eundem esse, & vniformem penitus sensum, nemo potest dubitare. quoniam sæpè sæ

pius pro eodem accipi legimus & præsertim in l. etiam si. §. si debita, in l. libertinus, in l. si patronus, atque in l. si libertus: de Bon. liber. & alibi, vt vnicuique perquirenti constare poterit. Rem ipsam aggredior. Terentius inquit in ea l. siue libertus. §. ex duobus. *Si ex duobus patronis vnus ex parte debita hæres institutus sit, contra tabulas bonorum possessionem petere non poterit: licèt si minor ei portio esset relicta, & contra tabulas bonorum possessionem petisset, alia etiam portio ei accrescere potuisset.* En ex augmento contingenti post mortem liberti, patroni legitimam non augeri, vbi ipse in testamento debitam partem assecutus sit. quod I.C. si minor illi foret relicta portio, eum fuisse consecuturum expressè nobis insinuat.

Sic itaque distinguitur † in l. si patronum. §. si ex bonis. *Si ex bonis* (inquit Paulus) *quæ mortis tempore fuerunt, debitam partem dedit libertus in hæreditate, vel legato: serius tamen post mortem liberti reuersus ab hostibus augeat patrimonium: non potest patronus propterea queri, quòd minus habeat in seruo, quàm haberet, si ex debita portione non esset institutus.* Ita enim lego. aliàs † si dictio *non* omittitur, necesse est, vt dicamus illas orationes *debitam partem*, & *debitam portionem* inter se differre, quod nullatenus potest admitti salua ratione recti sermonis. & cum nulla differentia possit assignari, nullus, huius legis sanus intellectus esset futurus. Minus † autem expone pro nihil. sic in l. illud. §. si cuius. de Tribut. actione. ille dicitur minus soluisse, quàm debeat, qui nihil soluit.

29

30

31

Sed inquient fortasse aliqui; ergo si patronus aut non fuerit institutus, aut ex minori portione: incrementum omne post mortem liberti contingens pro rata parte consequetur, contra Vlpiani regulam in l. etiam si. §. fin. de Bon. liber. vbi mortis tempus spectandum cõstituit. Nos autem ita occurremus: Aut † incrementum nunquam vel in rerum natura fuit, vel in bonis defuncti, nec spe probabili potuit in eius patrimonio computari: & tunc indistinctè siue institutus, vel præteritus fuerit patronus, nihil ex eo augmento consequetur. qualia dici possunt incrementa fluuiatica, & ita intelligerem ipsam l. si patronum. in §. idem est in alluuione. quod & superius enarrauimus, vbi de eo §. actum est. atque ita etiam intelligerem Vlpiani regulam in illo §. fin. expressam. Aut illud incrementum & fuit in rerum natura, & aliàs in bonis liberti spe saltem probabili: & hoc casu superior distinctio sibi locum vendicat, quoniam in eo §. si ex bonis. quæritur de seruo liberti ab hostibus post eius mortem reuerso, qui fictione legis Corneliæ etiam, iureq; postliminij in bonis liberti semper fuisse censendus est l. postliminium. §. transfugæ. de Captiu. & postlim. reuers. Sic & in ex-

32

quirenda patrimonij quantitate pro ratione legis Falcidiæ ineunda, cum mortis tempus inſpiciatur, l. in quantitate. in prin. Ad leg. Falcid. legata tamen, quæ legatarijs non acquiri ex quauis cauſa contigerit, ſiue voluntatis, ſiue neceſſitatis fuerit; in quartam hæredi aſcribūtur l. non eſt dubium. cum l. ſeq. Eodem. quod Marcellus his verbis generaliter conſtituit in l. ex aſſe. in fi. Eodem. *Quacunque ex cauſa* (inquit) *legata non præſtantur, imputantur heredi in quartam partem.* ſic intelligo illud, quod in fine eius l. ſi patronum. de legato, vel hæreditate nō agnitis, liberti bonis accreſcentibus conſtituit Paulus.

Conſtat igitur (vt ad rem noſtram redeamus) in l. ſi patronum. §. ſi ex bonis. nō abſolutè decerni, ſeruum liberti poſt eius mortem reuerſum patroni legitimam non augere; ſed ita demum ſi fuerit ex debita parte inſtitutus patronus: alioquin pro rata portione & hunc ſeruum patrono acquiſitum iri, aperte proponit Paulus iuriſconſultus. Hoc idem, & non aliud per eundem Paulū decernitur in ipſa l. ſerui qui. Seruos etenim, qui apud hoſtes erant, poſt mortem teſtatoris reuerſos, quod ad legem Falcidiam pertinet, locupletiorem facere hæreditatem, cenſet; hæredi ſcilicet in quadrantem hæreditatis imputari, ne legata minuantur, vel minus quam fieri poſſit. Nullam itaque inter has leges eſſe antinomiam apertè perſpicimus; quinimo inter ſe fore admodum ſimiles; prout & Accurſ. in eo §. ſi ex bonis. exiſtimauit, vbi eam l. ſerui qui. vti ſimilem allegat. Sic igitur Doctorum controuerſiæ tolluntur. Sed de his ſatis.

34 ¶ Plerique verò † ex interpretibus indiſtinctè cenſuerunt, non ſolùm incrementum quantitatis, ſed etiam æſtimationis poſt parentis mortem contingens, totum cedere hæredis commodo, vel fideicommiſſarij, nec legitimam inde augeri debere. cuius ſententiæ fuit in primis Baldus in cōſ. 22. in fi. lib. 4. vbi de æſtimatione expreſſim reſpondit. & Caſtren. in l. in ratione 2. nu. 3. Ad leg. Falcid. quem ſequitur illic Alex. nu. 5. & expreſsè probat Iaſ. in Auth. nouiſſima. nu. 4. 5. & 6. C. de Inoff. teſt. vbi neminem, qui diſſentiat, ſe legiſſe profitetur. atq; ita reſpondit Cur. ſen. in conſ. fin. & toto eo cōſilio latiſſimè hanc opinionem tuetur, à qua vti communiter recepta iudicando recedere nefas exiſtimat; quæ quoque Nattæ placuit (ſed obiter) in conſ. 156. nu. 6. lib. 1. & eam poſtremò Rimin. Iun. in eo conſ. 148. lib. 2. vberrimè perſecutus eſt, atque iterum ex facto interrogatus ita reſpondit in conſ. 227. eodem libro. quo loci prius illud reſponſum ad verbum ferè tranſcriptum eſt.

Horum autem omnium argumentationes ſunt hæ præcipuè. Le-

gitimat est portio bonorū, semis vel triens eorū. s. quę filius habiturus fuisset ex substātia patrisfam. si intestatus decessisset l. Papinianus. §. si quis mortis. & §. quarta. de Inoff. testam. coniuncta Auth. nouissima. C. Eod. propterea hæc cōputatio ad tēpus mortis patrisfamilias refertur, vt expressim est constitutū ab Imperatore Antonino in l. cū quæri tur. C. Eod. Eorū itaq;, quę post mortē paternā accedūt hæreditati, ratio haberi nō debet in ineunda ratione legitimę: cū indistinctè, ac generaliter ad mortis tēpus deferri hāc cōputationē, paulò ante dixerimus. Huic argumento sic occurritur. Si, quod ad augmentum æstimationis pertinet, ab eo excludit filij legitima: futurū est, vt ipse qn̄q; nō habeat triētē vel semissem bonorū, quæ mortis tpe fuerūt; qd̄ paulò post latiore stylo sum demōstraturus. ¶ Rursus inquiunt. Sicut in ratione legis Falcidiæ exquirēda, in qua mortis tēpus esse obseruādū ait Marcellus in l. cū quo. in prin. Ad leg. Falci. incrementa, quæ post mortē testatoris obueniunt, hæredibus acquiruntur, nec in Falcidiā veniunt. l. in ratione 2. in prin. l. in quantitate Eod. idem & in filiorū legitima venit dicendū, prout Castren. illic, & Alex. (vt dixi) in rē hanc argumentantur. Sic & in assignāda patrono legitima, qm̄ debitā partē eorū (vt ait Vlpianus) quæ cū morit, libertus habuit, patrono damus. mortis. n. tp̄s spectamus vt legere est in l. et si. §. fi. de Bon. libert. ideo † qd̄ post mortē liberti, eius patrimonio per alluuionē accesserit, id omne hæredum lucro cedit, nec inde patroni legitima vllatenus auget. Quibus legibus, & præsertim his vltimis quàm maximè nituntur Doctores oēs; & eas inter singularia loca retulit Rom. in Sing. 128. neque illis posse responderi per vniuersum orbē contendit Curtius senior in eo cons. fin. vt ipsius verbis vtar. Sic quoq; cōstitutione Diui Pij cauetur de impubere adoptādo, vt ex bonis quæ mortis tpe illius, qui adoptauit, fuerint; quarta pars ad eū ptineat, qui adoptatus est. vt scribit in hæc verba Paulus in l. fin. Si quid in fraud. patro. &c. ¶ Vulgò solet rñderi; in locis his agi de incremēto quantitatis; nos quærere de incremēto æstimationis. & licèt in ea l. in quātitate. patrimonij quātitas, quæ fuerat mortis tpe per ęstimationē à Caio exquiratur; augmētiq; ex partu ancillarū, & ex fœtu pecorū postea contingentis fiat itidem supputatio per ęstimationem, ac illud æstimationis incrementū ad hęredē tātum spectare constituat Caius: nihilominus superiori sn̄iæ hoc nequit prodesse; qm̄ & adhuc constat æstimationē illic auctā ob augmētū ipsorum corporū, sine quibus minimè contigisset æstimationis incrementum. vnde ad rē ipsam nihil ea res pertinet, ad æstimationē videlicet, quæ nō corporū accessione, sed sola tpis prolixitate cōtigerit. de qua in pręsens quęrit.

35

36

37

Postremò hanc sniam huiusmodi rōne confirmat. qm̄ si futuri tpis æstimatio debet attendi,legitima nunquā limitata,semper incerta censebitur,quod asserere per absurdū est. Sic ait Iason in ea Auth. nouissima.nu.6.sic & Corrasius in Reper. l. filius quē habētem. nu. 185. C. Famil.ercis. Sed hæc argumentatio facili negotio diluitur.nam si patrimonij quantitas,si æstimatio,quæ mortis tpe fuerit,exquiretur:quę incertitudo, aut quid aliud debitæ portionis rationem impediet?

¶Hactenus Doctorum oīum,quos legerim,opiniones recēsui:quarumvis ēt pertētata est. in qua re(si meū in tā perturbata quæstione licet interponere iudiciū) ex oībus adhuc vsq; disceptatis ita posse rē totam cōponi,& breuiter dilucideq; decerni crediderim. Si quæritur de incremento quantitatis:nulla adhibita distinctionene censeo,legitimā minimè † augeri deberē,tū ex eo,quod & in ineunda ratione legis Falcidiæ,& in inquirenda debita patroni portione statutum legimus: tum ex auctoritate l.cum quæritur.C.de Inoff.testa.vbi (sicut & antea diximus) legitimæ computatio apertè,& indistinctè ad mortis tempus refertur. alioquin frustratoria foret illa cōstitutio. Quod autem ad rationē legis Falcidię,& ad patroni legitimā pertinet:rectissimè ab his ad nostram disceptationē argui † posse,palàm est:qm̄,si tātus fauor in conseruādis legatis,ne diminuātur,agnoscitur,cū ex beniuola testatoris voluntate procedant;quantus sit ille,qui pro legitima filiorū augenda potest cōsiderari,quæ verius contra patrisfamilias voluntatē detrahitur, vti superius cōprobatū est: Cur incrementū quantitatis post testatoris mortē cōtingens legitimā augere habet,quod legatis nō proficit,ne per Falcidiā diminuantur? vt habetur in ea l.in ratione,& in ea l. in quantitate.à quibus hac rōne debet sumi argumentum;cū illic de legatis minuendis,vel non minuendis per legē Falcidiā præcipuè quęratur. Vbi igit̃ par saltē est fauoris causa,par sit quoq; iuris cōstitutio; vt inde nō augeatur legitima, vnde legata imminuta cōseruari nequeūt. Licèt iustius esset hic vti argumēto; quod solet desumi ex Auth.multò magis.C.de Sacrosan.Eccles.quod cōuenientius profectò intētaretur.

Quod verò attinet ad patroni legitimā: si ab ea ad legitimā filiorū argumentatur Iustin.† in l.fi.C.de Inoff. testam. quid prohibet & nos ab ea ad hanc inferre? Sicut.n.patronus legitimā petere nō pōt in libertorū bonis castrēsibus,vel quasi;nec ideo licèt preteritus sit, agere inofficiosi querela l.si filius qui.§.Papi.de Bon.liber. hoc idē ius quoq; huius rei argumēto,illic Iustiniano † placuit constituere in bonis alterius cuiuscunq; dūmodo castrēsibus, vel quasi: vt tū patrisfamilias testrīd filio, qui sit præteritus per inofficiosi querelā rescindi nō possit, & hac

38

39

40

41

ratione

ratione filius quisq; à legitima in bonis castrensibus rẽ aneat exclusus. Quapropter interpretes oẽs illic Bald. Saly. Iason, & cæteri generaliter inde constituunt, licere in dubio à patroni legitima ad filiorũ legitimã arguere. de qua re Euerardus in suis Argumentorum locis, in loco A legitima patroni ad legitimã filiorum. Et hoc in proposita specie eò magis licere videtur, quò magis similis est arguendi locus. Cum & à Iustiniano, atq; à nobis pariter sumatur argumẽtũ à patroni legitima ad inducendã legitimæ filiorũ diminutionẽ. Incrementũ igitur quãtitatis, quod post mortẽ testatoris contingit, legitimã nõ augebit. quæ sententia neminẽ ferè contradictorem habet. Vel frequẽtiori saltem calculo eã recipi, est exploratũ. Vnicũ casum tantũ excipio; † si incrementũ trahat originẽ à tpe ante mortẽ testatoris re, vel spe. vti dicitur de seruo ab hostibus reuerso in l. serui qui. Ad leg. Falcid. & in l. si patronũ. §. si ex bonis. de Bon. libert. vti si debitoris, qui non erat soluendo, ampliatæ sint postea facultates. l. cum quo. in prin. ibi. *& ego quæram.* Ad leg. Falc. Vel si legati, aut hæreditatis portio abstinente cohærede, vel collegatario, post mortẽ patrisfamilias eius portioni accrescat, vt habetur in ea l. si patronum. in fi. & sic de singulis. Quoniam & diminuto simili modo post mortem patrisfamilias patrimonio, tantò minus in eo fuisse censetur in l. in ratione. 1. §. 1. Ad leg. Falcid.

42

¶ Si verò quæritur de æstimationis incremento; in hoc oĩno filiorũ legitimam † augeri, citra hæsitationẽ existimo. q̃m si mortis tẽpus præscribitur in ea l. cũ quæritur, quo iniri debeat legitimæ ratio: sicut eius tpis patrimonij quãtitas inspicitur; pariter & illius, non futuri tpis æstimatio bonorũ debet attendi. cũ nec sine æstimatione † vera quantitas, quæ pro legitima debeatur, tũ exquiri possit. Cum itaq; tractabitur de separanda, & assignãda filijs legitima, simul eadem quantitas bonorũ, & eiusdẽ æstimationis tradi oportebit, quæ simul mortis tpe fuisset tradenda: in cuius tpis articulũ iccircò legitimæ exquirendæ ratio confertur. vt, cũ legitima † sit triens, vel semis bonorum, quæ mortis tempore fuerunt, quolibet tempore eiusdem quantitatis existat. Aliàs si separamus † æstimationem à quantitate, vt secũdùm Rimin. Iun. in eo cõs. 148. nu. 46. æstimatio antiqui temporis in tot bonis, æstimatis præsentis temporis æstimatione, pro legitima portione bonorum defuncti assignetur: futurum est, vt ex Bertrando superius diximus, quod non perpetuò triens, vel semis, sed minus triente, vel semisse eorum bonorum, quæ mortis tempore fuerunt, filius quandoque consequatur.

43

44

45

46

Quam sententiam apertiori, & validiori argumentatione confirmo. Secundùm quantitatem † rerum, quæ mortis tempore fuerunt,

47

exquiritur legitima filiorum, vt in ea l. cum quæritur. quæ legitima omnino ex ipsis rebus præstari debet, nec æstimatio potest solui filio inuito; etiam si pater ita iussisset. nec iudex aliter arbitrio suo potest præcipere, quàm vt ex ipsa patris familias substantia præstetur legitima. Auth. nouissima. ibi *ex substantia deficientis*; l. scimus. §. repletionem. ibi *ex ipsa substantia patris*. C. de Inoff. testa. ex quibus verbis illic ita argumentatur Bald. nu. 10. Castren. nu. 10. & Iason. nu. 7. & ante eos Bartol. in l. suus quoque. in fine prin. de Hæred. instit. & Ripa in l. in quartam. nu. 122. Ad leg. Falcid. & postremò Cucchus in Reper. illius Auth. Nouissima. super verbo ex *substantia*. vbi agit, Quibus in rebus constitui possit legitima. Ideo cum quæremus, an ne filius in præsentia legitimam integram consequatur: hoc deprehendi poterit à rerum quantitate, quæ mortis tempore fuerunt, non ab illius temporis sola æstimatione. Nam legitima † non est triens, vel semis æstimationis, sed triens vel semis bonorum, rerum scilicet ipsarum, & corporum, vt antea diximus. Et si dici potest etiam quoquomodo triens æstimationis, illud est ex consequentia quadam; cum per æstimationem plerunque debita bonorum portio deprehendatur, non ex principali intentione. Nec vnquam ideo fando dicturus est quisquam, legitimam esse portionem æstimationis, sed bonorum, quæ defunctus reliquit. neque si dixerit, hoc iure dici, est comprobaturus.

48

Sit igitur constitutum, legitimam filiorum in eadem quantitate; & æstimatione simul, & semel esse præstandam, quæ fuisset assignata sub ipso mortis patrisfamilias tempore. & si quod incrementum æstimationis temporum interuallo, bonis allatum est: illud augeat legitimam. ne quod ad augendum ex temporis varietate productum est, diminuere videatur. Quæ opinio verissima est, & summam redolet æquitatem, & rerũ iudicatarum auctoritate † non semel comprobata. Sic enim, alter iam agitur annus, ab excellentissimis viris Ludouico Zunto Parmense, & Alexandro Angelino Cæsenate Rotæ Bononiensis auditoribus in sententiam eximij I. C. Antonij Glauarini præceptoris mei, tum aduocati pronunciatum est. Sic & in Romana Rota (vt post hæc comperi) quarto ab hinc anno, in vna ciuitatis Castelli (qui loquendi mos est illic) sexto Nonas Iunias M D L X X V I. iudicatum legimus. quorum tribunalium auctoritati quantum tribuendum sit, neminem ignorare puto.

49

Cæterùm † si hoc æstimationis incrementum hæredis opera processerit; vti quia prædia seruitutibus per eum liberata pretiosiora sint

50

effecta:

effecta: tum illud ipsius hæredis lucro cederet. vt idem statuit Mætianus obseruari in ineunda ratione legis Falcidiæ in ea l. in ratione 2. ad finem prin. Ad leg. Falcidiam.

ARGVMENTVM.

¶ Diminutis post mortem patrisfamilias bonis per alluuionem, vel alio modo, an diminuatur legitima.

SVMMAE.

1 *Legitima non diminuitur, si per alluuionem bona paterna diminuta sint.*
2 *Legata non minuuntur, licèt post mortem testatoris hæreditas sit diminuta.*
3 *Legitima minuitur, si res intuitu ipsius legata pereat.*
4 *Legitima non minuitur, licèt res legata filio amittatur, si damnum hoc initium ducat à tempore ante mortem patrisfamilias.*
5 *Legitima minuitur, diminuta post mortem patris bonorum æstimatione.*

PARAGRAPHVS I.

QVID si post mortem patris bona per alluuionem diminuantur, minuiturne legitima? Paulus de Castro in l. in ratione. 2. Ad leg. Falcid. censet diminui. quoniam legitima ex singulis rebus debetur, & periculum semper ad dominum pertinet. l. pignus. C. de Pignorat. actio. Quod Alexander illic nu. 6. refellit: nam † cum ita mortis tempus inspiciatur in ineunda ratione legitimæ. l. cum quæritur. C. de Inoff. testa. Sicut diminutio patrimonij post testatoris mortem non legatarijs, † sed hæredi penitus obest, vt dicitur in ipsa l. in ratione. hoc idem in legitima debet constitui. quam sententiam & ego probo, vt augmenti & diminutionis idem sit iudicium. Nisi si res † filio legitimæ intuitu relicta ipsa diminueretur; tum enim filij esset periculum. sicut & de patrono dicitur in l. si patronum. §. patronus. de Bon. libert. quod & Castrensi, & Alexando placuit in loco recitato. 1 2 3

Quod tamen intellige, † si ipsa diminutio principium non trahat à tempore ante mortem patrisfamilias: tum enim filio damnum hoc nō debet ascribi, sed toti patrimonio. Vti si fundus filio assignatus post mortem patris euincatur. ita sancitum est in l. scimus. in prin. C. de Inoff. testa. & ita intellige, ac defende Bart. in l. suus quoque. in fine prin. de Hæred. instituen. quod & Alexandro in ea l. in ratione. 2. placuisse videtur. 4

Quod autem ad æstimationem pertinet, quæ forte fortuna diminuta sit post mortem patrisfamilias: censeo † filiorum periculo dimi- 5

nui, sicuti eorum lucro augeri diximus. quoniam secundùm naturam est, ad eum pertinere incommoda, cuius sunt futura cōmoda. l. secundùm. de Reg. iur. Vt ita pariter quantitas, & æstimatio simul & semel, quæ fuit mortis tempore, siue de augmento, siue de diminutione legitimæ agi contigerit, inspiciatur.

ARGVMENTVM.

¶ Quanto tempore ius ad incrementa quærenda nobis competens amittatur.

SVMMAE.

1 *Ius incrementum fluuiaticum acquirendi, quod nobis competeret, triginta annorum curriculo amittitur.*

2 *Præscriptio non habet locum in his, quæ nobis de iuregentium competunt vti cuique publica, & communia.*

3 *Præscriptio agnoscitur in his quoque, quæ priuatim beneficio iurisgentium acquiruntur. & num. 10.*

4 *An decennio hoc ius amittatur.*

5 *Possessio incrementorum per decennium vacans, siue naturalis siue ciuilis amittitur.*

6 *Obliuio per decennium inducitur.*

7 *Arbitrarium alij putant.*

8 *Negligens ille dicitur, qui non facit, quod plerique eiusdem conditionis homines facere, consueuerunt.*

9 *Ius acquirendi incrementum alicui competens, alterius bona fide titulo etiam erroneo, & longa possessione intercedente, decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes amittitur. & nu. 11.*

CAPVT XXI.

SVBER ea cognitione, quæ in acquirendis incrementis versatur, hucusque immorati sumus. Vt plenior autem sit tractatio, de illis quoque amittendis paucula in medium proferamus. Quanto scilicet tempore incrementum quod ad nos de iure pertinere deberet, vel ipsa propinquitate, vel quia nostram prædij frōtem respiciat: dum illius acquisitionem per incuriam negligimus, illud amittamus. Duo casus sunt distinguendi. aut hæc incrementa à nemine sunt occupata, aut in ditionem alterius cuiuspiam peruenerunt. In priore casu Alber. Brun. in cons. 159. lib. 2. Feudal. ius incrementum adiectum 1 acquirendi per longissimi temporis negligentiam tolli, arbitra-

tur. & rectè: eo enim tricennij curriculo omne ius, omnemq; actionem nobis interire, sancitum est in l. sicut, & in l. omnes. C. de Præscr. 30. ann. Hinc tanto tempore amittitur hæreditatis petitio. l. hæreditatis. C. de Petit. hæred. Tanto tollitur ius adeundi. l. licet. vbi Glos. C. de Iure delib. quod communi voto recipitur, vt inquiunt ibi Bald. nu. 8. Alex. in prin. & Iason. nu. 1. Quin etiam hoc tempore amittitur ius immiscendi, vt legitur in ea l. licet. vbi Glos. & hoc quoque receptū esse constat ex Iasone illic nu. 4. & ita testatus est Cuman. in cons. 29. Quod exemplum huic speciei maximè conuenit. Nam qui sunt in potestate, statim hæredes sunt, secuta parentis morte l. 1. §. qui sunt. Si quis om. cau. testam. Sicuti statim, & ipso iure dominium incrementorum nanciscimur. l. adeo. §. præterea. de Acq. rer. dom. De qua re latè nos superius in cap. 8. huius libri.

In hac autem præscriptione 30. annorum, nec titulus, nec alterius possessio requiritur, sed sola negligentia non vtentis iure suo hoc operatur. ita declarat Bart. in l. fin. §. fin. in prin. C. de Edicto Diui Adria. tollen. & Iason in ea l. licet. nu. 4.

Superioribus porrò non obstat, quod ea, quę de iure gentium nobis competunt, præscriptione non amittuntur. l. fi. in prin. de Vsucap. Bar. in l. quominus. q. † 5. de Flumin. de qua re Balb. de Præscrip. Par. 4. Partis. 5. prin. q. 6. Nā hoc procedit † in his, quę nobis de iure gentiū competunt vti cuique communia, & publica: in his autem quę † priuatim beneficio iuris gentium acquirimus, aliud est, in quibus cadit præscriptio l. 1. in prin. vbi Glos. 1. l. 2. vbi Glos. pen. de Vsucap. pro suo: vt paulò post dicam.

Minori fortè temporis spatio † hoc ius, & hæc incrementa amitti, possumus arbitrari ex eo capite, quod pro derelicto dicitur, per decennium scilicet: nam ex diuturnitate temporis rem pro derelicto habitā præsumendum putat Odofred. in l. quęcunque. in fine. de Acquir. rer. dom. cui opinioni astipulatur textus in l. si finita. §. nō statim. de Damno infec. & l. furtum. §. fundi. de Vsucap. Hoc tamen intelligas in insularum incremento, quod est prædium per se solum, & separatum: in incrementis autem concretis, quæ sunt pars prædij, cui adijciuntur, secus est, nam ager pro parte haberi pro derelicto non potest. l. an pars. Pro derelicto.

¶ Cæterum † incrementorum possessio & naturalis, & ciuilis minori temporis spatio 30. annorum amittitur. (de incrementis latentibus tantummodo loquor, quorum, vt fiunt, & dominium & possessionem confestim consequimur) nam per longi temporis negligen-

tiam vacās præſumitur poſſeſsio, vt in eo §.fundi.& in §. quod autem. Inſtit.de Vſucap. quoniam † animi obliuio ex curſu longi temporis in
6 ducitur, vt inquit Gloſ.in eo §.fundi. Ideo Dynus in c. ſine poſſeſſione. nu. 32. de Reg.iur.in 6. cenſet, ſi ciuiliter poſſidens neglexerit naturalem poſſeſſionem per decennium, per hanc negligentiam & naturali, & ciuili poſſeſſione priuari: de qua re eſt textus in l. ſi de eo.§. fortè. de Acq.poſſeſſ. vbi hoc Bar.& Alex. annotarunt, & in hoc decennij interuallo conueniunt. Plerique tamen, † quanto tempore inducenda
7 ſit hæc obliuio, & negligentia, arbitrio iudicis committunt, vti Gloſ.in illo §.fundi. Innoc.in c. 2. de In integ.reſtitut. Bald.in l. 2. nu. 49. C.de Seruit. & aqua. Salyc.in l. licèt. nu. 17. C. de Acquir. poſſ. & in l. 1. nu. 22. C.de Seruis fugit. vbi Iaſon nu. 46. hoc communiter receptū inquit. Vide Felinū in c. vigilanti.nu. 10. de Præſcrip. Negligentia
8 † autem inde arguitur ex quo non facit quis, quod pleriq; eiuſdem conditionis homines facere conſueunt; vnde poſſeſſionem, & rei acquiſitionem negligere videtur; vt ait Aret. in ea l. ſi de eo. nu. 6. argum. l.continuus.§. cum ita. de Verb. oblig.

¶ Alterum diſtinctionis caſum aggredior, cum non ſola ius habentis negligentia interuenerit, & ideo incrementum vacare inceperit; ſed alterius præterea bona fides, incrementi poſſeſſio, & titulus ab errore
9 etiam quopiam iuſto procedens interceſſerint. tum enim † communi præſcriptionum tempore, decennio ſcilicet inter præſentes, & viginti annorum inter abſcentes, hoc ius amitti arbitramur, & incrementum vni competens à poſſidente longo tempore acquiri. Sicut & aliàs dicimus, ius adeundi triginta annorum ſpatio amitti: bona tamen hæreditaria longo tempore præſcribi. quod ſentit Alex. in conſ. 89. nu. 7. vol. 2. Balb. expreſsè de Præſcript. 4. part. 4. partis prin. q. 19. nu. 7. Item ſicut aliàs dicitur actionem finium regundorum 30. annorum ſpatio interire. l.fin. C. Fin. regund. prædia tamen finalia decennio præſcribuntur, vt ibi Gloſ.& Bald. annotarunt.

Certi porrò iuris eſt, & in his quæ iure gentium acquiruntur, nobis
10 † vſucapionem quoque dari, titulo à iure gentium informato. vt ſi quis ceruum tuum manſuetum, quem ferum arbitrabatur, in nemore ceperit; vel gemmam tuam, quam in nullius bonis putabat, in litore inuenerit, & diu poſſederit: titulo pro ſuo videtur vſucepiſſe; vt conijcitur ex l. 1. & 2. addita Gloſ. Pro ſuo. Vel ſi quis ceperit columbas alterius, eas eſſe ſylueſtras credens, & nullius; quas ideo per occupationem ſibi quæſitas putans Tit. Pro ſuo vſucapit. vt ait Caſtren. in l. Celſus. nu. 5. de Vſucap. nam titulus verus, vel ab errore iuſto pro-

cedens ad vsucapionem, præscriptionemve sufficit. quod legitur in d.l. Celsus. & illic traditur à Bartolo, & cæteris, & præsertim in vsucapione Pro suo. l. fin. Pro suo.

Quocirca, si quis incrementa aliqua ad se pertinere putās, vel quia suo prædio viciniora arbitratur, vel vti frontem suam ad amussim respicientia, alio ve iusto errore adductus longo tempore possederit tit. Pro suo à iure gentium suffulto, vsucapiet, & acquiret, & verò domino præiudicabit. quod placuit, & expressè sensit Glos. in l. 2. Pro suo. in verbo *nostro*.

ARGVMENTVM.

¶ Incrementa fluuiatica per solam domini negligentiam vacantia, ad quem pertineant.

SVMMAE.

1 *Bona vacantia fisco acquiruntur.*
2 *Bonorum vacantium triplex genus, & plures species.*
3 *Incrementa fluuiatica per desidiam domini vacantia fiunt occupantis. & nu. 5. & 7.*
4 *Tributaria prædia à dominis neglecta, elapso biennio, occupanti conceduntur.*
6 *Loca inculta, & deserta non fisci, sed occupantis sunt.*

PARAGRAPHVS I.

INCREMENTA autem hæc per solam domini desidiam vacantia ad fiscum pertinere, arbitratur Brunus in eo cons. 159. ad quem † ordinario iure bona vacantia solent deferri, vt legitur in l. 1. §. Diuus. de Iure fisci. & in c. 1. Quæ sint Regal. ibi *bona vacantia.* vbi interpretes. 1

¶ Vt Bruno in hoc assentiar, nullo modo adduci possum. Sciendū enim est, si quid in nullius bonis erit, non confestim vti vacans ad fiscum pertinere. aliàs ferę bestiæ, volucres, pisces, & cætera omnia animalia, quæ in mari, cœlo, & terra nascūtur, quæ in bonis nullius sunt; occupantis non fient, contra §. feræ igitur. Instit. de Rer. diuis. Itē res pro derelicto habita, & vacans occupantis non esset, contra l. 1. & 2. Pro derelicto. Ad perfectam igitur rei cognitionem, huc aduocanda est Io. de Platea distinctio, siue apud illum Bertrandi de Oseo in l. 1. nu. 3. C. de Bon. vacant. lib. 10. Is ait, vacantia † bona tribus modis dici; aut de iure & de facto; aut de iure tantùm; aut de facto tantùm. Quod ad primum modum pertinet, qui propositæ disceptationi in- 2

seruit: quædam res non sunt in bonis nostris, nec fuerunt, nec esse potuerunt: hæ ad neminem pertinere possunt, vti res sacræ, & religiosæ §. sacræ. Instit. de Rer. diuis. Quædam non fuerunt, nec sunt, esse tamen potuerunt, vti feræ bestiæ & similia: & illa conceduntur occupanti, vt in eo §. feræ igitur. Quædam tertiò non sunt, sed fuerunt, & esse desierunt in bonis nostris: si quidem ex eadem causa, ex qua nostra esse cœperunt: occupantis iterum fient. l. naturale. in prin. & in §. in his. de Acquir. rer. domin. Si autem ex alia causa; & tum aut speratur antiquus dominus: & nulli bona conceduntur, sed illis datur curator. l. cum cognatos. C. de Captiuis. Si non speratur dominus antiquus; si quidem voluntariè vacant bona: occupantis fiunt. l. 1. Pro derelicto. Idem est, si tacita voluntate longo tempore præsumpta. l. 1. C. de Thesaur. lib. 10. Si autem vacant sine domini voluntate: tunc demum locum habet titulus ille C. de Bonis vacantibus. & similes.

Viden' igitur bona, quæ contra domini voluntatem vacant, vt hæreditas, quæ hæredem non habet, ad fiscum pertinere: ea verò quæ vel expressa, vel præsumpta domini voluntate vacant, occupantis fieri.

3 Incrementa † ergo fluuiatica, quæ per negligentiam, & domini incuriam, aut alio quouis modo in nullius bonis sunt, dicendum est, ad oc-

4 cupatorem potius, quàm ad fiscum pertinere debere. Sic † tributaria prædia à dominis neglecta post biennium occupantis fiunt, non autẽ vti vacantia fisco debentur. l. qui agros. C. de Omni agro deser. lib. 11. de qua lege Bar. Alex. & cęteri omnes in l. rem quę nobis. de Acq. pos. Sic, (vt ad rem nostram propius accedamus) insula in mari nata, quę in bonis nullius esse dicitur, fit occupantis, non fisci. l. 1. in princ. de Acquir. poss. l. adeo. §. insula. de Acq. rer. dom. Sic insula in flumine inter agros Limitatos nata occcupanti conceditur, non autem vti vacans ad fiscum pertinet. l. 1. §. insula. de Flumin. Nihil porrò referre debet, verũ ex necessitate, an voluntate proximorum hęc incrementa vacent: idem iuris enim est, nolle, vel non posse; prout inquit Bart. in l. 1. nu. 4. de Vulg. & pupil. per l. 1. §. vsus. de Procurat. His addas, quòd cum hęc incrementa nullo alio iure acquirantur, quàm medio iurisgentium. l. adeo. §. pręterea. de Acq. rer. dom. vt in cap. 5. libri primi latiùs diximus: Si ea, proximorum negligentia, vacare contigerit,

5 & in nullius bonis censeri: ęquius videtur, † hęc incremẽta iuxta primęuam iurisgentium naturam in acquirendo rerum dominio occupantis fieri, quam legimus in l. 1. in prin. de Acq. poss. quàm ad fiscum deferri. Quoniam facillimè vnumquodque ad ius suum primordiale reuertitur. l. si vnus. §. pactus ne peteret. in fi. de Pactis.

Rursus

Rursus incrementa hæc per incuriam domini vacantia, eorum in numero bonorum habenda videntur, quæ vt feræ, volucres, & pisces, insulæ maritimę, vel fluuiales inter agros Limitatos natę, in bonis nullius sunt, nec fuerunt, sed esse potuerunt: ideo secundùm superiorem distinctionem occupantis fiant. Cum enim ius delatum proximi possessores non agnouerint, perinde est, ac si in nullius bonis ea incrementa semper extiterint. Sicut legatum agnitum nunquam in bonis legatarij censetur fuisse, licèt ipso iure dominium rei legatę in ipsum transeat. l. legatum ita. de Leg. 2. vbi Glos. & ideo repudiatio mariti legatarij in vim donationis vxori vel hæredi, vel substitutæ in legato, prodest, & valet. l. sponsus. §. si maritus. hęres. de Donat. int. vir. & vxor. quamuis maritus quod suum est, vxori donare nequeat, vt in toto eo titulo.

Vltimò sicut loca † inculta & deserta, si non fuerint, vel appareant ab aliquo occupata, vti ea, quæ sint in bonis nullius, ad occupantem debere pertinere inquit Aret. in l. 1. nu. 5. & in l. rem quæ nobis. nu. 5. de Acquir. poss. non autem ad fiscum. quod & Bartolo placuisse suspicamur in l. si duo. in fine prin. & in l. nam & si fur. Si cert. petat. vbi contendit Bart. per solam occupationem probari dominium rei possessę, quando non extat memoria, quomodo res, quæ occupatur, ad possessorem peruenerit: vnde clarè pręsupponit, bona, quæ in nullius sunt bonis, & vacant, ad occupantem, non ad fiscum pertinere: & ita ex facto de locis incultis respondit Aretin. in cons. 15. in primo artic. Sic itaque † incrementa vacantia occupantis esse debere, nō fisci, oportet dicere. cum certò constet ea in nullius bonis vnquam extitisse, saltem in effectu, qui solet in iure considerari, arg. eius. l. legatum ita. de Leg. 2.

6

7

Et licèt contrariam Aretino defendat opinionem Socin. in l. 1. à nu. 18. ad 28. vsque, de Acq. possess. ex Castrensis auctoritate, itemq; Iason in l. rem quę nobis. nu. 32. Eodem: nihil tamē terreri debemus; ratio enim, qua mouentur illi, decisioni nostrę nihil officit omnino. Ideo namq; aiunt loca inculta, & sterilia ad ciuitatem, in cuius territorio sint, pertinere debere, quià per territorialium finium occupationem, & constitutionem, loca omnia inclusa censentur occupata: ideo nihil vacans potest dari. At in nostra specie, profitemur incrementa in nullius bonis extare per dominorum incuriam, & à nemine occupata. Quòd si hoc non satis esset, possem iure ac meritò Aretini opinionem contra illam rationem Socini defendere, vti quæ iure non probetur. vt rectè sentit, & ait Marian. nepos in ea l. 1. nu. 137. Verum

rùm, quoniam satis superq; hanc nostram sententiam defensatam arbitramur, incrementa scilicet vacantia occupantis fieri, ideo huic disceptationi finem impono.

ARGVMENTVM.

¶ De inundatione simplici, & quos pariat in iure effectus.

SVMMAE.

1 *Inundatio duplex est, alia est & propriè quæ speciem fundi non mutat, alia solet agri formam abolere.*
2 *Inundatio simplex ea, quæ in iure consistunt, non mutat, quod amplies vt in num. 5.*
3 *Dominium per inundationem non ammittitur.*
4 *Vsusfructus ab inundatione non perimitur.*
6 *Possessio, cum plurimum facti habeat, ob inundationem amittitur. rationem vide nu. 7.*
8 *Possessio quando recedente inundatione, nobis sine facto nostro restituatur.*

CAPVT XXII.

HActenvs de incrementis fluuiaticis acquirendis, aut amittendis. in qua tractatione, si omnia penitus, quæ eam cognitionem attingunt, nõ attulimus: non est sanè, quod quisquã diligentiam nostram desideret; enixàm enim operam nauauimus, vt opus hoc vndiq; absolutum ederemus. Certam tamen spem concipimus, si qua omissa sunt, ex ijs, quæ proposita fuerunt, si non omnia, pleraque tamen per interpretationem facilè posse suppleri.

De fluminum occupatu, & inundatione paucula effari, susceptum nos munus impellit, & præsentium temporum calamitas, quibus vbique locorum & ipsi riuuli per pinguia culta latissimè debacchati sunt. Cuius rei tractatio licèt frequens sit in iure ciuili, nec inutilis, aut iniucunda cognitio: neminem tamen adhuc legi, qui ex proposito de re hac scripserit.

1 ¶ Duplex † contingere solet inundatio. alia est & propriè, quæ speciem fundi non mutat, vt in l. adeo. §. quòd si toto. in fine. de Acquir. rer. dom. quæ fluminis extra ripas euagatio dici potest. Alia est, quæ fundi formam solet abolere. quæ verius alueus fluminis prolatus potest appellari. De priore prius videamus. Simplex † innundatio itaque, ea quæ in iure consistunt, non mutat; sed solum occupatum inundatione fluminis, eiusdem iuris permanet. l. cum vsumfructum. in 2

prin.

prin. Quib. mod. vsusfr. amitt. Ideo si de dominio quæris † Caius ait in eo §. quòd si toto. *Aliud est sanè, si cuius ager totus inundatus est: namque inundatio speciem fundi non mutat. ob id cum recesserit aqua, palàm est eiusdem esse, cuius & fuit.* Sic Vlpianus in l. 1. §. si fossa. de Flum. *si flumen* (inquit) *aliquam terram inundauerit, non alueum fecerit, tunc non fit publicum, quod aqua coopertum est.* priuati ergo iuris, illius scilicet permanet, cuius & fuit. quod probat Accurs. in §. quòd si naturali. Instit. de Rer. diuis. 3

Si de † iure vsusfructus quæritur, ait Iabolenus in ea l. cum vsumfructum. *Cum vsumfructum horti haberem, flumen hortum occupauit, deinde ab eo recessit: ius quoque vsusfructus mihi restitutum, Labeoni videtur, quia id solum eiusdem iuris perpetuò permansisset.* Restitutum autem intelligas, secundùm Accurs. ibi, ex quo recessit: verè enim non fuit amissum; quod probant Bald. illic, & Florian. in l. si ager. Eodem. Amissa fuit sanè fruendi vtilitas, vt Accurs. alibi interpretatur in illo §. quòd si toto, in verbo *speciem:* & rectè: nam si permansit eiusdem iuris solum, ergo ius vsusfructus intermortuum non est. 4

Hæc † porrò intelligas etiam, & producas ad eum casum, vt & si summa terra agri sublata sit, & alia regesta; ager prioris domini, & iuris esse non desinat. vt legitur in fine dictæ l. cum vsumfructum. 5

¶ Cæterùm si de possessione † quæratur, quę plurimum habet facti, vt inquit Papinianus in l. denique. Quib. ex cau. maior. in integ. restituan. Labeo, & Nerua filius responderunt, desinere me possidere eũ locum, quem flumen, aut mare occupauerit. hoc legitur in l. 3. §. Labeo. de Acquir. possess. Sic ait Paulus in l. qui vniuersas. §. 1. vers. item quod à mari. Eodem. & in l. cum vnus. §. fin. de Bon. iud. aucto. possid. quod & in re mobili verum est, vt refert Pomponius in prin. de Acquir. possess. 6

Rationem † addit duplicem Iason in eo §. Labeo in prin. tum quia, vbi nõ potest rei naturaliter insisti, amittitur possessio. l. 3. §. ex cõtrario. Eod. addo l. cum vnus. §. fi. in illis verbis *si propter naturam.* de Bon. aucto. iud. possid. Tum etiam, quoniam iure ciuili cum res in eum casum inciderit à quo incipere nequiret, extinguitur, vt Paulus ait in l. pluribus. §. & si placeat. de Verbor. oblig. 7

¶ Recedente autem † inundatione noua apprehensio agri inundati non requiritur in eo, qui agrum vicinum, seu contiguum possidet. vti incremẽtum aluei sine noua possessione à proximo possessore possideri diximus in cap. 8. huius ipsius libri. quod exemplum optimè deseruit huic decisioni. Quòd si nullum prædium vicinum possideatur, 8

ex recessu inundationis non restituitur possessio, sed noua opus est apprehensione. nam possessio ideo dicitur habere plurimum facti, quia sine facto nostro ea non acquiritur. sic ait Glos. in l. denique, de Acquir. posses. Vnde constat Aretinum perperam dixisse in §. quòd si naturali, ad fi. Institut. de Rer. diuis. per recessum fluminis illicò sine noua apprehensione, amissam possessionem restitui. & hoc elicit ex ibi traditis in Glos. fin. quæ, si rectè intueamur, nihil omnino ad rem facere videbuntur. & profectò nullus vnquam Accursium illic hoc dixisse, sibi poterit persuadere.

ARGVMENTVM.

¶ De amittenda possessione per inundationem, huiusq; rei plures Ampliationes.

SVMMAE.

1 *Possessio naturalis, & ciuilis propter inundationem amittitur: nam & vsucapio tum interrumpitur.*

2 *Possessio ciuilis sufficit sola ad perficiendam vsucapionem.*

3 *Præscriptio naturaliter interrupta, integro statuto tempore oportet denuo compleri.*

4 *Præscriptio interrupta per inundationem in integrum non restituitur ex generali clausula, Si qua &c.*

5 *Restitutio est generali clausula Si qua mihi &c. non datur ad lucrum persequendum.*

6 *Restitutio ex generali clausula conceditur, vt possessio per inundationem interrupta, repetita die continuata censeatur.*

7 *Possessio agri inundati ab absente, & ignorante amittitur.*

8 *Possessio fundi inundati per piscationem non retinetur, sicut nec vsusfructus*

PARAGRAPHVS I.

NON solùm † autem amittitur naturalis possessio, sed etiam ciuilis per inundationem. Nam si verum est, quod ait Glos. in l. 3. §. Labeo. de Acquir. posses. vsucapionem tum naturali interpellatione interrumpi, arg. l. naturaliter. de Vsucap. necessium est (& ita inquiut Bart. Alex. Socin. & Iason in illo §. Labeo) & ciuilem possessionem amitti. Aliàs vsucapio procederet, ad quam † perficiendam sola ciuilis sufficit, l. qui fundum. in prin. Pro emptore. quod & communiter placitum ait Iason in l. 3. §. ex contrario. nu. 32. de Acq. possess. Et hæc animo nostro haud leuiter debent hærere: nam

† interrupta naturaliter præscriptione, integro statuto tempore eam oportet denuo compleri. l. si ædes. §. fin. de Seruit. vrban. præd. & per eam legem Glos. in l. naturaliter. in dictione. *aduersus omnes.* in fi. de Vsucap. nam interruptio prohibet, ne coniungantur tempora, vt inquit Glos. in l. sicut. C. de Præscrip. 30. vel 40. ann. per l. 1. & l. nec bona. C. de Præscrip. longi tempor. Vnde difficilè propemodum est, prędia secus fluuios posita posse vsucapi ob crebras inundationes. sic ait Bart. in eo §. Labeo, & in Tyber. Par. fin. in fine. Paul. de Castro in eodem §. ibiq; Alex. Aretin. Socin. Iason, cæteriq; omnes. Et ex inundatione interruptam præscriptionem ex facto interrogatus respondit Alex. in con. 77. nu. 10. lib. 6.

3

Atque adeò potens est interruptio præscriptionis per inundationem; vt † ex illa generali clausula, Si qua mihi iusta causa, &c. in integrum minimè restituatur. Quoniam † nemo restituitur ad lucrum persequendum cum aliena iactura. l. sciendum. Quib. ex caus. maior. in integr. &c. Vnde Papiniano placuit in l. denique. & seq. Eodem. interruptam ex captiuitate præscriptionem postliminio non restitui: quoniam sit iniquissimum, per restitutionem auferre dominiú, quod vsus non abstulit. Et per hæc haud obscurè ita sensit Accurs. in eo §. Labeo. & in l. 1. C. de Annali excep. & vtrobique Bart. probat, qui & allegat Glos. in l. ait Prætor. §. item ei. Quib. ex caus. maiores, &c. & l. si is cui. §. fin. de Furt. quæ optimè huic opinioni deseruit. Eo loco ait Iabolenus, eum, qui pro hærede vsucapit, furti agere non posse, eius enim non interesse, nam interest eius videtur, qui damnum passurus est, non eius, qui lucrum facturus esset. Et hoc placuit Baldo in ea l. 1. in prin. nu. 6. C. de Annali except. vbi Iason nu. 13. Et revera neminem dissentientem legi, nisi Baldum, qui in c. illud. nu. 2. de Præscrip. sibi contrarius concedendam restitutionem dixit per l. 1. §. si quis propter. de Itinere actuq; priu. Sed ibi non datur restitutio ad complendum vsucapionem, sed ad recuperandam possessionem; idest ibi agitur, vt in possessione tantùm defendatur; qua superiore anno vsus est, atque ita de damno agit. Ait enim illic Vlpianus, † *Si quis propter inundationem vsus non sit itinere, actuq; hoc anno, cum superiore vsus sit: potest repetita die, eo interdicto vti per in integrum restitutionem ex illa parte, Si qua mihi iusta causa videbitur.* hoc est, per in integrum restitutioné, subducto inundationis tempore, non videtur desiisse possidere ab ea die, qua inundatum est iter. Conceditur restitutio itaque ibi pro damno euitando, & hoc modo eam legem intellexit Glos. & in eo §. Labeo, & in l. 1. in prin. C. de Annali except. in quibus locis de eà opposuerat, & post

4

5

6

Glo.Bar.Alex.& Iason in §. Labeo. & ita dari restitutionem ad possessionem recuperandam solùm,non ad perficiendam vsucapionem dixit Glo.in l.ait Prętor.§. itē ei. Quib.ex cau.maior.&c. ita in terminis distinxere Bald. in ea l. 1.nu.6. vbi Salyc. nu.3.ac Iason in §.Labeo. nu.13.

7 ¶ Rursus ex inundatione nō solùm † sciens,& præsens cadit à possessione,sed & absens ignorasq́; : quoniam possessio, quæ non potest retineri, ab vtroq; pariter amittitur tam à sciente,quàm ab ignorante vt placuit Bart.in l.qui ad nundinas. §.clam possidere. in pen. oppos. de Acq. possess. vbi ad hunc §. Labeo. se refert, motus haud obscurè, quoniam ibi indistinctè Labeo, & Nerua responderunt, desinerē me possidere eum locum,quem flumen occupauerit. qua ratione hoc idē ait Socin.in ipso §.Labeo.nu.2.& Iason nu.4.

8 ¶ Postremo † amplies, vt nec per piscationem fundi inundati possessio retineatur,sicut nec vsusfructus.l.si ager.Quib.mo.vsusfr.amit. vt inquit Iason in eo §.Labeo.nu.5.& hoc magis verum videri potest quoniam difficilius amittitur vsusfructus,quàm possessio, quod probat Alex.illic nu. 5. & in simili specie sic arguit. Placet hæc conclusio nobis quoque,non quidem per l.si ager.à Iasone allatam:quoniam de inundatione simplici,de qua sermo est in §. Labeo.non intellexit Pōponius in ea l. si ager.sed de ea, cum ipsa etiam proprietatis causa mutatur,cum alueum scilicet sibi constituit flumen.quo casu amissa propria forma alius videtur ager.l.adeo.§.quod si toto.in fine.de Acquir. rer.dom.ideo quid mirum si mutata re extinguitur vsusfructus,l.repeti.§.fi. Quib. mod. vsufr.amitt.Per piscationem itaq; non retineri possessionem fundi inūdati puto,quoniam hoc repugnat naturæ, & consuetudini ipsius prædij, cuius alij sunt fructus,quàm piscium.

ARGVMENTVM.

¶ De non amittenda possessione per inundationem plures exceptiones.

SVMMAE.

1 *Possessio per modicam inundationem non amittitur.*
2 *Nec per eam,quæ breui tempore recesserit.*
3 *Breuis inundatio quæ dicatur.*
4 *Possessio naturalis per breuem inundationem etiam amittitur, non ciuilis.*
5 *Præscriptio interrupta non dicitur, si possessionem amissam intra breue tempus quis recuperet.*

6 *Vsucapio, ad quam perficiendam pauci dies deerant, licet interrumpatur, pro perfecta tamen habetur.*
7 *Et hoc ipso iure.*
8 *Vel saltem per in integrum restitutionem ex clausula generali. ob inundationis impedimentum.*
9 *Præscriptio longissimi temporis ob modici temporis inundationem interrumpitur.*
10 *Nisi sit rei feudalis præscriptio, quæ fauorabilis est.*
11 *Possessio non amittitur per inundationem, quam quis illicò deriuare aggreditur, opusq́ perficit.*
12 *Possessio non amittitur per inundationem consuetam, ac fertilem.*
13 *Inundatio Nili quò altior fuerit, eò vberiorem frugum copiam prænuntiat. de hac multa hic.*
14 *Possessio piscinæ, canalis, & similium per inundationem non amittitur. nisi forma sit mutata. nu. 10.*
15 *Additum tali illud esse tale, desinere non facit.*

PARAGRAPHVS II.

MVLTAS ex aduerso patitur exceptiones superior regula. prior, & vulgatior illa est, si modica † inũdatione ager opertus sit, possessionem non amitti. vti si vel ager & adhuc conspicitur, & ex parte colitur, vt ait Ang. & Paul. de Castro in illo §. Labeo. l. 3. de Acquir. possess. Aut si pedibus calcari adhuc potest ager, nec eum derelinquere opus fuit, vt placuit Iac. de Rauen. & Imolæ in l. 3. §. Nerua. Eod. Aretin. in eo §. Labeo. nu. 69. vbi Rom. & Alex. nu. 3. Socin. in prin. Iason. nu. 8. & plerique alij, nec aliud sensit Baldus in l. 1. num. 38. C. de confess. Hæc autem intelligas, si id commodè potest. Aretinus tum inquit amitti possessionem, cum ex inundatione fundus coli non potest, & fructus percipi. 1

¶ Secundò † excipitur ea inundatio, quæ breui tempore recesserit vti si vnum † tantùm diem occupatum fuerit prædium, vt inquit Raphael Cum. in eo §. Labeo. licet dubius hæreat. aut post triduum inundatio ad alueum redierit, vt citra omnem hæsitationem ait Bald. in c. illud. nu. 2. de Præscrip. tum enim non amittitur † possessio, ciuilis scilicet: nam naturalem interrumpi certũ est ex l. naturaliter. de Vsucap. & l. qui possessionem. vbi Glos. de Vi & vi arm. Baldi autem sententiã probat Iason in eo §. Labeo. nu. 10. atque hac comprobat ratione. Paria sunt prædium esse inundatum, vel latronum potentiam obstare, vt vtroque casu non posse possideri dicatur. l. cum vnus. §. fi. de Bon. 2 3 4

aucto.iud. possid.l.1.§. si quis propter. de Itin. actuq; priu. Sed vi de-
5 iectus possessione, si intra † breue tempus eam recuperat, non dicitur
interrupta præscriptio, vt ait Glos. in ea l. qui possessionem. vbi Bart.
ergò per breuem inundationem ciuilis possessio non amittitur. Adde
Glos. in l.3.§. eum qui. de Vi, & vi arm. quæ per triduum durare con-
tendit spem recuperandi fundum vi ademptum.

¶ Hinc est porrò; q̃m per breue tempus vsuscapio, nó interrumpi-
tur, sed perinde est, ac si cõpleta esset: quòd vi deiectus è fundo, ad quẽ
vsucapiendum pauci dies deerant, potest agere ad interesse, tanquam
verè perfecta fuisset vsuscapio. vt videtur sentire Glos. sing. vt inquit
Bald. in l.1. nu.6. C. de Annali excep. Glos. inquam, in l.1.§. qui autem
vi, de Vi & vi armata. arg. l. si fundum. de Fundo dotali. Vbi si fundũ,
quem Titius bona fide possidebat, mulier vt suum marito dederit do-
ti; passus autem sit vsucapionem perfici maritus: illius est periculum.
6 Planè † si paucissimi dies ad perficiendam vsuscapionem supererant,
cum datus est ab vxore, nihil erit quod imputetur marito, etiam si nó
petierit postea. Ratio est, quia talis vsuscapio habetur pro completa.
Modicum igitur momentum non vitiat longi temporis præscriptioẽ;
vt ad hoc legem illam induxit Bald. in c. fin. nu.3. de Præscript. & re-
ctè, quicquid dicat Iason in §. Labeo. in fine. nam hoc suadetur à ge-
nerali legis oratione. Eam pariter Glos. decisionem, si modicum su-
perest tempus, vt habeatur pro perfecta vsuscapione; secutus est Dy-
nus in l. qui fundum.§. qui bona fide. Pro emptore. quem refert, & se-
quitur ibi Bartolus. Adducitur Dynus ex l. rerum mistura.§. Labeo,
de Vsucap. vbi idem Bar. & Paul. de Castro hoc pro singulari anno-
tarunt. & probè sanè: nam Labeo illic ait, *Si is, cui ad tegularum, vel co-
lumnarum vsuscapionem decem dies superessent, in ædificium eas coniecisset: ni-
hilominus eum vsucapturum, si ædificium possedisset*. decem dierum igitur. i.
modici temporis defectus vsuscapionem non vitiat. Et licèt duo illic
videantur cõsiderari, & temporis breuitas, & vlterius si ædificium pos-
sederit, prout Raphael Cum. in l.3.§. Labeo. de Acquir. possess. hæc re-
fellendo videtur considerasse: nihilominus diligentius animaduer-
tenti in eo solo decisionem sitam esse constiterit; quia modicum tem-
pus supererat. Nam (vt rectè occurrit huic obiectioni Alex. in eo §.
Labeo num.7.) possessio ædificij nihil facit ad vsuscapionem cæ-
mentorum, & lapidum, qui propriè non dicuntur possideri, licèt do-
mus possideatur, l. qui vniuersas. in prin. de Acq. possess. in sola igitur
temporis breuitate hæret Labeonis decisio. vt illic expressè sentit Ca-
stren. ait enim, ex eo tempore, quò tegulæ, & columnæ in ædificium

con-

conie&ae sunt, statim desiisse possideri. & hoc idem sensisse Glos. in ea l. rerum mistura. §. Labeo. euidenter illinc patet, quando adducit l. eum qui ædes. in prin. de Vsucap.

Ex his itaque constat modici temporis, vti decem dierum inundationem perfectioni vsucapionis non obstare ipso † iure, & absque eo, quòd adhibeatur remedium restitutionis in integrum ex clausula generali, Si qua mihi iusta causa, &c. vt ita etiam placuit Baldo in c. illud. nu. 2. de Præscrip. 7

Cæterùm Ang. in l. 1. C. de Annali except. & in l. si cui res commodata. de Furt. Imola, Alex. in §. Labeo. l. 3. de Acq. poss. nu. 7. & Iason nu. 16. videntur putasse, quòd peti debeat hæc in integrum restitutio contra hoc impedimentum superueniens ob inundationem; vt vsucapio, cuius perfectioni pauci deerant dies, habeatur pro perfecta. Veruntamen cum & auctoritate d. l. si fundum. de Fundo dot. & l. si rerũ mistura. §. Labeo, Item Gloss. in ea l. 1. §. quis autẽ vi. de Vi & vi arm. ac auctoritate pariter Dyni, & Bartoli, de quibus supra, Angelus, & reliqui adducantur, in ijs locis profectò de restitutione nullum verbum factum videas. Quicquid sit, hanc modici temporis interpellationem ex inundatione non obstare, quin † saltem remedio eius restitutionis posit haberi vsucapio pro perfecta, communiter receptum ait Alex. in eo §. nu. 6. & ideo in praxi ab ea opinione non esse redendum, aper tè constituit. 8

¶ Illud autem sciendum est, quæ de modici temporis inundatione dicta sunt, non habere locum in præscriptione † longissimi temporis xxx. scilicet, vel xl. annorum, quæ cum merè, & principaliter odiosa sit, in ea fit computatio temporis de momento ad momentum. Iccircò nec ipso iure, nec etiam ope restitutionis ex clausula generali, modici temporis defectus suppletur, vt placuit primùm Rom. in eo §. Labeo. & post eum Aret. nu. 68. Alex. nu. 8. itemq; Iasoni nu. 17. Adducuntur ex textu l. pen. in prin. de Vsucap. coniuncta Glos. quam ibi sing. dixit Bologn. Inquit Glos. per l. in omnibus temporalibus. de Action. & oblig. in vsucapionibus diẽ cœptũ haberi pro cõpleto, secus in odiosis prescriptionibus, in quibus fit cõputatio de momẽto ad momẽtũ; & iure ac meritò; odia enim minuenda sunt, fauores autem benignè, & latè interpretandi. l. cum quidam filiam. de Lib. & posthum. Adde Glos. similem in l. 3. §. minores. de Minor. & Bart. in ea l. in omnibus. Cum itaque præscriptio etiam longissima rei feudalis † dicatur fauorabilis, cum vtriusque gratia, & domini, & vasalli subinferatur, arg. l. statuliberos. §. quod si seruus, qui annua. ibi. *cum vtriusque* 9 10

prouidentia. de Statuliber. quod ait Bal. in c. 1. §. si quis de manso. nu. 5. & Præpos. nu. 1. de Controu. inuest. dabitur restitutio. ita Iason exultabundus (quoniam primus) excipit in eo §. Labeo. nu. fin. hunc casum à superioribus.

11 ¶ Tertia est Alexandri exceptio in ipso §. Labeo. nu. 4. cũ † ille, qui inundationem patitur, illicò operi se accingit, vt eam deriuet, & exhauriat. nã si opus perficit, nõ videtur interim ciuiliter desiisse possidere; nec ob id interrupta est naturaliter præscriptio. Vt & aliàs vi armata è fundo eiectus si incontinenti recuperationem molitur, & votis subscribunt fata secundis; interim non desiisse eum possidere ait Glos. in l. 3. §. eum igitur. de Vi, & vi arm. & procedit vsucapio. quibus assentitur Iason in eo §. Labeo. nu. 11.

12 ¶ Quarto excipiuntur inundationes † eę, quæ iuxta morem regionis fiunt ad irrigationem, & ad vberiorem redditum. Quales in Aegypto constat esse; vbi habetur feracissima Nili inundatio, qui incremento suo Aegyptum operit teste, Vlpiano in l. 1. §. ripa. de Flumin. Qualesùe in Gallia nostra Cisalpina passim in irrigandis pratis fieri consueuerunt. fatuus enim esset legis sensus (inquit Bald. in l. 1. num. 38. C. de Confess.) quòd per vberiorem culturam quis sibi ipsi interuerteret possessionem in toto, vel in parte, arg. l. Caius. §. 1. de Leg. 2. & hoc probant Alex. in eo §. Labeo. nu. 2. Aretin. nu. 69. & Ias. nũ. 7. & rectè sanè. nam (vt ait eo loci Bar. Socin. in prin.) ex quo tales inundationes studio, & opera possessorum contingunt vberioris redditus gratia, & eorum arbitrio deriuantur: iccircò qui potest facere, vt possideat, iam possidere videtur iuxta Iuliani axioma in l. qui potest. de Reg. iur.

In hac autem specie non oportet distingui, magna ne, an modica fuerit aquarum inundatio, vt eidem Socino placuit. Quod ad Nili

13 sanè incrementa pertinet; quò altior † eius fuerit inundatio, eò vberiorem frugum copiam prænũtiat. Si quidem vt Plinius lib. 5. cap. 11. nobis prodidit, cum Nilus ad XII. cubitus intumuerit, prouincia famẽ sentit; in XIII. etiamnùm esurit; XIIII. Cubiti hylaritatẽ afferunt, XV. securitatem, XVI. delicias; & hoc iustũ dictum esse ex obseruatione incrementum. Hæc refert etiam Hieronimus Magius in Miscellan. lib. 1. cap. 10. vbi præterea scribit, hanc rem in Nili statua, antiquitate visenda, quæ Romæ in Vaticano conspicitur, puerulis sexdecim eam quasi scandentibus, summoq; copiæ cornu manu præferente, significatam esse ab antiquis. De qua Plin. lib. 35. cap. 7. sic scribit. *Inuenit eadem Aegyptus in Ethiopia, quem vocant Basaltem, ferrei coloris, atque duritie, vnde & nomen ei dedit. nunquam hic marmor repertus est, quàm in templo*

Pacis

Pacis ab imperatore Vespesiano Augusto dicatus, argumento Nili sexdecim liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi incrementi, augentis se annis, eius intelliguntur. Hæc autem statua inuenta est sub Leone x, vt inquit Pierius Valerianus in Hieroglyph. lib. 46. quam se vidisse refert; & de ea multa illic enarrat. Sed ad rem. Non etiam quæri oportet, num longo, an breui tempore inundauerit. de Nilo ait Cic. lib. 2. de Nat. Deor. *Aegyptum Nilus irrigat, & cum tota æstate obrutam, oppletamq; tenuerit, tum recedit, molitosq; & oblimatos agros ad serendum relinquit.*

¶ Postremò, & perbellè excipiuntur † piscinæ, lacus, canales, & fossæ, cæteraq; huiuscemodi, quorum possesionem per inundationem non amittimus. ita excipientem Baldum comperi in l. 1. nu. 39. C. de Confess. quem ad verbum refert Cepoll. de Seruit. cap. Seruit. aquæductus q. 10. Nam (vt ille ait) nihil additum † tali facit, illud esse tale de sinere, arg. l. quominus. de Flumin. vim facit, vt puto, in illis verbis, *Aut nauigabile est; aut ex eo aliud nauigabile fit.* quasi velit, flumen additum flumini non facere, vt desinat esse flumen. Sed dura est inductio. Rectius est, quod addit; quia nec desino possidere terram, si ei crusta applicetur ex fundo vicini. l. si quis nec causam. §. fin. Si cert. petat. Hæc Baldus. Adde l. cum vsumfructũ. in fi. Quib. mod. vsusfr. amitt. apertius hoc comprobantem. Eo loco Labeo ait, *Si summa terra sublata ex fundo meo, & alia regesta esset: iccircò meum solum esse non desinit, non magis, quàm stercorato agro.* per terram igitur terræ superinductam, sicuti nec per stercorationem, non amittitur fundi possesio. Hoc ita dicamus in piscinis, vel canali inundatis, vt integra permaneat eorum possesio. Ad rẽ faciunt cõplura quæ scribit Alb. Brun. de Augum. concl. 4. Ait ille, quod idem re & forma facit, vt quid sit idem in substantia. exempla habemus in incrementis naturalibus, velut in homine, qui ab infantia coalescit vsq; ad primum & vigesimum annum sm̃ Physicos: attamen semper est idem homo, licèt adolescat, & maior fiat. de qua re est text. in l. proponebatur. de Iudic. Cæterùm † si harũ rerũ forma per inũdationẽ mutata sit, nõ solum possesio, sed & dñium amittetur. l. si ager. cũ l. seq. Quib. mod. vsusfr. am. per restitutionẽ tñ ex clausula generali, dño erit succursum, vt in l. & Attilicinus. de Seruit. rust. præd.

14

15

1

2

16

ARGVMENTVM.

¶ De inundatione, quæ speciem fundi immutare consueuit.

SVMMAE.

1 Dominium amittitur per inundationem, quæ agri formam mutat.

2 *Inundatio speciem fundi abradens aluei constitutio verius nuncupatur, & sæpius in iure ita accipitur.*
3 *Ager priuatus ab alueo fluminis occupatus, incipit esse publicus.*
4 *Ager, cuius forma per inundationem mutatur, alius esse videtur, & desinit esse, qui fuerat.*
5 *Vsusfructus agri per inundationem immutati perimitur.*
6 *Seruitus realis extinguitur, fundo ab alueo fluminis occupato.*
7 *Forma prædij mutata non dicitur, licèt crusta, vel summa terræ per inundationem sublata sit.*

CAPVT XXIII.

HVCVSQVE de inundatione, quæ speciem fundi non mutat: Res nunc exposcit, vt de ea disseratur, quę potius aluei mutatio, quàm inundatio debet appellari. inundationem tamen & nos dicemus, quoniam apud Iurisconsultos sæpius ita accipitur. Ea est, quando forma agri mutatur, quod plerunque accidit, quando alueum ibi constituerit flumen.

1 Per † hanc inundationem proprietatem, & dominium amitti Pomponius ait in l. si ager, in prin. Quib. mod. vsusfr. amitt. quod verbum, 2 † [inundationis] pro aluei constitutione, & prolatione Accur. quoque eo loci interpretatus est in Glos. 1. Quo sensu idem Pompon. in l. ergo §. alluuio. de Acquir. rer. dom. vsurpauit, quem enim agrum inundatione fluminis occupatum dixerat, paulopost, *Sicut hic fundus* (ait) *cum alueus fluminis factus esset, fuisset publicus &c.* vt iam certò constet, alueum prolatum inundationem dici, & per huiuscemodi inundationē, quod priuatum ante fuit, publicum fieri, idest proprietatis causam mutari, illamq; à domino amitti. Ita quoque ager inundatus, hoc est alueus factus accipitur in l. quid tamen. §. agri. Quib. mod. vsusfr. amitt. ita in l. si in venditione. §. fin. de Periculo & comm. rei vend. ibi *Inundatione aquarum, aut chasmate, aut alio casu fundi pars perierit.*

¶ Fundi itaque ab alueo fluminis occupati dominium amittitur. nā vt Vlpianus ait in l. 1. §. simili modo. de Flumin. *Ille alueus, quem sibi flumen fecit, & si priuatus ante fuit, incipit tamen* 3 † *esse publicus: quia impossibile est, vt alueus publici fluminis non sit publicus.* Meritò autem inundati fun-4 di dominium amittitur, cum alueus fluminis factus fuerit: quia † ager, qui fuerat, desinit esse amissa propria forma, vt inquit Caius in propo sito in l. adeo. §. quòd si toto. Versic. si cuius tamen. de Acq. rer. dom.

5 ¶ Et hac pariter factū ratione puto, quod de † vsufructu ait Pomponius in l. si ager. Quib. mod. vsusfr. amitt. *Si ager* (inquit) *cuius vsus-*

fructus noster sit, flumine vel mari inũdatus fuerit: amittitur vsusfructus; cum ipsa etiam proprietas eo casu amittatur. quod & ait Iabolenus in l. cũ vsumfructum. §. 1. atque Vlpianus in l. quid tamen. §. agri. Eodem. *Agri* (inquit) *vel loci vsusfructus legatus, si fuerit inundatus, vt stagnum iam sit, aut palus, procul dubio extinguetur.* & rectè: cum enim amissa propria forma ager, qui fuerat, desinat esse, enim necesse est vsumfructũ amitti, quod per rei mutationem interire inquit Vlpianus in l. repeti. §. rei mutatione. Eodem.

¶ Quod autem fundo inundato de dominio, & vsufructu amittendo dictum fuit, hoc idem statuendum est de seruitute † quæ rerum est. & ideo si locus, per quem via, aut iter, aut actus debebatur, impetu fluminis occupatus fuerit, omnes seruitutes extinguuntur. l. si locus. Quemadmo. seruit. amitt. 6

Forma † porrò mutata non dicetur, licèt crusta agri, vel summa terra sublata sit: solum enim meum nihilominus permanet. l. cum vsumfructum. in fine. Quib. mod. vsusfr. amitt. 7

ARGVMENTVM.

¶ Fluminis inundatione per alluuionem recedente, ager relictus ad quem pertineat.

SVMMAE.

1 *Ager à flumine per alluuionem relictus ad priorem dominum non reuertitur, sed proximioribus acquiritur. & nu. 3.*
2 *Explanatio l. Martius. de Acquir. rer. domin.*
4 *Explanatio l. ergo. §. alluuio. Eodem. contra Corneum.*
5 *Ius alluuionis, & postliminij in multis conueniunt.*
6 *Ius postliminij ea tantùm restituit, quæ in iure consistunt. itemq; ius alluuionis.*
7 *Seruitus realis restituitur, restituto per alluuionem fundo seruiente, secus in vsufructu.*
8 *Ratio redditur.*

PARAGRAPHVS I.

SED bellissimè quæri potest; an si flumen recesserit; proprietas domino, vsusfructus fructuario, & seruitus quæuis in pristinum restituantur. Distinguere nos oportet, qua ratione flumen recedat, per alluuionem ne, an per aluei dimissionem.

Si alluuione † in antiquum locum redijt; ager hoc recessu fluminis 1

relictus ad priorem dominum non pertinet, sed cuique proximo acquiritur, vt apertè colligitur ex l.Martius.de Acquir.rer. domin. Ait Alphenus.† Martius fundum habebat secundùm viam publicã: vltra viam publicam erat ager Lucij Titij, deinde flumen, trans flumen prædium Sempronij. Flumen paulatim omnem agrum Lucij Titij, dein viam sustulit, atque ita in fundo Martij penitus constitit. Postea rursus minutatim recessit, & per alluuionem in antiquũ locum redijt. Ad quem spectare debuerint, & ager qui fuerat Lucij Titij, & viæ publicæ solum, interroganti ita respondit Alphenus. Cum flumen eum agrũ, & viam publicam abstulisset: agrum primò Sempronij factum esse, qui trans flumen fundum habuisset; postea cum paulatim retro redijsset, ademisse Sempronio, cuius ager ille factus fuisset, & adidisse Martio, cuius trans viam ager esset, quoniam eius fundus proximus flumini esset. Id quod autem publicum fuisset, nemini accreuisse. Ex hoc itaque Alpheni respõsõ in hunc modum declarato, euidẽtissimum est; quoniam inspicimus agrum Lucij Titij à flumine paulatim procedẽte bis relictum vltra citraq; flumen non illi restitutum, sed Sempronio primùm proximiori, postea Martio acquisitum, cum flumẽ alluuione in antiquum locũ redijsset: euidens, inquã, sumitur argumentum, quod per alluuionem flumine recedente fuerit adiectum prædio cuiuspiam illius fieri, non autem priori domino restitui. Et hoc placuit etiam Baldo in Rub.de Rer.diuis.nu. 27.(siue rigorem, siue æquitatem inspiciamus) non hac auctoritate, sed ex duplici ratione. altera est, quoniam quod per alluuionem agro nostro flumen adiecit, iure gentium acquiritur nobis, inquit Caius in l.adeo §. præterea de Acqui.rer.dom. ideo ius quæsitum nobis paulatim, postea auferri iniquum videtur. sic idẽ Bal. paulò ante nu. 21. in proposito dixerat hoc ideo esse, quia est sentẽtia Iuris gentium, quæ statim transit in rem iudicatam. Altera est, & potior ratio: quoniã, si ob æquitatem alluuio priori domino foret restituenda; omnes leges de acquirenda alluuione tractantes iam vacarent. quod verum est. Cum Baldo autem consentiunt Aret. in §. præterea. Institut.de Rer.diuis. & Iason in cons. 126.nu. 2. lib. 4. Rimin. in §. 1.nu. 41. Instit. Quib. alien. licet. & omnium primus Corn. in cons. 191. in prin. & nu. 10. vol. 3. Ad hoc adducitur, quoniã in eo §. præterea. & in l. 1. in fine. C.de Alluu. simpliciter, & generaliter legit, quod per alluuionem accreuit, proximis acquiri. & speciem hanc in terminis haberi ait in ea l.Martius. quod & nos ante diximus, antequam ipse occurrisset. & insuper nec in iure cautum reperiri, nec à maioribus nostris in hæsitationem vnquam deductum fuisse scribit, vt id, quod al-

luuio adijcit fundo vicini, restituatur antiquo domino.

¶ Nemo † autem illud obijciat, quod ait Pomponius in l. ergo. §. alluuio. de Acquir. rer. dom. *Alluuio, inquit, agrum restituit eum, quem impetus fluminis totum abstulit.* ager igitur, qui recessu fluminis, & alluuione restitutus est, ad pristinum dominum (vt paulò post ibi legitur) spectare dicendum videtur. Occuritur enim & egregiè, non eo quidem modo, quo Corneus in illo cós. 191. nu. 11. qui censet, in eius §. specie agrum fuisse inundatum tantummodo, non alueum fluminis factũ: inundatio autem, inquit ille, fundi speciem, causàmue non commuttat, vt habetur in l. adeo. §. quòd si toto. de Acq. rer. dom. inundatio igitur paulatim retrocesserat, & ideo ait Pópon. *Alluuio agrũ restituit.* Quòd illic de inundatione intelligatur, arguit ab illis verbis, *siue non paulatim sed eodem impetu, recessu fluminis restitutus est.* si ex impetu, inquit ille, occupauit, & eodem impetu recessit flumen: alueum ergo sibi non constituit. prout in simili textu ait Glos. in l. si ager. in verbo *eodem.* Quib. mod. vsusfr. amitt. Potuit vim etiam facere in illis verbis *inundatione fluminis occupatus est.* Ad illud autem, quod paulò post in eo §. alluuio. legitur, *Itaque sicut hic fundus, cum alueus fluminis factus esset, fuisset publicus, ita nunc priuatus eius esse debet, cuius antea fuit*; per quæ de aluei constitutione illic intelligi verisimile est: ad hæc, inquam, sic respondet Corneus. nam interpretatur, *cùm alueus*. i. si alueus fluminis factus fuisset, quasi non fuerit factus alueus, sed tantummodo inundatus ager ille.

4

Sed hæc explicatio omnino explodenda est: apertissimè enim constat paulò diligentius intuẽti, de eo impetu fluminis ibi locutum Pomponium, non qui simpliciter inundarit, sed qui alueum fecerit. illud ante omnia vrget. *Alluuio, inquit, agrum restituit eum, quem impetus fluminis totum abstulit.* Si fuisset inundatio, nec dici posset agrum abstulisse: proprietatis enim causa non mutatur, vt in eo §. quòd si toto. nec per alluuionem diceretur ager restitutus, sed per aquæ recessum; vt hac locutionis formula vtitur in proposito Caius in eo §. quòd si toto. & repetitur in §. quòd si naturali. Institut. de Rer. diuis.

Rursus restitui abusiuè diceretur, quod non fuisset amissum. Item inundatio occupans non facit de priuato publicum, nec recedens de publico priuatum. nam solum ab ea occupatum eiusdem iuris perpetuò remanet, vt Iabolenus ait in l. cum vsumfructum. vbi Glos. Quib. mod. vsusfr. amitt. Sed hęc cõmutatio de publico in priuatũ, & è conuerso contingit per aluei tantùm constitutionem, & eius recessum; vt clarum extat Vlpiani placitum in l. 1. §. simili modo. de Flumin.

Cum itaque in eo §. alluuio. Pomponius eam diuisionis rationem subinferat, quoniam flumina Censitorum vice funguntur, vt ex priuato in publicum addicant, & ex publico in priuatum: de eo impetu, qui alueum constituat, non qui simpliciter inundet, eum intellexisse, nemo potest dubitare.

Postremò accedat his, quod & postremò Pomponius illic ait. *Itaq; sicut hic fundus cum alueus fluminis factus esset, fuisset publicus: ita nunc priuatus eius esse debet, cuius antea fuit.* Quid hisce verbis clarius, de aluei constitutione, non autem de inundatione quæsitum esse? præsupponit fundum illum antea fuisse publicum, & extra dominium domini abijsse; recessu autem fluminis factum postea priuatum; & ideo eius esse debere, cuius antea fuit; de inundatione hoc dici nequit: ergo de alueo oportet interpretari. quod (vt dixi) ex illis etiam verbis liquidò constat, *cum alueus fluminis factus esset.* i. dum alueus factus esset: est enim aduerbium tẽporis. Expositio namq; Cornei, cum alueus, i. si alueus, & à legis sensu, & à recta loquendi ratione penitus aliena est. Verba illa verò *sed eodem impetu, recessu fluminis restitutus est.* expone. i. simili, & subito impetu, vt interpretatus est Acurs. in l. si ager. Quib. mod. vsusfru. amitt. quæ potior est explicatio, quàm secunda, in qua vim facit Corneus, vt inferius dicam.

Dubitatio igitur adhuc viget, vt quod alueus abstulit flumine recedente per alluuionem, domino priori restituatur. Sed hunc scrupulũ egregiè (ni fallor) in hunc modum euelli posse censeo. *Alluuio*, inquit *Pomponius, agrum restituit eum, quem impetus fluminis totum abstulit.* Hic nõ intellexit, quod flumen per alluuionem adiecerit, ad pristinum dominum pertinere: in eâ enim lege liquidissimum est, flumen non per alluuionem, & paulatim recessisse, sed per impetum, vt in illis verbis *Sed eodem impetu, recessu fluminis restitutus est.* Qui sensus est igitur eorum verborum? *alluuio agrum restituit. &c.* Ego sic interpretor. alluuionis ius scilicet (vti sæpius hac accipi significatione verbum hoc iam diximus in superiore libro. cap. 5.) hoc efficit, vt, quod à flumine occupatum est, si per impetum recesserit, pristino domino restituatur. de qua restitutione latius mox dicturus sum. Sicut simili locutione dicitur postliminium, hoc est ius postliminij pristino restituit domino, quod ab hostibus captum reuersum fuerit. Item ius postliminij omnia restituit iura perinde, ac si captus ab hostibus non esset, vt in l. ius postliminij. C. de Capt. & postlim. reuer. Quæ duo † aliàs inter se (vt id obiter dicam) optimè conueniunt, ius scilicet alluuionis, & postliminij. nam (vt interim taceam, à Doctoribus æquipari locum aliquem ei

5

se à flumine, vel ab hoste occupatum per l.cum vnus.§.fin.de Bon.iud. auctor. possid.) postliminij iure, vt dixi, perinde omnia restituuntur iura, ac si captus ab hostibus non esset l. postliminij ius. de Capti. & postlim. reuers. in prin. adeò vt & mulier in opus salinarum ob maleficium data, & ab hostibus redempta in suam causam reincidat. l. mulier. Eodem, & expulsis hostibus ex agris, quos ceperant, dominia eorum agrorum ad priores dominos redeunt. l. si captiuus. Eodē. iure scilicet postliminij, vt etiam sensit Accurs. eo loci, dum affert. l. in tantum. in prin. de Rer. diuis. Idem pariter obseruatur, vt agro per alueum fluminis occupato, eius impetu deinde restitutus in pristinam causam reincidat dominij, vt in eo §. alluuio. & seruitutis personalis. i. vsusfructus. l. si ager. Quib. mod. vsusfr. amitt. & seruitutis quoque realis l. si locus. Quemad. seruit. amitt. Rursus † ius postliminij ea tan tùm restituit, quæ in iure consistunt l. in bello. §. codicilli. versic. cætera. de Capt. & postlim. reuer. in his autem quæ facti sunt, vti possessio, nihil operatur. ideoq; eorum, quæ quis vsucapiebat per semetipsum possidens, & qui postea captus est; interrumpitur vsucapio, ait Tryphonius; quia certum est eum possidere desiisse: factæ enim causæ infectæ nulla constitutione haberi possunt, vt legitur in ea l. in bello. §. factæ. Sicut autem postliminium possessionem non restituit, sed ea. quæ in iure sunt idem est in alluuionis iure. licèt enim subito recessu fluminis restituatur ager priori domino, interrupta tamē præscriptio non restituitur; etiam si tantummodo per inundationem fuerit interrupta, vt latè in superiori proximo capite diximus. Ea autem, quæ in iure consistunt, per alluuionum iura restituto fundo, & ipsa restituuntur, vt paulò ante probaui.

Non absurda igitur est omnino nostra interpretatio, vt alluuio. i. ius alluuionis exponatur; quinimmo aut hunc, aut nullum alium idoneum sensum censeo. Nihil ergo eius §. alluuio. auctoritatem constat officere his, quæ supra de communi nostratium voto conclusimus; vt, quod prædio meo per alluuionem flumen adiecerit, meum sit, nec ad pristinum dominum pertineat. & sanè quis poterit incrementa ea minutula vti sua particulatim agnoscere? solum præterea prædij, mutata forma, alius ager incipit esse. Omne igitur & solum, & incrementum proximo possessori acquiratur; nullum ius antiquo domino competat, aut restituatur. Excipienda † est tantùmmodo seruitus viæ, actus, & itineris, quam in pristinum statum restituendam legimus, loco seruiente per alluuionem restituto, vt habetur in ea l. si locus.

Quemad. seruit. amitt. Cur † porrò tum non restituatur vsusfructus, ratio reddi ea potest, quoniam difficilius amittuntur seruitutes, quæ rerum sunt, quàm quæ personarum l. seruitutes. §. si sublatum. de Seruit. vrban. prædiorum. vbi Florianus in fine.

ARGVMENTVM.

¶ Fluminis inundatione, alueòve per impetum recedente, ager relictus quibus acquiratur.

SVMMAE.

1 *Alueus paulatim relictus, sicut alluuio, domino non restituitur, sed cuique proximo possessori acquiritur.*
2 *Aequitatis specialis extensio non fit contra rigorem generaliter scriptum.*
3 *Idem est dicere, hoc de rigore, illud de æquitate, & hoc ab illo corrigitur.*
4 *Vix est. Hæc oratio quid significet. & nu. 7.*
5 *Ager subito, & impetuoso recessu fluminis relictus ad priorẽ dominũ secundùm rigorem non pertinet, ex æquitate tamen restituitur, et nu. 8. 9. & 11.*
6 *Explanatio l. adeo. §. quòd si toto. versic. si cuius tamen. de Acq. rer. dom.*
10 *Explanatio l. si ager. Quib. mod. vsusfr. amitt.*
12 *Et l. cum vsumfructum. Eodem.*
13 *Alueus fluminis totus simul vnico impetu relictus indistinctè proximis possessoribus acquiritur.*
14 *Alueo ex parte per impetum relicto, ex æquitate vnicuique antiquo domino suus ager restituitur.*
15 *Seruitus realis, & personalis restituitur, restituto fundo à flumine per impetum recedente.*

PARAGRAPHVS II.

De recessu fluminis per alluuionem satis diximus: de eo nunc recessu videamus, cum nihil superalluuendo, alueum naturalem deserit, & dimittit. Hoc incrementum duobus modis 1 potest contingere vel paulatim, vel per impetum: de eo † incremento, quod paulatim accreuit idem ius statuendum puto, quod in alluuione statutum est: eædem enim rationes vrgent, & in iure nihil vsquequaque inter se differunt, prout in priore libro cap. 3. demonstrauimus. Item cũ in iure faciendam esse restitutionem statuitur, præsupponitur agrũ, alueumue ex impetu dimissum, ideo non est facieda extensio ad hũc casum, qñ vt inquit Imola in l. 1. de Rer. pmut. & Corn. in eo cons. 191. nu. 13. qñ † rigor scriptus est generaliter, cui derogatur 2

per

per æquitatem in aliquo casu speciali, non producitur ad casum etiam similem æquitas; sapit enim correctionem. Et hæc, quæ de alueo paulatim relicto diximus, probat idem Corn. in eodem cons. 191. nu. 10.

¶ Difficilior est disceptatio, & paulò obscurior cognitio de aluei incremento, quod per impetum flumine recedente fieri contigerit, an priori domino restituatur. Sunt qui putant, proximis quibusq; possessoribus acquiri hunc alueum, nec pristino domino, ex cuius agro factus est alueus, fore restituendum, siue rigorem siue æquitatem inspicias. Inter cæteros adest Corneus, qui in illo cons. 191. nu. 13. lib. 3. hanc opinionem in puncto iuris, & de subtili ratione veriorem arbitratur. Non est enim, inquit, verisimile, vt Caius qui in §. quòd si post. l. adeo. de Acquir. rer. dom. dixerit, *Si post aliquod tempus ad priorē alueum reuersum fuerit flumen: rursus nouus alueus eorum esse incipit, qui propè ripam eius prædia possident*. incontinenti per subsequentia verba §. si cuius tamen. velit se corrigere; vt de æquitate sit priori domino alueus restituendus. idem enim † sonat hoc de rigore est, illud de æquitate, & hoc ab illo corrigitur, prout ait Glos. not. in l. cotem ferro. §. qui maximos. in fine. de Public. & vectig. legum autem correctio euitanda est. l. sancimus. C. de Testam. cum simil. hæc igitur æquitatis consideratio reijcienda est. Item quoque, si hæc æquitas admittitur, necessum est, absurdum quid concedi, ait Corneus, vt anterior Caij sententia deroget posteriori Imperatoris constitutioni, qui absolutè, & indistinctè in §. quòd si naturali. versic. quod si post. Instit. de Rer. diuis. censuit alueum impetu fluminis relictum proximis possessoribus acquiri. Ideo verba illa *Sed vix est, vt id obtineat*, interpretanda sunt, vt tamen obtineat, licèt difficulter. nam alibi quod vix est, est tamen; & proprius est hic sensus huius orationis, vt placuit Glos. in l. vix certis. per illum textum. de Iudic. & in Proœm. Clement. & in l. si plures. in fi. de Vulg. & pupill. & hoc annotauit Alber. quoque in Diction. in verbo *vix est*.

3

Et hanc probant sententiam ob illam Iustiniani indistinctam decisionem Socin. Iun. in cons. 28. in fi. lib. 4. & Io. Bapt. Caccialup. ab eo relatus, quem ita eleganter respondisse ait ibi Socinus. Et ad eam potest induci. l. cum vsumfructum. §. 1. ibi *nec in pristinum statum restitui possit*. Quib. mod. vsusfr. amit.

¶ Plerique tamen in contrariam iere sententiam per l. adeo §. si cuius. de Acquir. rer. dom. vt licèt fortè de iuris rigore secus videatur; de æquitate † tamen alueus fluminis impetu derelictus, ad pristinum dominum pertineat, ex cuius agro alueus factus sit. qualem proculdubio

fuisse illic Caij sensum ex pluribus suspicari licet. *Si cuius tamen*, (inquit

6 † Caius) *nouus alueus totum agrum occupauerit, licet ad priorem alueum reuersum fuerit flumen: non tamen is, cuius ager fuerat, stricta ratione quicquam in eo alueo habere potest*. affertur ratio subinde. *Quia & ager ille, qui fuerat, desijt esse amissa propria forma: & qui vicinum prædium nullum habet, non potest ratione vicinitatis vllam partem in eo alueo habere: Sed vix est, vt id obtineat*. Hæc Caius. Quid opus fuit, tam longa verborum serie dubitationem è rigore resultantem excitare, & insolutam dimittere? Si rigor dubitationem facit, ergo æquitas eam tollit. Hoc suadetur ab illa dictione aduersatiua *tamen*, quam aut in facto, aut in iure necesse est aduersari. cum autem in facto hic non possit superioribus aduersari, eadem enim facti species versatur & in præcedenti §. quod si post. & in subsequenti post eum §. si cuius tamen: ergo in iure aduersari oportet, vt hæc videatur limitatio secundùm Iasonem in l. possideri. §. ex contrario. nu. 4. de Acquir. possess. Vt, licèt dictum sit in §. quod si post. alueum impetu fluminis relictum proximis acquiri; illud tamen stricta ratione procedat; de æquitate verò ad pristinum dominum pertinere

7 conueniat. Et hoc est, quod ait Caius, *vix est*, † *vt id obtineat*, hoc est, non potest obtinere, vt aliàs in l. fin. in prin. Ad senatuscons. Velleian. *vix est vt ei succurri debeat*. accipitur, non potest ei succurri. ita accipitur in l. tutor. Eodem ita interpretatur in l. si iure. ibi. *sed vix id obtinere potest*. de Leg. 3. vbi Dynus, & Bart. eum referens. Sic in l. vbi autē non apparet. §. sed qui vinum. vbi Glos. de Verb. oblig. in l. si seruus legatus. §. qui quinq; de Leg. 1. atq; in l. fi. de Assignat. libert. Itē si exponitur, *vix est*. i. difficilè est, vt id obtineat: Quæso, quid hanc difficultatē parit? succurrit ne Caio hęc difficultas in hoc §. si cuius. quę in superiori proximo §. quòd si post, in hac eadem specie nō obstitit, quin apertè dixerit, alueum proximis acquiri? Satius est itaque, difficultates aduersari non strictæ rationi, sed æquitati, quibus non obstantibus æquitatem amplectitur Iurisconsultus.

8 Hanc † porrò interpretationem, & hanc æquitatis sententiam secutus est Azo in Summa Institut. de Rer. diuis. nu. 31. relatus etiam ab Accursio in eo §. si cuius tamen. cui quamuis non videatur illic assentiri, expressè tamen in l. si ager. in fin. Quib. mod. vsufr. amitt. & citra omnem hæsitationem probat. hos sequitur Bart. in Tyb. Par. 3. in verbo *Sed vix est*. hanc etiam opinionem egregiè tuetur Baldus in Rub. de Rer. diuis. nu. 27. Inquit enim, alueus ipsius esse fluminis quodammodo dici potest, cum igitur alueum per impetum recedens dimittit, videtur eum pro derelicto habere. Itaque æquitas patitur, vt ad pristi-

num dominum potius reuertatur, quàm ex lucratiua causa circunco-lentibus applicetur. Et hoc placuisse Dyno ibidem scribit Bald. quem sequitur Ang. in §. quòd si naturali. Institut. de Rer. diuis. Iason in cōs. 126. nu. 2. vol. 4. Arimin. in §. 1. nu. 41. Instit. Quib. alien. licet, vel nō. & plerosque huius esse sententiæ non inficiatur Cor. in eo cons. 191. nu. 2. & Socin. in cons. 26. in fi. lib. 4. licèt ipsi, (vt proximè attuli) contrariam amplexi fuerint opinionem.

¶ Placet † nobis quibque hæc sententia, tum per ea, quæ superius diximus, tum per l. si ager. Quib. mod. vsusfr. amitt. atque per apertissimum textum l. ergo. §. alluuio. de Acquir. rer. dom. quibus legibus motum quoq; Baldum in ea Rub. de Rer. diuis. apertè constat, itemq; Iasonem in illo cons. 126. Quod ad l. si ager † pertinet, inquit ibi Pomponius de agro inundato, ita vt sit amissa proprietas; per aluei scilicet constitutionem. *Sed quemadmodum, si eodem impetu recesserit aqua, quo venit, restituitur proprietas: † ita & vsumfructum restituendum esse, dicendum est.* Quid his verbis clarius? neque autem intelligas in principio legis de alueo quæri, in fine autem de inundatione, vt primum opinatus est Accursius, qui postremò & rectè intellexit casum non mutatum, & in principio, & in fine de alueo per impetum constituto, & relicto simili impetu ibi quæsitum. quod suadetur ab illa aduersatiua. [Sed] cuius est natura superiores qualitates repetere. Bar. in l. Lucius. §. qui. Ad Treb. sic ait Alex. in l. si filius à patre. nu. 6. de Liber. & posthum. arg. l. Seiæ. §. Caio. de Fundo. instructo. &c.

Quod verò ad l. ergo. §. alluuio. † spectat, clariora sunt & apertiora verba. *Si ager,* (inquit idem Pomponius) *qui inter viam publicam, & flumen fuit, inundatione fluminis occupatus est, siue paulatim occupatus est, siue non paulatim, sed eodem impetu recessu fluminis restitutus est: ad pristinum dominum pertinet.* De inundatione autem non simplici, sed ea, qua alueum sibi constituit flumen, fore intelligendum, supra admonuimus. Quod recesserit per impetum, arguunt illa verba *Sed eodem impetu.* i. impetu vnico, vel simili impetu, quo venit, vt dicitur in ea l. si ager. & ita intellexit hunc §. Glo. illic, & in l. adeo. §. si cuius. & in l. Martius. in fine. de Acquir. rer. dom.

Possumus itaque concludere: quoties flumen agrum alicuius occupauerit, siue paulatim, siue per impetum totum simul, dummodo alio impetu dereliquerit, pristino domino restitutum esse ipso iure, vt colligitur ab illis verbis *ad pristinum dominum pertinet.* Quòd si nō impetu, sed paulatim dimiserit, secus esse: nā tum alluuionis iure proximis possessionibus acquiritur.

9

10

11

12

¶ Non obstat autem superioribus ea consideratio, quod illa debet fieri interpretatio, ne Caius videatur statim se corrigere: nam in re certa non opus est interpretatione. Quod ad illud pertinet, per hæc videri anteriorem sententiam Caij, derogare posteriori Iustiniani: respondeas interdum & posteriores leges à superioribus exponi, & limitari. l. sed & posteriores. de Legib. quod igitur indistinctè constituit Iustinianus, distinguitur ab æquitate per Caium proposita. Ad. l. cum vsum fructus. dicito, illud ibi de stricta ratione intelligi, secus attamen esse de æquitate, vt etiam illic interpretatus est Accursius.

Cæterùm ad tollendas has obiectiones, non ineptè fortassis posset, cum simus in correctorijs; hoc est, cum agatur de æquitate scripta in casu singulari contra rigorem generaliter traditum: posset, inquam, non ineptè distingui, † Si mutato penitus alueo, flumen aliò fluere cœperit, & rursus post aliquod tempus subito recessu hunc alueum penitus dereliquerit; vt tum proximo cuiq; possessori acquiratur, reiecta rigoris, aut æquitatis consideratione. & ita intelligatur, locumq; sibi vẽdicet, quod habetur in eo §. quod si post. & §. quod si naturali. In his enim terminis proponuntur. Si verò † flumen agrum alicuius non per totius aluei mutationem, sed veterem proferendo, & dilatando occuparit: tum ea æquitas attendatur. & in his terminis scribitur in eo §. si cuius. & in l. si ager. ac in §. alluuio. si rectè intueamur. Ad hoc autem moueor, non quia ratio firma diuersitatis possit assignari: sed cùm agatur de iure corrigendo, ne æquitas extra terminos suos egrediatur.

¶ Restituta porrò proprietate, cęteraq; iura quoq; restituta cẽsentur, vt vsusfructus. l. si ager. cum. l. seq. Quib. mod. vsusfr. amitt. & multò magis ius seruitutis realis, quod recedente paulatim flumine, restitutũ etiam intelligitur. l. si locus. Quemad. seruit amitt.

13 14 15

ARGVMENTVM.

¶ Restitutionis beneficium cuius temporis inundatione tollatur.

SVMMAE.

1. *Seruitus realis ipso iure restituitur, fundo seruiente restituto per fluminis recessum intra tempus, quod ad amittendam seruitutem sufficit.*
2. *Hoc elapso tempore, necessaria est in integrum restitutio. ratione lege nu. 11.*
3. *Seruitus personalis iuxta superiorem distinctionem aut ipso iure, aut per in integrum restitutionem restituitur.*

4 *Fundi proprietas à flumine relicti, iuxta prædictam distinctionem antiquo domino restituitur. & nu. 6.*

5 *Aqua per se fluens non potest præscriptionem inducere: nam per rem inanima tam nihil nobis quæritur. & nu. 12. sed inceptam perficit. num. 13.*

7 *Dominium difficilius amittitur, quàm vlla seruitus.*

8 *Præscriptio currit contra impeditum de facto; sed cõceditur restitutio ex clausula generali.*

9 *Restitutio in integrum ex generali clausula datur intra quadriennium à die sublati impedimenti.*

10 *Fundus quantocunque tempore fuerit occupatus à flumine, eius recessu ipso iure ad dominum pertinere videtur.*

CAPVT XXIIII.

QVÆRENDVM superest, an per alicuius temporis inundationem, quæ formam agri abolere consueuit, restitutionis beneficium amittatur. Si de seruitute reali quærimus, elegantem habemus Iaboleni distinctionem in l. si locus. Quemadmo. seruit. amitt. is ait: *Si locus, † per quem via, aut iter, aut actus debebatur, impetu fluminis occupatus esset, & intra tempus, quod ad amittendam seruitutem sufficit, alluuione facta restitutus est: seruitus quoque in pristinum statum restituitur. Quòd si † id tempus præterierit, vt seruitus amittatur: renouare eam cogendus est.* similis est distinctio in l. vnus ex socijs. §. fi. cum l. seq. de Seruit. rustic. præd. Si intra decennium igitur inter præsentes, vel viginti annos inter absentes fit agri restitutio, quod tempus ad amittendam seruitutẽ sufficit, vt legitur in l. corruptionem. vbi Glos. pen. C. de Vsufr. & in l. fin. in fi. C. de Præscrip. longi temp. seruitus etiam mero iure restituta censetur. Quòd si decennium, vel viginti annorum spatium præterierit, ope restitutionis in integrum ex clausula generali Si qua mihi iusta causa &c. dominus fundi seruientis eam renouare cogendus est, quod & probat Glos. in ipsa l. si locus. arg. l. & Attilicinus. in fi. vbi Glo. etiam hoc annotauit. de Seruit. rustic. præd.

¶ Hanc † distinctionem & in seruitute personali, vt vsusfructus, seruandam censeo; tum quia ratio differentiæ assignari non potest, tum tum etiam quoniam in proposito ferè è cõuerso à seruitute hac ad seruitutem viæ, actus, & itineris arguit ex Labeonis auctoritate idem Iabolenus in l. cum vsumfructum. Versic. idem iuris. Quib. mod. vsusfr. amitt. Quocirca quod inquit Põponius in l. si ager. Eod. vsumfructũ esse (indistinctè) restituendum, si aqua recesserit, iuxta hanc distinctionem intelligendum venit; & multò magis; nam difficilius amittitur

seruitus

seruitus realis, quàm personalis. l. seruitutes. §. si sublatum. de Seruit. vrb. præd. vbi Flor. in fi.

¶ Quid autem de proprietate ipsa? an hæc Iaboleni distinctio seruanda est, quoties recedente per impetum flumine, eam restitui contigerit? Bartolus putat in Tyber. Par. 3. super verbis *vix est*. Si tandiu alueum in fundo habuerit flumen, quandiu ad amittendum dominium sufficit, si decennium scilicet inter præsentes, & viginti annorum spatium inter absentes præterierit: fundum postea restitutum ad pristinum dominum non pertinere. Sic enim quilibet præscripsisset, vt ille ait, ergo & flumẽ, cum habeat titulum de iure gentium, arg. l. in bello. §. si quis seruum. de Capt. & postlim. reuers. Cum Bartoli sententia simpliciter more suo conueniunt Aret. in §. quòd si naturali. Institut. de Rer. diuis. & Cepoll. de Seruitut. Cap. de Seruitute aquæductus. q. VII. prin. versic. sed quid si ad antiquum. & Corneus præterea in cons. 191. nu. 6. lib. 3. ac etiam Iason in l. 1. nu. 84. de Acquir. possess. qui de suo penore promit ad hoc. §. præterea. Instit. de Rer. diuis. vim facit, (vt reor) in versic. Planè si longiori tempore, &c.

4 ¶ Cæterùm † Socinus contrariam probat sententiam in cons. 28. nu. 39. lib. 4. & negat in hæc verba, *aliquam præscipitionem contingere titulo illo iuris gentium aluei derelicti, quia hoc iure non cauetur: à principio enim aut acquiritur plenè, aut nullo modo. Nec aliquid ad propositum probatur in l. in bello §. si quis seruum. de Captiu. in quo se fundat Bart. quoniam ibi vsucapio procedit ex titulo emptionis; de quo habemus tit. ff. Pro emptore.* Hucusque Socinus. qui non bene percepit Bartoli sensum, cum ille quærat de fluminis præscriptione, at hic intelligit de hominis præscriptione ex titulo iuris gentium. Rectè porrò in refellendo argumento desumpto ex eo §. si quis seruum. Sed rectius inquit Bar. Cepoll. de Seruit. cap. de Alueo. ad medium. is obijcit illud, quod scribit Bal. in c. 1. §. si quis de manso. nu. 14. de Controu. inuest. Aquam † nempe per se fluentem non

5 posse præscriptionẽ inducere, vel consuetudinem: quia non est res animata; & per rem inanimam nihil nobis quæritur, vt ait Glo. sing. in §. ex his itaque. in dictione *per hanc*. Per quas person. nob. acquir. quam singularem & alibi prædicat Bald. in l. si de proprietate. nu. 8. C. Si à non compet. iud. fuer. iud. Baldi sententiam verò probant in eo §. si siquis de manso. Præpos. nu. 11. & Afflict. nu. 48.

6 ¶ Verior † hæc nobis videtur opinio, & iustior; vt si intra tempus, quod ad amittendum fundi dominium sufficit, per impetum recedente flumine sit restitutus: ad pristinum dominum ipso iure perueniat. Quòd si id tempus præterierit: ope restitutionis ex clausula generali

fundum illum dominus consequatur, iuxta superiorem Iaboleni distinctionem in seruitute reali. de qua in illa l. si locus. à qua ita Baldū arguentem in proposito, posthæc reperi in l. 1. nu. 38. C. de Cōfess. Et rectè: nam si hoc in reali seruitute confitemur, multò magis in dominio proprietateue; cum difficilius † dominium amitti, quàm seruitutē constet. Seruitus enim non vtendo ab ignorante quoque, mero iure amittitur. l. si partem. §. si per fundum. Quemadm. seruit. amit. at in amittendo dominio titulus, bona fides, & longa præscribentis possessio requiritur. toto Tit. C. de Præscript. longi temp. Cum itaque difficilius rei proprietas, quàm seruitus amittatur: si lapso tempore, quod ad amittēdam seruitutem sufficit, tum ope restitutionis in integrum seruitus restituitur: multò magis rei dominium. Vt hac ratione Paulus ait in l. seruitutes. §. si sublatum. de Seruit. Vrban. prædiorum. sublato ædificio, quod seruituti reali, vt stillicidij obnoxium sit; si in eadem specie, & qualitate repositum fuerit: restitui & seruitutem stillicidij; quod non concedit in seruitute personali, vt vsusfructus. Ratio est, vt inquit ibi Florian. in fi. quoniam facilius amittitur seruitus personalis quam realis. Quod difficilius igitur amittitur, facilius ope restitutionis restituetur. Huc facit † regula ea generalis, quòd impedito facti impedimento currit quidem præscriptio, sed illi datur restitutio ex generali clausula, Si qua mihi &c. hæc colligitur ex l. 1. §. si quis propter. vbi Bart. de Itin. actuq; priuato. & ex l. vnius ex socijs. §. fin. cum l. & Attilicinus. seq. de Seruit. rust. præd. quæ vulgò solet ad hoc allegari. Bart. ibi, & in l. senatus. de Off. præsid. Butr. Abb. & Fely. in c. ex transmissa. de Præscript. Bald. atque Ang. in l. sicut. C. de Præscript. 30. annor. qui duo censent, quòd semper est danda restitutio, si contrarium expresse cautum non sit. Datur † autem restitutio hæc intra quadriennium à die sublati impedimenti. l. fin. C. de Temp. in integr. restitut.

¶ Quinimo haud in subtili ratione potest suaderi, quātuncunq; † tēpus ager à fluminis alueo occupatus permāserit; ipso iure à flumine derelictum ad pristinum dominum pertinere. In primis mouet illud, quòd ex eo, quia facilius amittitur seruitus, quàm dominium, rectè non possit argui, vt distinctio, quæ obseruatur in seruitute, in dominio veniat obseruanda. Imò videtur indistinctè dicendum, vt quotiescunq; alueus aliò per impetum translatus fuerit, illum semper ipso iure antiquus dominus fundum consequatur. His adde, quòd ideo in seruitute † datur restitutio in integrum, cum tempus præterierit, quod ad seruitutem amittendam sufficit: quoniam dominus fundi seruientis libertatem dicitur præscripsisse mero iure; propter tamen iustum

7

8

9

10

11

facti impedimentum datur restitutio.l.& Attilicinus.de Seruit. rustic. præd. Vt aliàs regulariter contra impeditum impedimento facti currit præscriptio, sed si iustum ferit illud impedimentum, datur in integrũ restitutio, qđ superius diximus. at in specie proposita nulla potest cõsi derari præscriptio, cũ neminẽ inueniamus, qui prescripserit. De flumi ne † autem ridiculum est hoc asserere, quicquid dicat Bart. res enim inanimata, si nobis non præscribit, vt paulò ante diximus: multó minus sibi. Nam præscriptio procedit à ciuili possessione, possessio hæc animum præsupponit. l. licèt. C. de Acquir. possess. ergo flumen nec potuit possidere, nec præscribere, cum ipsum sit animi expers nec ab animo alterius cuiuspiam coadiuuetur. Cuius animi effectus quandoque est, vt licèt res animata nobis ex integro non præscribat: incæptam † tamen facto alterius præscriptionem perficiat animus, rei inanimatæ ministerio. l. qui fundum. Quemadmo. seruit. amitt. Cum itaque nec flumen prescribat per se, nec alterius facto ad id coadiuuetur; nulla est necessaria contra præscriptionem (quæ nulla est) restitutio. ipso iure igitur ad dominum debet pertinere fundus à fluminis alueo derelictus. Cui sententiæ optimè respondet Caij generalis oratio; indistinctè enim domino fundundum restitui ait in eo §. si cuius. Sic & Pomponius in illa l. si ager. & in illo §. alluuio. nec nos igitur distinguemus. cum præsertim tempus per se nostra auferre non possit, l. obligationum. §. placet. de Action. & oblig. Atque hoc idem Baldum in Rub. de Rer. diuis. nu. 7. sensisse, possumus opinari: dum idem ius statuit, si flumen post breue, vel longum tempus alio impetu reuersum fuerit ad priorem alueum. quod & de Cepolla, ac Socino supra relatis licèt asserere, ex quo inquiunt, flumina ius prescribendi non habere: nulla itaque opus est in integrum restitutione.

BAPTISTAE AYMI PARMENSIS IVRISCONSVLTI.

DE ALLVVIONVM IVRE VNIVERSO, *LIBER TERTIVS.*

PROOEMIVM.

CVM omnia, quæ ſuper cognoſcendis, acquirendis atque amittẽdis fluuiaticis incrementis, neceſſaria putauimus, abundè, vt arbitror, huc uſque explicata ſint: poſtrema iam inſtat tractatio, nec in iniucunda; vt de recta, & legitima incrementorum diuiſione peragenda, apertius, & breuius quoad fieri poſſit, diſſeramus. Super hac cognitione qui ſcripſerint, paucos inuenio: qui perfectè, adhuc neminem. Summus inter noſtrates legum interpres Bartolus quadraginta propè diuiſionum modos omnium primus in totidem figuris in ſua Tyberiade depinxit, quos modos omnes ferè, ex eo ſolo conſtat eſſe falſos, quod vnum ſolùm tam ratione Propinquitatis, quàm modo Latitudinis leges conſtituant omni agrorum, & frontium poſitioni deſeruientem. Baldus poſt eum in fine Rubricæ de Rerum diuiſione, paucula quædam ſed ita generaliter, ac leuiter admodum, neque ex iure, quia contra ius tradidit, vt nulli vſui nobis eſſe poſſint: in in inſulis namque diuidendis, neſcio quid de Placenta in menſa appoſita confingit, quo normam diuidendorum incrementorum, ratione propinquitatis, præſcribat. Quod ad diuiſionem verò pro modo Latitudinis pertinet, Proportionis ratione diuiſionem inſtituit, vt generaliter quot pedes agri frons vnaquæque lata erit, tot iugera ex vni-

uersò incremento quisque consequatur. Vnde fiet frequentissimè, vt (quæ est incrementorum irregularis forma) incrementi portio contingens agri frontem non respiciat; quæ res ab omni iure & ratione alienissima est, vt ex sequentibus constabit. Hoc Baldi de proportione commentum, superioribus diebus Bononiensis quidam secutus, Librum benè magnum de diuidendis alluuionibus materno exaratum sermone edidit, cui quantum tribuendum sit, ipsa docent principia tãto errore labantia: refellere enim singula ab eo illuc congesta, nobis nec vacat, nec expedit. Ioannes porrò Buteo Delphinaticus paucos ante annos in tantis tenebris erroris, & inscitiæ lumen primus prętulit in libello, quem de Operibus Geometricis inscripsit. Sed & ipse multa obscurè, nonnulla perperam protulit, quam plurima verò prætermisit. Nonnulla etiam postea leuiter, & summo (vt aiunt) digito exarauit Hieronimus Magius in suis Miscelaneis lib. 4. cap. 2. quæ tamẽ ad reprobandum generaliter Bartolũ potius pertinẽt, quàm vt vllam nobis certam diuisionum normam afferant. Multum tamen est, quod his debeatur, qui viam hanc inaccessam primi sunt ingressi, quam posteriores demum tritam, & stratã possent reddere. In quo opere meũ & ego studium, qualecunque sit, nauare constitui. Magnũ quid & arduum est profectò, quod aggredior, ac difficilè ex eo præsertim, quoniam contra Bartoli auctoritatem multa dicere, multa docere oportet. Sed diuino IESVS CHRISTI Seruatoris nostri fidens numine, à quo frustra nihil vnquam petitur, quod ad veritatis indaginem pertineat, susceptum munus obire minimè vereor. Nõ me latet, quosdam obesę naris ceu nefas arbitraturos, à norma diuisionum à Bartolo tradita latum etiam vnguem recedere; vt pote qui ob egregiam iuris prudentiam inter nostrates. I. C. primas occuparit. & vt primùm hasce meas Lucubratiunculas in manus vix sumpserint, cõtra receptam hucusq; tãti viri doctrinã instructas, risuros fortè, & eas distortis naribus percursuros. Tantum enim potest opinio præiudicata; vt apud quosdam, etiam sine ratione, valeat auctoritas. Sed eos meminisse vellim, quod sæpius Cicero discipulorum auribus inculcare consueuit. Ne te moueat dicentis auctoritas, sed quid dicat, attendito. Tolle mihi igiturę causa nomen Bartoli; remoue, ac prætermitte auctoritatem; congredere, ò quisquis rides, rationibus ipsis, sine quibus plerunque obest auctoritas: lege prius attentè, & tum nostra hæc diiudica: futurum enim postea confido, vt in meas partes pedibus manibusq; pertranseas.

Argu-

ARGVMENTVM.

¶ Geometricæ quædam Propositiones proponuntur.

CAPVT I.

QVò facilius, quæ dicturus sum, intelligi valeant, nonnullas Definitiones, & Propositiones è Geometricis elementis Euclidis desumptas oportet præmittere. Nec hoc quis incongruum arbitretur: nam Iurisprudentia Architectonica est, ad quam cætera scientiarum genera referuntur, vt nobis ex Aristotele Ethicor. lib. 6. testatur Budæus in Annot. prioribus ad l. vlt. Si mens. fals. mod. &c. Architecticam falso vocabulo dicit Bartolus in Proœmio ad figuras Tyber. Par. 1. & Architectoriam Alexander in cons. 177. nu. 4. lib. 6.

Definitiones ex Euclide.

Punctum est, cuius pars nulla est. *Punctum.*

Linea verò longitudo latitudinis expers. *Linea*


Lineæ autem termini sunt puncta.

Recta linea est à puncto ad punctum breuissima extensio. *Linea recta*

Superficies est, quæ longitudinem latitudinemq; tantum habet.




Cum recta linea super rectam lineam consistens angulos vtrobiq; æquales inter se fecerit, Rectus est vterq; æqualium angulorum, & quæ superstat recta linea Perpendicularis vocatur eius, super quam steterit.



Obtusus angulus est, qui Recto maior est.

Acutus verò, qui minor est Recto.


Figura est, quæ sub aliquo, vel aliquibus terminis comprehenditur.



Quadratum est, quod & æquilaterum, & rectangulum est.




Altera parte longius est, quod rectangulum quidem, at æquilaterum non est.



Hæc, & superior figura sub Parallelogrammi rectanguli appellatione veniunt. vnde vbi in subsequentibus de Parallegrammo hoc verba facere contigerit, de ijs intelligi debere admonemus.

Parallelæ rectæ lineæ sunt, quæ in eodem sitę plano, & ex vtraque parte in infinitum productæ in nulla parte concurrunt.




Parallelæ,

Theoremata ex Euclidis lib. 1.


Theorema. 7. Propos. 14.

Si duæ lineæ à puncto vnius lineæ in diuersas partes exierint, duosq; circa angulos rectos aut duobus rectis æquales fecerint: illæ duæ lineæ sibi directò coniunctæ sunt, & vna linea.




Theorema 18. Per æpo. 27.

Si in binas rectas lineas recta incidens linea alternatim angulos æquos inter se fecerit, parallelæ inter se ipsæ rectæ lineæ erunt.




Theorema 20. Propoſ. 29.

In parallelas lineas recta incidens linea, & alternatim angulos inter ſe æquales efficit, & externum interno & oppoſito, & ad eaſdem partes æqualem: & internos, & ad eaſdem partes duobus rectis æquales facit.



Theorema 21. Propoſ. 30.

Quæ eidem rectæ lineæ ſunt parallelæ, & inter ſe ſunt parallelæ.




Cum hæc Euclidis Theoremata certiſſima ſint, vt nulla egeant probatione; cumq; in ſuperuacaneis minimè hærere, uagariue iam vſque ab initio propoſuerimus breuitati ſtudentes; ideo eorum demonſtrationes prætermiſimus. quas ſi quis fortè interius agnoſcere concupierit, Campanum, & Zambertum Euclidis interpretes adire poteſt. Interim nos ad Problematum, quæ rei noſtræ neceſſaria ſunt, enarrationem accedamus.

Problemata ex Euclidis lib. 1.

¶ Nemo putet nos hic exactas illas demõſtrationes allaturos, quas Euclidis interpretes vnicuique Problemati afferre ſolent: ad maiora enim, & vtiliora properantibus ſatis erit quàm facilimam fieri poterit operationem deſcribere, & breui manu (vt aiunt) totum Euclidis ſenſum comprehẽdere. Nam vbi per eoſdem linearum ductus, quibus ipſe Euclides, proceſſerimus: quotus quiſque poſtea de noſtræ operationis veritate poterit ambigere

Problema.5.Propoſ.10.


Datam rectam lineam terminatam bifariam ſecare.



Sit data recta linea terminata A. B. quam oporteat ſecare. facto cētro vtroque puncto A.& B. duo circuli ſecundùm quantitatem lineæ A.B.deſcribantur, ſeu duorum circulorum duæ portiones; quę ſe interſecabunt in punctis C. D. tum ducta linea C. E. datam rectam lineam terminatam ſecabit in puncto E. quod oportuit feciſſe.

Problema.6. Propoſ. 11.

Data recta linea, à puncto in ea dato rectam lineam ad angulos rectos excitare.




Sit data recta linea A. B. datum verò in ea punctum ſit C. oportet ab ipſo puncto C. ad angulos rectos rectam lineam excitare. Poſito circini pede in puncto C. abſcindantur in punctis D. & E. æquales portiones à lineis A. C. & B. C. in quibus punctis D.& E. poſito pariter circino interuallo lineę D. E. deſcribantur duo circuli interſecantes ſe in puncto F. tum ducta linea F. C. ea eſt, quam data recta linea A. B. à dato in ea puncto C. ad angulos rectos excitare oportuit. quod erat faciendum.

Problema 7. Propos. 12.

Super datam rectam lineam infinitam à dato puncto, quod in ea non est, perpendicularem rectam lineam deducere.


Sit data recta linea infinita, sitq; illa A.B. datū verò punctum, quod in ea non est, sit C. oportet ab hoc puncto super illam lineam perpendicularem ducere. Facto centro in puncto C. describatur circulus G. E. F. secans lineam A. B. in punctis G. & E. secetur autem linea G. E. (per Propos. 10.) in puncto D. tum ducta linea C. D. super datam lineam rectam infinitam perpendiculariter cadit. quod fecisse oportuit.




Problema 10. Propos. 31.

A dato puncto datæ rectæ lineæ parallelam rectam lineam ducere.

Sit datū punctum A. data verò linea B.C. oportet ab hoc puncto ei lineæ aliam rectam lineam parallelam ducere. Suscipiatur in ipsà B. C. contingens punctum D. & connectatur punctum vtrumque per lineam A. D.& super punctum A. constituatur angulus E. A. D. qui sit æqualis C. D. A. angulo sibi coalterno. tum ducta linea A. E. à puncto extra dato erit parallela B. C. datæ rectæ lineæ. quod fecisse oportuit.




Angulus porrò in extremo lineæ A. D. æqualis angulo B. D. A. ita facillimè constituetur. Nam facto centro in puncto D. abscindantur ex lineis A. D. & B. D. lineæ D. F. & D. G. inter se æquales. Rursus eadem circini diductione facto centro in pūcto A. abscindatur ex linea A. D. linea A. H. æqualis lineæ D.F. & simul describatur circulus, seu circuli portio H. I. Tum interuallo lineæ F. G. posito circini pede immobili in puncto H. describatur



alius circulus, circuliuè portio, quæ ſecet in puncto I. circuli portionem I. H. & ducatur linea A.I. atque in infinitum etiam producatur: lineæ enim B. C. ſemper erit æquidiſtans. Cum ergo H. I. ſit æqualis F. G. & linea A. H. lineæ A. I. itemq; hæ duæ lineæ ſint æquales D. G. & D. F. & hac ratione paria ſint tria latera tribus lateribus: angulus igitur I.A.H. æqualis erit G.D. F. per Propoſ.8.lib. 1. Euclidis. quod eſt propoſitum.

Problema 14. Propoſ. 46.


Ex data recta linea quadratum deſcribere.



Sit data recta linea A.B.ex qua quadratum deſcribere oporteat. A punctis A. & B. educantur lineæ A. C. & B. D. per Propoſ. 11. perpendiculares, ſeu ad angulos rectos ſuper lineá A.B.& ponatur vtraque earum ęqualis eidem A. B. tum, ſi protrahitur linea C. D. quæ erit æqualis & æquidiſtans lineæ A. B. ex data linea A. B. deſcriptum quadratum A. B. D. C. habebimus. quod facere oportebat.

Poſtremò, vt ſua tandem veluti Coronide tractationem hanc concludamus; quoniam Paulus in l. inter eos. de Acquir. rer. dom. diuiſionis formulam præſcribit in illis verbis. *Quantum ante cuiuſque eorum iuxta ripa eſt, tantum veluti linea in directum per inſulam transducta, quiſque eorum in ea habebit certis regionibus.* Scire oportet, qualis ſit ductus lineæ in directum. Quod hic ergo in directum ductam lineam ait Paulus, Geometrica locutione perpendiculariter, vel ad angulos rectos ductam lineam nuncupamus. De hoc autem ductu Paulum intellexiſſe nemo poteſt dubitare. certum eſt enim hunc ductum Pauli nec fieri poſſe, nec intelligi in vna tantummodo recta linea, ſed minimùm in duabus rectis, vt inquit & rectè Buteo. Si quidem ea oratio comparationem ſonat. ſic & perpendicularis aliam lineam ſupponit, cui inſiſtat, & cuius ſit perpendicularis, vt patet ex eius definitione. Item certum eſt nullam lineam in directum duci poſſe, niſi ſit ipſa recta, ſicut è conuerſo duci poteſt linea recta non tamen in directum, veluti ſi ducatur in obliquum. Qui ductus obliquus ſicut opponitur directo, ita & ambo iuncti & comparati vnò ſimul exemplo ſe ſe demonſtrant ſecundùm illud axioma, Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. l. vnica. §. & cum triplici. in prin. C. de Caduc. toll. Exemplum autem eſt huiuſcemodi ſecundùm Buteonem. Sit recta

linea A. B. & super eam cadat linea C. D. vtcunque ad angulos non rectos in punctum D. à quo puncto ad lineam A. B. excitetur ad angulos rectos linea D. F. per operationem in superiori sexto Problemate demonstratam. Dico (inquit Buteo) lineam



D. F. esse ductam in directum ad lineam A. B. quoniam cum ea rectos angulos facit, & lineam C. D. ad vtramque lineam A. B. & D. F. esse ductam in obliquum; quoniam cum vtraque facit angulos no rectos & eum ideo esse ductum lineæ ad lineam in directum, cum ad rectos angulos linea super lineam ducitur. Hactenus Buteo, & rectè quidē; sed sine demonstratione, vel auctoritate. Proinde hoc apertissimè nobis insinuant ea, quæ apud Vitellonem in suæ Optices lib. 4. in definitionibus habentur: vbi ita scribit. in definit. 3.

Linea directè visui opposita dicitur illa, cui axis radialis perpendiculariter incidit secundùm aliquod eius punctum. 4. Linea obliquata ad visum dicitur, cui axis radialis ad nullum sui punctum perpendiculariter potest incidere. Item in definitione 5. *Superficies directè opposita dicitur, quando axis radialis perpendiculariter erigitur super illam. 6. Superficies verò obliquata ad visum dicitur, quando axis radialis punctis illius superficiei incidit obliquè.* Huc faciunt ea, quæ inquit Cic. de Nat. Deor. lib. 1. his verbis *Epicurus ait atomum, cum pondere, & grauitate directò deorsum feratur, declinare paululum.* hoc est, non ferri ad angulos rectos (quæ fuit Aristotelis sententia) sed obliquè, & paululum declinare. Verum est igitur ductum lineæ in directū ad aliquam rem, esse ductum perpendicularem, siue ad rectos angulos. Ita paries directus tum dicitur, vel arbor directa, cum angulos vtrinq; æquales, rectos scilicet cum solo facit. Et huic expositioni consentiunt optimè ea, quæ dicentur in capite ab hinc quarto de inuenienda fronte agrorum, quæ ad insulam respiciat, & quæ ab insula respiciatur. Et hoc sensu etiam Bartolus hunc ductum accepit in Fig. 6. Par. 1. Tyb. Certum est itaque lineam ab agris in directum per insulam esse transductam, quæ ad angulos rectos ducta fuerit. quod erat demonstrandum.

¶ Quoniam verò propter fluminum quorundam magnitudinem, & maxima quandoque incrementorum spatia, soliq; asperitatem impossibile erit per lineas has Geometricas diuisiones conficere: Ideo mensorem docere conuenit, quibus instrumentis hoc possit & breuius & certius assequi: alioquin frustra hic labor omnis suscipitur. Ad

operis igitur compendium, cum tota diuisio pendeat à rectorum angulorum constitutione, vt colligitur ex superioribus, normam oportebit parare, sed longè grandiorem, quàm quæ in vsu fabrorum est, & quæ regulam habeat subtensam angulo recto, vt firmior, & emendatior perduret. quò longiora autem brachia habebit norma hęc, eò vtiliorem præbebit operam. maximo quoque vsui futura est machinula illa, quà agrimensores ipsi formas quadratas, aut trigonas designantes in agris, instructis per visum lineis, earumq; latera metientes arearum spatia quæque facilè ex ijs dimetiuntur. Aqua machinula mensores hi Machinarij vocantur (de quibus in l. vlt. Si mens. fals. mod.) ad differentiam Decempedatoris; vt inquit ad eam l. Budeus in Prior. annot.

Linearum insuper volumina mensor noster habebit, quas in longitudines operi necessarias explicabit. Hic ego lineam intelligo pro mēsoris funiculo, quam barbarè chordulam dixit Accursius. vt hoc sensu passim apud veteres I.C. accipitur, sic in l. lineam margaritarū. Ad l. Falcid. ac in l. si. seruus seruum. §. si cum maritus. Ad l. Aquil. neque aliud intelligit ipse Paulus in ea l. inter eos. de Acquir. rer. dom. ibi *veluti linea in directum per insulam transducta*. Huius lineæ, seu funiculi extensio vicem præbebit lineæ rectę; per ea enim Pauli verba non solùm legis, sed etiā dimēsionis ratio, & artificium aperitur; cum dictio *veluti* sit exempli nota. l. veluti. de Iust. & iure. l. veluti si peregrè. de Eden.

Horum instrumētorū vsus erit huiuscemodi. exempli gratia, super protensa recta linea collocatio normę alterutro brachio, protractaq; altera linea secundū alterū brachiū, hę duę lineę ad angulos rectos mutuò se intersecabunt. Item admoto altero normæ brachio ad punctū in linea protensa, vel extra lineā datā, ductaq; ab eo pūcto linea secundùm brachiū normæ erectū, ea linea super linea protensa perpendiculariter, & ad angulos rectos erit constituta. & si plura puncta data sint, pluries ita operaberis, & omnes illæ lineę sic ductę inter se erunt necessario parallelæ, seu æquidistantes. Quòd si fortè breuiora erunt normæ brachia, quàm quæ ad puncta data pertingere possint: machinula superior ad hoc subsidio ueniet, vnaq; linearum volumina. Leuia quidem hæc sunt, attamen opportuna agrimensoribus plurimùm imperitis, & crassionis Mineruæ, quibus cum in præsentia sermo est, nō cum iuris peritis. Sed quid obest, & cum his agere, vt ipsi, cum sors tulerit, indocto mensori, quid agat, planius possint præscribere?

Sed iam in vniuersum legitimam incrementorum diuidendorum rationem aggrediamur.

ARGV-

ARGVMENTVM.

¶ Quomodo fiat diuisio inter eos, qui ab vtraque parte fluminis prædia possident.

SVMMAE.

1 *Diuisio incrementorum inter eos, qui ab vtroque latere fluminis prædia habent, fit ratione Propinquitatis.*
2 *Propinquitatis ratio inter eos agros non prodest, in quibus frons simul, & iusta prædij Latitudo non concurrit, & nu. 5.*
3 *Vt in insula diuidenda.*
4 *In alueo hoc idem comprobatur.*
6 *Propinquitatis controuersia ad initium nati incrementi referenda est.*
7 *Ab vtroque latere adhuc esse dicuntur, cum fit diuisio; qui in initio ante natum incrementum fuerant.*
8 *Quatenus propius est incrementum, eatenus acquiritur.*
9 *Quatenus Latitudo & frons prædij concurrit, eatenus ad acquirendum ratione vicinitatis admittitur.*

CAPVT II.

INCREMENTA omnia fluuiatilia diuidenda veniunt aut inter eos, qui ab vtraque parte fluminis prædia possident, aut inter eos, qui ab eadem ripa. Quotiescunque † quæri contigerit de diuisione inter eos, qui ab vtroque latere prædia habuerint, illud inprimis considerandum erit, cui parti fluminis sit proximius incrementum: de propinquitate † tamen quæretur inter ea tantummodo prædia, ad quorum Latitudinem propè ripam, siue ad quorum frontem incrementa respicient, vt vtrumque de insula † expressit Caius in l. adeo §. insula. de Acquir. rer. dom. in illis verbis. *Si quidem mediam partem fluminis tenet insula; communis fit eorum, qui ab vtraque parte fluminis propè ripam prædia possident, pro modo latitudinis cuiusque prædij, quæ latitudo propè ripam sit. Quòd si alteri proximior sit, eorum est tantùm, qui ab ea parte propè ripam prædia possident.* Hucusque Caius. Hic quæritur de insula inter eos, qui ab vtraque parte fluminis prædia possident; & proximitas consideratur; sed vbi nulla est prædij propè ripã latitudo, ibi nullam communionem in insula futuram innuit Caius in illis verbis *communis fit pro modo latitudinis.* & hoc idem expresśius respondit Proculus in l. insula. §. 1. Eodem. in hæc verba. *Flumen istud, in quo insulam contra frontem agri tui natam esse scripsimus, ita vt non excederet longitudinem agri tui, si al-*

luuionis ius habeat, & insula in initio propior tuo fundo fuit, quàm eius qui trans flumen habeat: tota tua facta est. Quid clarius? hic Proculus & insulam contra fontem agri natam considerat, & propiorem fundo illi, quàm eius qui trãs flumen habeat; & tum demum respondit illi acquisitam: & quia nihil excedebat agri longitudinem insula, totã eius esse factã asseuerat, quasi si excessisset tota eius futura nũ fuisset. Hoc idẽ Paulus in l. epistola. §. pen. Eodẽ. Si insula (inquit) *in flumine nata fuerit deinde inter eam insulam, & contrariam ripam alia insula nata fuerit, mensura eo nomine erit instituenda à tua insula, non ab agro tuo, propter quem ea insula tua facta fuerit. Nam quid interest, qualis ager sit, propter cuius propinquitatem posterior insula cuius sit queratur?* Hæc Paulus. En hic agitur de diuisione inter prædia ab hac, & à contraria ripa sita atque ideo propinquitatis nomine instituendam mensuram proponit Paulus: inter ea tamen prædia propinquitas attendetur, ad quorum frontem insula respicit; nam ad hoc inter primam insulam, & contrariam ripam, aliam insulam esse natam præsupponit Paulus. His adde Pomponium in l. ergo. §. tribus modis. Eodem. *Insula fit eius* (inquit) *cuius ager propior fuerat, cum primum extitit.* Inter eos itaque qui ab vtraque parte fluminis habent prędia, maior propinquitas consideratur, si de diuidendis insulis tractabitur, vt expressè fatetur Bar. & ipse in Tyber. Par. 2. Fig. 7. in prin. Propinquitas tamen inter ea prædia tantummodo considerabitur, & intra regionem eorum prædiorum tantummodo in metiendo accipietur contra quorum frontem insula respiciet. quod Bartolum latuit; quapropter multa perperam tradidit.

4 ¶ Idem iuris † esse constat, cum de diuidendo alueo disceptabitur. vt inter eos, qui ab vtraque parte fluminis sunt, alueus medius iure propinquitatis diuidatur, & vnicuique quod proximius fuerit, attribuatur, vt Celsus filius scribit in l. ergo. §. Celsus. Eodem. ibi. *cum exsiccatus esset alueus, proximiorum fit.* atque Vlpianus in l. 1. §. simili modo. de Flumin. ibi. *quod est vtriusque vicini.* Et expressius hoc respondit Proculus in l. insula. in fine. de Acquir. rer. domin. in illis verbis: *Sed alueus,* (inquit) *qui fuit inter eam insulam & vicini fundum, medius diuidi debet, ita vt pars propior insulæ tuæ, tua sit pars autem propior agro vicini, eius esse intelligatur.* Hæc Proculus. Nostram porrò distinctionem hanc probat Bart. in Tyber. Par. 3. super verbis. *qui propè ripam.* vim facit in eo §. quòd si toto. ibi. *non potest ratione vicinitatis. &c.*

5 Cum itaque † de Incrementi diuisione tractabitur inter eos, qui ab vtraque parte fluminis prædia possident, siue illud insula sit, siue alueus, ea portio vnicuique adiudicabitur, quæ proximior fuerit: Si ta-

men

men & contra frontem prædij respiciet; frustra.n. quæretur de Propinquitate incrementi in illis prædijs, contra quorum frontem incrementum non fuerit.

¶ Propinquitatis † autem disceptatio ad initium nati incrementi referenda est, vt illi censeatur proximius, cui in initio proximius natũ est. quod et ait Azo in Summa Institu. de Rer. diuis. nu. 29. Vnde ideo Pomponius scribit in l. ergo. §. tribus. de Acquir. rer. dom. *Insula fit eius, cuius ager propior fuerat, cum primùm extitit.* & in principio illic. *Quia nec ab initio quidẽ eius fieret.* & Proculus in ea l. insula. in prin. *Insula,* inquit, *quæ in initio propior fundo tuo fuit, quàm eius qui trans flumen habeat, tota tua facta est.* quod & paulò post repetit. initium igitur attendemus. Quapropter † & tum dicemus de aluei diuisione quæri inter eos, qui ab vtraq; parte, in contrarijs scilicet lateribus fluminis prædia possideant, habito respectu ad tempus illud in initio, quo alueus nondum fuit exsiccatus, licèt postea diuisionis tempore ab eodem latere fluminis dici debeant esse. vt in hac specie respondit Proculus in eadem l. insula. in fine. cuius loci superius mentionem fecimus. Eodẽ enim modo alueus dicetur esse inter diuersas, & contrarias ripas, qui iam fuit, prout & insula illic à Proculo dicitur, quæ iam fuit, licèt nunc non sit.

6

7

1

¶ Quatenus † autem incrementum cuique proximius erit, eatenus illi acquiretur, & adiudicabitur, vt inquit Glos. in l. adeo. §. insula. in verbo *proximior.* de Acquir. rer. dom. & ex eius auctoritate Bart. in Tyber. Par. 2. in verbo. *Communis fit eorum,* arg. l. stichum qui meus erit. de Leg. 1. quod & verum est, & hoc voluit Bald. in Rub. de Rer. diuis. nu. 24. Et consequenter eadem ratione, quatenus † Latitudinis modus, seu frons prædij concurret, eatenus ad acquirendum ratione vicinitatis quisque admittetur.

8

9

ARGVMENTVM.

¶ Inter eos, qui ab eadem parte fluminis habẽt prædia, quomodo fiat diuisio.

SVMMAE.

1 *Inter eos, qui ab eadem parte fluminis prædia possident, fit diuisio pro modo Latitudinis cuiusque prædij.*

2 *Nulla habita Propinquitatis, aut Cohærentiæ ratione.*

3 *Nec Proportionis.*

4 *Insula inter eos, qui secundùm vnam ripam prædia habent, diuiditur pro modo Latitudinis cuiusque prædij, quæ Latitudo propè ripam sit.*

5 *Et contra quam insula respiciat.*
6 *Alueus inter eosdem eodem modo diuiditur.*
7 *Alluuio inter eosdem pariformiter diuiditur.*
8 *Alluuio propriè accepta citra diuisionis medium acquiritur.*
9 *Incrementum quod meo paulatim adijcitur, meum est, etiam si contra frontem aliorum processerit, vel etiam si alteri propius accedat.*
10 *Alluuionis appellatione venit, nõ solùm quod prædio alicui vi fluminis paulatim superinductum est, sed illud etiam, quod è latere adiectum est.*
11 *Insula, alueus, & alluuio inter eos, qui sunt ab eadem parte fluminis, eodem modo diuiditur, pro modo scilicet Latitudinis.*

PARAGRAPHVS I.

1 QVotiescunq; verò de diuidendis incrementis agitur inter eos, † qui nõ ab vtraq;, sed ab eadẽ parte fluminis prædia possidẽt, nihil aliud attendendum venit, quàm Latitudo cuiusq; præ-
2 dij: nã in Propinquitate nullã † vim fieri oportet, & iccirco neq; in eo, quòd alteri fortè cohæreat incrementum, à cæteris verò prædijs distet: quicquid dixerit Bart. in Tyber. Par. 1. in Fig. 11. quem inferius la-
3 tiore stylo refellemus in toto cap. 12. Neque etiam † Proportionis intuitu, frontium scilicet prædialium ad totum incremẽtum, diuisiones instituere oportet, saltem simpliciter, & indistinctè, ac eo modo, quo putat Bald. in Rub. de Rer. diuis. in fine: proportio enim hæc non excluditur penitus, sed nec tamen generaliter attendi potest; quoniam sæpissimè cõtingere posset, quòd si sola proportio attẽderetur, portio mihi contingens in incremento contra frontem agri mei non respiceret (vt videre licet in Bononiensis illius opusculo secundùm proportionem diuidentis, & perperam,) quod in primis requiritur, vt dicam in sequentibus, & præsertim in cap. 4. & 5. Quapropter pro certiore regula, & faciliore norma diuisionis, solùm Latitudinis modũ, & frontis respectum in iure consideratum legimus; prout hãc formam præscribit Caius in insula diuidenda, quod legitur in l. adeo. §. insula. de
4 Acq. rer. dom. ibi. *communis † fit eorum pro modo latitudinis cuiusq; prædij, quæ latitudo propè ripam sit.* expressius Paulus in l. inter eos. de Acq. rer. dom. *Inter eos*, inquit *qui secundùm vnam ripam prædia habẽt, insula in flumine nata non pro indiuiso cõmunis fit, sed regionibus quoq; diuisis: Quantum enim ante, cuiusq; eorum iuxta ripam est, tantum quisq; eorũ in ea habebit certis regionibus.*
5 Itẽ Põponius in l. ergo. in prin. Eodẽ, *ergo*, inquit, *si insula † nata accreuerit fundo meo, & inferiorem partem fundi vendidero, ad cuius frontẽ insula nõ respicit: nihil ex ea insula pertinebit ad emptorem.* En igitur insulæ diuidẽdæ nor-

ma,

ma, pro modo scilicet latitudinis prædii, quę iuxta ripam sit, & quæ latitudo insulam respiciat. de qua re latius in cap. 4. huius libri.

¶ Hanc eandem normam in diuidendo alueo † præscribit idē Caius in eadem l. adeo. §. quòd si toto. totidemq; verbis explicat. *Alueus eorum est*, inquit, *qui prope ripam prædia possident, pro modo scilicet latitudinis cuiusque prædij, quæ latitudo propè ripam sit.* Cæterùm de Propinquitate, siue Cohærētia, aut Proportione ne verbum quidem in his omnibus locis, vt nec cogitatum ab eis. I. C. possis dicere. quod vtiq; dixissent, si in illis vim fieri oportuisset.

6

¶ Consequens est autem superioribus, vt quoniam de alluuione nūquam potest oriri disceptatio, nisi inter eos, qui ab eadem parte fluminis prædia habent; hoc † incrementum latens semper pro modo Latitudinis diuidatur, in Propinquitate verò vis nulla fiat; vt modus, & norma diuisionis, quam obseruandam diximus in partiendo incremēto insulæ, & aluei inter eos, qui ab eadem parte fluminis prædia possident; eadem penitus in diuidendo alluuionis incremento obseruari debeat, quod & probat Bar. in Tyber. Par. 1. in fine Proœmij ad Figuras. & Par. 2. in verbo. *pro modo.* & in Fig. 2. in fine, atque in Par. 3. in verbis *qui prope ripam.* quibus subscribit Cepol. de Seruitut. cap. de Insula. q. VIII. Vt inter eos qui ab vnaquaq; parte fluminis possidēt fiat diuisio alluuionis, insulę, & aluei pro modo Latitudinis. Hic autem prætereūdum non est, quod vbi leges apud Bartolum in citatis locis. *ab vtraque parte.* id debet accipi, & exponi, idest ab vnaquaque parte; prout ipsemet videtur declarare in Par. 3. in illis verbis. *qui prope.* aliàs ineptè esset locutus.

7

¶ Cæterùm Buteo in libello de Fluuiaticis insulis secundum ius ciuile diuidendis, inter eius opera Geometrica edito, censuit, nihil opus habere alluuionem mensoris opera, cum paulatim fiat, & omni momento temporis, quo meo adijcitur, mea statim efficiatur. & hoc est quod inquit Caius in ea l. adeo. §. præterea. *Quod per alluuionem agro nostro flumen adiecit, iure gentium acquiritur nobis*, idest (vt interpretatur Barto. in Tyber. Par. i. in verbo *acquiritur nobis*,) absque hominis facto. Addit Buteo, hoc inde etiam suaderi. quoniam idē Caius in l. adeo. quoties vel de Insula in flumine nata, vel de fluminis alueo relicto determinat, toties acquisitionis modum inter vicinos, formamque præscribit pro modo scilicet latitudinis: In alluuionibus autem de solo iure gentium meminit. Hæc Buteo: cuius opinio vera defendi potest in alluuione † propriè accepta, quæ vel prædijs ipsis superinducitur, vel è latere paulatim adijcitur, atque etiam in aluei incremento, quod pau-

8

latim relinquitur, quod alluuionem quodammodo dici posse in primo libro cap. 3. §. 1. comprobauimus. Nam cum hæc incrementa, quæ per alluuionem fiunt, omni momento temporis, quo meo fundo adijciuntur, mea fiant: illud autem per alluuionem adiectum dicatur, quod ita paulatim adijcitur, vt intelligere non possimus, quantum quoquo momento temporis adijciatur: Item cum in diuisionibus his, prout in initio extitit incrementum, illud ita attendatur: quomodo in vnoquoque momento temporis, in vnaquaque insensibili particula alluuionis dari, aut adaptari diuisio poterit? initium autem nati incrementi attendi in diuisione, & in hoc capite diximus, & rursus dicetur in cap. 4. huius ipsius libri. In hac itaque specie citra mensoris operam, quod meo adiunctum est, † meum est; etiam si ita accreuisset, vt procederet incrementum contra frontem agri superioris vicini, vel inferioris; vel etiam propius esset fundo eius, qui trans flumen habet. Cuius rei responsum Proculi his ferè verbis legitur in l. insula. in prin. de Acquir. rer. dom. cum enim non possit dari diuisio, modus Latitudinis, frontisuè prędiorum, & mensura Propinquitatis frustra tum inquiritur.

9

Quòd si incrementum eius generis adiectum sit, quod flumen efficit non per alluuionem, paulatim scilicet supra alueum coalluendo, sed quod effecerit, euidentes adaggerando supra alueum arenarum cumulos, quod plerunque contingit: quoniam incrementum hoc alluuionis appellatione latiori comprehendi in cap. 3. §. 1. libri primi diximus; in hac specie opinio Bartoli Buteoni contraria defendi potest, atque etiam in ipso alluuionis incremento propriè sumpto, quod frontibus plurium prædiorum adiectum conspicitur, eius tamen exordiũ, vel progressus in quibus certis locis, & qualis fuerit, ignoratur. Et hãc distinctionem expresse probat (vt post hæc comperi, lætatusq; apprimè sum) Castren. in cons. 373. *Licet iudex.* in fine, in Antiquis. per textum in l. insula. in prin. de Acquir. rer. dom. & per Gloss. illic in verbo *id tuum est.*

In alio porrò decipitur Buteo, vti qui credidit, id solùm per alluuionem adiectum censeri, quod superinductum est; quod autem è latere adiectum paulatim fuerit, id omne aluei appellatione contineri, vt ex eius expositione ad §. præterea. d. l. adeo. super verbo *adiecit*, potest animaduerti. Sed sat docuimus in priore libro cap. 3. §. 1. non solùm quod prædio alicui superpositum est, alluuionem dici, † verum id omne etiam, quod è latere adijcitur, si paulatim coalluendo locum supra alueum eminentem fecit flumen, & alluendo auxit, arg. l. ergo. §. tri-

10

bus

bus modis.ibi *tertio cum &c.* de Acquir.rer.dom. Imò plerunque alluuionis incrementum contingit per fluminis recessum, & prioris agri prolationem ex aluei dimissione:& vbi in iure de alluuione sit mētio) de hac specie plerunque intelligimus. exemplo sit (vt cætera omittā) quod ait Alphenus in l.Martius. Eodem. ibi *postea flumen recessit, & alluuione in antiquum locum rediit.* & ad finem legis. *nec tamen impedimento esse viam, quominus ager, qui trans viam alluuione fluminis relictus esset, Martij fieret.* Item Proculus in l.insula. Eodem. in illis verbis *& quod postea ei alluuione accessit, id tuum est, etiam si ita accreuisset, vt procederet insula &c.*

Quapropter certum est, & alluuionis incrementum quandoq; quinimò plerunque mensoris operam requirere. Nec refragatur expositio Bartoli ad verbum *Iuregentium*, quam legimus in Tyber.Par.1. in verbo *acquiritur.* in prin. Cum enim inquit, alluuionem acquiri ipso iure gentium absque alicuius hominis facto, intelligit Bartolus de dominio ipsius incrementi, quod, vt primum extiterit incrementum, recta transit, & illicò nobis acquiritur: vnde statim quærit, quid sit de possessione. De diuisione illum non sensisse exploratum est sane, cum multas ipse figuras pro diuidenda alluuione instituerit. Quod verò omisit Caius in eo §. præterea. non est nouum in iure, vt aliunde suppleatur. l.non est nouum. de Legib.l.1. Ad leg. Aquil. quod igitur circa diuisionem alluuionis est prætermissum, à formula tradita in diuidendis alueo & insula suppleamus.

Superiorum itaque summa sit, & conclusio, quòd incrementa insularum, & alueorum inter eos, qui ab vtraque parte fluminis prædia possident, diuiduntur iure Propinquitatis. Inter eos autem, qui ab eadem sunt parte, insula, † alueus, & alluuio eodem modo, & forma diuiduntur, pro modo scilicet Latitudinis cuiusq; prædij. Quam distinctionem (vt dixi) expressis verbis probat Bar. in Tyber. Par. 2. in Fig. 7. in prin. & Par. 3. in verbis *qui propè ripam*. licet ipsa re, & in ipsis figuris sæpissimè eius distinctionis obliuiscatur, vt suo loco dicturus sum. 11

¶ Non omittam autem, quod hic agimus de incrementis illis, quæ prædijs ius alluuionis habentibus adiecta fuerint. Cæterùm si fuerint agri Limitati, locaue sacra, religiosa, sancta, & cætera, in quibus non agnosci ius alluuionis in Cap. 1. Libri superioris diximus, nulla prædictorum obseruatio necessaria est: occupantis enim fiunt ea incrementa. 1

ARGVMENTVM.

¶ Mensura Propinquitatis vnde, & quibus ex locis instituenda sit.

SVMMAE.

1 Norma Propinquitatis indagandæ ab Accursio tradita refellitur. & nu. 5.
2 Norma Propinquitatis inueniendæ ab ipso fluminis corpore, & aluei latitudine dimensa assumitur. & nu. 9.
3 Propinquitas inuenitur per medianam fluminis diuisionem, & nu. 7.
4 Siue de insula diuidenda agatur.
6 Siue de alueo.
8 Ea sola Propinquitas attenditur, quæ secundùm fluminis latitudinem desumitur, non quæ secundùm longitudinem.
10 Explanatio l. ergo. §. tribus modis, l. insula; ac l. epistolam. §. pen. de Acquir. rer. dom.
11 Fluminis cursus, & alueus naturalis ab æstate dignoscitur.

CAPVT IIII.

RES nunc exposcit, vt de via Propinquitatis, & Latitudinis indagandæ, super quibus totus rectæ diuisionis cardo vertitur, certam tradere regulam aggrediamur. Quod ad Propinquitatem primò pertinet, Accursius in l. adeo. §. insula. in dictione *proximior.* de Acquir. rer. dom. & iterum in §. insula. in verbo *mediam partem.* Instit. de Rer. diuis. censuit mensuram Propinquitatis huius esse instituendam ab agris, vt scilicet accepta chordula, (vt ille inquit) & puncto in medio posito inter vtrunque agrum, quod vltra punctū erit, ad vlteriores, quod citra, ad citeriores pertinebit. Huic opinioni suffragari videntur Pomponij verba illa l. ergo. §. tribus modis. de Acquir. rer. domin. *insula fit eius, cuius ager proprior fuerat,* & Proculi in l. insula. Eodem. ibi *& insula in initio propior tuo fundo fuit, &c.* item conferunt ea verba Labeonis in l. epistolam. §. pen. Eodem. *Nam quid interest, qualis ager sit, propter cuius propinquitatem posterior insula cuius sit, quæratur?* Propinquitas ergo ab ipsis agris semper desumenda videtur.

1 Veruntamen † cuique paulò diligentius intuenti facilè constabit, hoc nequaquàm verum esse generaliter, punctum scilicet medium inter vtrumq; agrū citeriorem, & vlteriorem semper huiusmodi Propinquitatem determinare. Nam, vt rectè disserit Buteo in eo libello de Fluuiaticis insulis diuidendis, in interpretatione §. præterea. l. adeo.

versic.

uersic. Quòd si alteri parti. Eodem. si ab alterutra parte fluminis ripa aliquanto latior altera fuerit,& ex oppositis agris, hoc Accursij modo mensura procedat, ita poterit euenire, vt punctus iste medius nec ad flumen quidem perueniat, sed in ripa consistat. Cuius rei exemplum videre licet in priore Figura nostra in cap. 7. Ideo verius est, quod ait ipse Buteo, vt ab ipso fluminis † corpore,& aluei latitudine dimensa, vnica, & generalis Propinquitatis norma assumatur. quod Caius expressè comprobat in ea l. adeo §. insula. cuius verbis non solũ mens legis, intentioq; colligitur, sed dimensionis quoque artificium breuiter aperitur. Ait Caius, *Insula in flumine nata, si quidem mediam partem fluminis tenet, communis fit eorum qui ab vtraque parte fluminis propè ripam prædia possident.* Diuidenda est igitur fluminis latitudo in duas † partes æquales: quod fuerit in medio fluminis, commune erit eorum, qui ab vtraque ripa fluminis prædia possident. Subsequitur inde Caius. *Quòd si alteri † parti proximior sit, eorum est tantùm, qui ab ea parte propè ripam prædia possident* Quod itaque extra medium, & proximius alteri parti (scilicet fluminis) fuit, (non alteri parti agrorum) eorum erit, qui ab ea parte (fluminis scilicet) prædia possident: de parte enim agrorum nullo modo potest intelligi, vt eo loco patet euidentissimè.

2

3

4

Si Caius itaque, † qui & legitimam diuisionem, & diuisionis artificium breuiter hic enarrat, in Propinquitate inuenienda de medio fluminis, de partibus & lateribus ipsius fluminis tantùm verba facit; de agris nihil certum est, ab ipsa fluminis latitudine, non agrorum distantia Propinquitatem esse indagandam. & rectè; palam enim est, mediũ fluminis, vel aluei ipsius plerũque nihil commune habere cum medio distantiæ agrorum in vtraque ripa existentium, ob immensam riparũ latitudinem modò ab hac, modò ab alia fluminum parte cõstitutam. Instituenda erit ergò mensura Propinquitatis ab extremis fluminis, vel aluei lateribus. Cui opinioni assentiri optimè videtur verba Proculi in l. insula. §. item quæro. Eodem. ibi *Si cum propior ripa meæ est nata insula*. Considerat I. C. quòd sit propior ripæ. de ea ripæ extremitate, quæ prædijs cõiungitur, non est æquũ intelligere; dixisset enim rectius propior prædio meo; præterea idem inconueniens adhuc subesset, de quo paulò ante. de ea igitur parte, & ripæ extremitate intelligit, quæ alueo fluminis coniungitur, hoc est, vbi fuerit finis, & terminus aquæ fluminisue. Ab eo itaque loco dimẽsionem Propinquitatis ordiemur ab vtroque latere, vbi fluminis alueus desinit.

5

8

Et hoc, omissis leuioribus, apertissimè traditur ab eodem Proculo ad finem dictæ l. insula. vbi normam aluei † diuidẽdi præscribit. Nam

6

cum constet ex proximo superiori capite, in diuidendis alueo, & insula inter eos, qui ab vtraque parte fluminis prædia habent, eandem formulam Propinquitatis obseruandam fore: itemq; alueus fluminis priuatus eisdem loco, & terminis circunscribatur, quibus & publicus alueus (quatenus enim deseruiuit aquæ fluminis, eatenus alueus fluminis nuncupatus est.) norma igitur, quæ traditur in diuidendo alueo ratione Propinquitatis, si priuati iuris efficeretur, ac in ipsius Propinquitate inuenienda, eadem obseruabitur in partiendo eodem alueo fluminis publico, si illic incrementum insulæ ratione pariter Propinquitatis sit diuidendum. Sed quomodo sit instituenda ipsa diuisio alueï, audiamus iam à Proculo. *Alueus, inquit ille, qui fuit inter eam insulam & vicini fundum, medius diuidi debet; ita vt pars propior insulæ tuæ tua sit; pars autem propior agro vicini, eius esse intelligatur.* Quid apertius his verbis? alueum medium † diuidi debere inquit Proculus, idest, in duas parses diuidi; ita vt pars propior insulæ tuæ tua sit, &c. nihil præterea requirit, nihil aliud considerat quàm medianam aluei diuisionem. de distantia agrorum ne verbum quidem: dixisset vtiq; si vim in ea fieri oporteret. Aliunde autem medium aluei non reperiemus, quàm ab extremitatibus ipsius aluei. si enim mensuram ab agris instituamus, non erit tum medium aluei, sed mediũ inter agros. Et fortè continget, quod propter latiorem ripam ab alterutra parte, medium punctũ inter agros vix ad initium aluei accedet. Sicut itaq; in diuidendo alueo priuato mensuram Propinquitatis per medianam ipsius aluei diuisionem instituendam inquit Proculus; medium verò aluei ab ipsius extremitatibus tantùm deprehendimus: similiter in indaganda Propinquitate insulæ, mediana fluminis, idest aluei publici diuisione opus est; mediumq; fluminis ab ipsius pariter extremitatibus, & tota latitudine oportet perquirere: cum alueus publicus & priuatus eisdem loco, & terminis circunscribantur, vt dixi. Vnde (vt id obiter dicam) ea sola Propinquitas legitima † fuerit, & consideranda, quæ secundùm latitudinem fluminis inuestigabitur. Quæ autem secundùm longitudinem, nullum Propinquitatis tribuet. quod haud leuiter annotandum est ob ea, quæ inferius dicturi sumus in refellenda Fig.3. Par.3. Tyberiadis.

Et huiusce opinionis fuisse Bartolum, vt ab ipsa † fluminum latitudine, non ab agrorum interuallo assumatur ratio Propinquitatis; pro culdubio suspicari possumus: quippe qui in Tiber. Par. 2. in verbis *Si quidem mediam. &c.* pro inuenienda media fluminis parte, totam latitudinem fluminis in tres partes æquales diuidendam censuit; de distan-

tia agrorum nihil. Et licèt hanc rationem nusquam sit postea secutus, quinimo medianam diuisionem fluminis instituit,& rectius sanè, in tribus prioribus Figuris Par. 2. nihilominus ab eo, super quo vim faci mus,nullibi recessit, sed potius sæpenumero comprobauit, vt legitur in eadem Par. 2. in expositione verborum, *Quod si alteri parti proximior.* Vbi *Proximior intelligo*, inquit, *quatenus proximior est illa pars, & quæ vni parti fluminis proximior est, eorum tantùm est, qui ab ea parte possident prædia.* Item in Fig. 1. *Insula*, ait, *tota pertinet ad Lucium. ratio, quia insula non tenet mediam partē fluminis, sed illi parti vlteriori* fluminis scilicet *est proximior.* Et licèt Bartolus assentiri Accursio, cuipiam fortè videri possit; vt accepto funiculo,& puncto in medio posito inter vtrunque agrum inueniatur Propinquitas: nihilominus eo tantùm casu assentiri dicendum est, quando & distantia inter agros, & latitudo fluminis eadem est; quando scilicet præruptis hinc inde, erectisq; crepidinibus flumen cohibetur, & agrorum frons ab aqua fluminis alluitur. Quales frontes Bartolus in sua Tyberiade considerasse videtur. In diuidendis profecto insulis nihil vsquàm latitudinis riparum dedisse,& in figuris depinxisse nobis oculata fide constat. vt iam nemini dubium esse possit, quin Bartolus ipsa re voluerit, latitudinem fluminis solam fore attendendam in perquirenda Propinquitate.

Et iuxta hanc interpretationem † æquum est intelligere ea verba Pomponij in l. ergo. §. tribus modis. & Proculi in l. insula. itemq; Labeonis in l. epistolam. §. pen. de Acquir. rer. dom. quæ huic opinioni re fragari quodammodo videntur, quod supra proposuimus: vt de agris illis sint locuti, quorum frontes riparum vicem flumini præstitissent, nullaq; esset ante eos ripæ latitudo. Aut (quod sanius est) quoniam si qua insula fuerit propior alteri parti fluminis, vbi prædium ego possideo, eadem dici potest esse itidem propior ipsi prædio: hoc sensu icircò ea verba accipienda puto. Propinquitatis tamen dimensionē debere ob id institui à prædio, non autem à fluminis extremo latere, nobis minimè edicunt. Hæc itaque Pomponij, Proculi, & Labeonis verba iuxta superiora intelligantur. 10

¶ Fluminis † porrò cursus,& alueus naturalis, ac legitima magnitudo dignoscitur ab æstate, vt habetur in l. 1. §. is autem. Ne quid in flumi. publ. vt in primo libro Cap. 12. dictum fuit; vbi quę dicta sunt, de alueo cognoscendo, hic optimè deseruient. 11

¶ Quo modo autem, & qua ratione hæc Propinquitas inueniri debeat, propositis figuris inferius docebo. quæ enim ad cognoscendā, & inquirendam rectam prædiorum Latitudinem pertinēt, prius scire

opor-

oportet: quoniam & in scrutanda iusta Propinquitate Latitudinem etiam necessariò considerari conuenit, Propinquitatisq; & Latitudinis describendæ formula communis est adeo, vt alterius cognitio penitus ab alterius cognitione pendeat.

ARGVMENTVM.

¶ Quæ sit legitima, & rationalis latitudo prædiorum propè ripam.

SVMMAE.

1 Norma inueniendæ veræ latitudinis pro diuidendis insulis, communis erit pro diuidendis cæteris incrementis.

2 Quinque diuersis terminationibus hæc latitudo in iure exprimitur, namque modo appellatur.

3 Latitudo prædij propè ripam. de qua nu. 8.

4 Interdum Frons prædij. de qua nu. 12.

5 Quandoque Regio prædij de qua nu. 10.

6 Interdum longitudo agri de qua nu. 9.

7 Aliquando etiam his verbis describitur. Quantum ante cuiusque eorum iuxta ripam est. de quibus. nu. 13.

11 E regione esse quid significet.

14 De vera lectione l. inter eos. de Acquir. rer. dom.

15 Latitudo prædij legitima est, quæ prope ripam est, & ante, quæue ex aduerso contra insulam prospicit, & contra quam vicissim ab insula respicitur.

16 Idem iuris est in vnaquaque frontis portione ad vnamquanque insulæ portionem, quod de tota agri fronte ad totam insulam.

17 Data paritate duarum frontium prædialium, quæ contra insulam respiciāt, rectæ frontis maior erit rationalis latitudo, & obliquæ minor. & nu. 20.

18 Frons agri recta quæ sit, & quæ obliqua. nu. 19.

21 Latitudo ea attenditur, quæ fuerit in initio nati incrementi, siue postea augeatur, siue diminuatur & nu. 23.

22 Siue frons prædij naturalis sit, siue per alluuionem creuerit, frons legitima censetur.

CAPVT V.

TRansgrediamur deinceps ad eam disceptationem, quæ in iusta Latitudine agrorum propè ripam inuenienda versatur. Altioris sanè indaginis est hæc cognitio, atque difficilis admodum inquisitionis. breuius tamen, quàm fieri poterit, rem totam absoluam.

Quo-

Quoniam autem eadem, & vniformis debet esse diuisio insularum, aluei, & alluuionis (vt diximus) inter eos qui secundùm vnam ripam prædia possident: atque perinde debet institui diuisio alluuionis & aluei, ac si simul eodem linearum ductu insula in medio fluminis nata foret diuidenda; pleniora verò, & apertiora in iure Theoremata super diuidendis insulis habemus: iccircò † quod de ratione inueniendæ veræ Latitudinis pro diuidendis insulis dicetur, commune erit ad cætera incrementa. 1

Quinque † diuersis terminationibus hanc latitudinem, cum de partiẽdis insulis agitur, in iure expressam legimus, atque delineatã fermè perspicimus. De ea ita in primis Caius determinat in l. adeo. §. insula. de Acquir. rer. domin. vt insula acquiratur *pro modo latitudinis † cuiusque prædij, quæ latitudo propè ripam sit*. Pomponius autẽ in l. ergo. in prin. Eodem. nihil ex ea insula ad eum agrum inquit pertinere, *ad cuius frontem † insula non respicit*. Tertiò Proculus in l. insula. Eodem. insulam mihi acquiri respondit, *quæ contra frontem agri mei nata est, ita vt nihil excederet regionem † prædij mei*. Quo loco etiam longitudinem † agri postea vocat eam, quam ante regionem prædij dixerat. Quinto, & vltimo loco Paulus in l. inter eos. Eodem. breuius, significantius, cæterisq; artificiosius non solùm per Theorema perspicuum determinat, quæ sit vera Latitudo, sed vlterius perbreui Problemate, quanam ratione inueniri debeat, formulam tradit. *Inter eos*, (inquit) *qui secundùm vna ripam prædia habent, insula in flumine nata non pro indiuiso communis fit, sed regionibus quoque diuisis: Quantum † enim ante cuiusque eorum iuxta ripam est, tantum, veluti linea in directum per insulam transducta, quisque eorum in ea habebit certis regionibus*. Omnia itaq; hæc Latitudo prædii propè ripã, Longitudo, Regio, Frons, & Quantum ante cuiusque eorum iuxta ripam est, in idem conueniunt. & nisi omnia hæc, aut pleraque concurrant, ad agrum illum quicquã ex insula pertinere non potest. Hæc porrò varietas cum ab illis antiquis I.C. scienter facta non ad elegantiam tãtùm, sed ad intelligentiam insuper quàm plurimum conferat: opportunum est ideò, & ferè necessarium singulas has terminationes diligenter expendere, vt viam cognoscendæ, & inquirendæ Latitudinis rationalis, (de qua sensisse hosce I.C. palàm est) facilius, & certius inire valeamus. 2 3 4 5 6 7

Ad Caium † igitur venio. hic prædij Latitudinem tantùm eam considerat, quæ propè ripam sit; vt nobis constet eam, quæ à dextro, vel sinistro latere, aut in posteriore agrorum parte sita est, nullatenus fore attendendam. quod & probat Bart. in Tyber. Par. 1. Fig. 6. 8

& Bald. in Rub. de Rer. diuis. nu. 24.

9 Cur † autem ea pars agri, quæ propè ripam est, à Caio prædij latitudo, à Proculo verò agri longitudo appelletur: ratio est in promptu. vt quoniam generaliter prædij longitudo est secundùm longiora latera, & secundùm breuiora latitudo: ideoq; si secundum ripam erunt longiora latera, frons prædij dicetur longitudo, si breuiora, latitudo: vt, inquam, certum esset nihil referre, an iuxta ripam sit agri longitudo, vel latitudo.

10 Ad Regionem † prædij me confero. eam dicit Proculus Regionē, quam paulò post prædij longitudinem appellat, vt ostendat de ea tantùm longitudine loqui, quæ est in prædij regione, ante scilicet & ex aduerso prospicit insulam, quo sensu dixit Cæsar lib. 4. de Bello Gallico. *Cum vterque vtrique esset exercitui in conspectu, fereq; è regione castra poneret*. E regione † autem erunt tum insula & prædij longitudo, seu Latitudo, cū diametraliter erunt opposita, idest si mutuo & aduerso prospectu se respicient. Vnde Cic. in Academ. quæst. *Nonne etiā dicitis esse è regione nobis, è contraria parte terræ, qui aduersis vestigijs stent contra nostra vestigia, quos Antipodas vocatis*? Regionem autē Antipodū regioni nostræ diametraliter esse oppositā quis ignorat? Idē Cic. præterea de Natura Deorū. *Luna, cum est e regione solis, deficit.* & de Diuinat. *Luna è regione solis facta incurrit in vmbram terræ.* Defectus porrò Lunæ tunc tempotis accidunt, cum Sol in cauda Draconis, & Luna in capite fuerint, vel è contrario. quo tempore diametraliter, & ex aduerso se respiciunt, vt notum cuique est, qui elementa prima Astronomiæ vix attigerit. Nullus quidem mutuus, & correspectiuus prospectus iustior est, ac perfectior, quàm inter eos, qui è regione sunt, & diametraliter siue ex aduerso se respiciunt. Vt hoc euidentissimè constat ex instabili varietate, quam in orbe Lunari quotidie suspicimus: cum enim Solis prospectu, & lumine Luna illustretur; prout magis ad diametralem oppositionem Solis accedit, maiores contrahit orbes; vnde tunc demum Lunarem orbem integrum, & absolutum suspicimus, cum in ipsa diametrali oppositione se inuicem aspiciunt. quod fit in Plenilunio, cum occidente Sole Luna oritur. Ea igitur prædij latitudo propè ripam sola attendetur, quæ erit è regione insulæ, hoc est insulam diametraliter, siue ex aduerso respiciet, & vicissim respicietur. Nam sicut dicitur Regio prædij frons; ita portio insulæ cuique prædio contingens Regio nuncupatur in l. inter eos. superius recitata. Sed ista leuia omittamus.

12 Hæc omnia † porrò metaphoricos expressit Proculus, cùm dixit, *insula nata est contra frontem agri mei*; & Pomponius, dum inquit, *nihil ex*

ea insula ad eum agrum pertinere, ad cuius frontem insula non respicit. Per quæ verba mutuum ex aduerso conspectum inter insulam, & agrum necessarium esse intelligimus: adhoc enim attributus est insulæ actus respiciendi ad agros, & attributa est frons propemodum oculata ipsis agris, deducta à fronte hominis metaphora. Quæ frons licèt propriè sit in hominis facie, à foraminibus oculorum secundùm Varronem dicta; metaphoricòs tamen ad inanimata etiam transfertur, vt hic, & apud Virgil. Aeneid. lib.

Fronte sue aduersa scopulis pendentis antrum. Et ideo Vitruuius Aedibus sacris, & alijs ædificijs frontem tribuit, vt frontis appellatione anterior pars intelligatur, qua patet ingressus; cui posticũ opponit.

Et ideo † Paulus in l. inter eos. hanc Latitudinem, & frontẽ his verbi circunscribit. *Quantum ante cuiusque eorum propè ripam est.* Non solùm enim eam latitudinem requirit, quæ iuxta ripam est; sed quæ præterea sit ante, idest in agri frõte, & in prospectu insulæ. Quibus conferũt ea, quę longiore stylo scribit Bart. in Tyber. Par. 2. in verbis. *Quòd si ex vno latere.* à nu. 4. vsque ad 8. de hac dictione *ante*. Quæ dictio licèt in quàm plurimis Codicibus † non legatur; in quibusdam tamen habetur, vt in impresis à Hieronimo de Tortis, & à Ioanne Petit Parisijs. Et ita legit Buteo, & Magius, de quibus in Proœmio huius libri, atque D. Gherard. Mazoll. vt videre est ex eius cons. 118. nu. 7. & 68. & rectius sanè, vt ex superioribus & ex ijs, quæ dicturus sum, potest animaduerti: adhoc vt Paulus diuisionis formulam perfectè nobis tradidisse videatur. In codicibus profectò ad exemplum Pandectarum Florentinarum impresis hæc dictio in margine legitur.

13

14

Frontem ergo prædijs per metaphoram, tanquam oculos concesserunt Pomponius, & Proculus; vt per eam pars anterior agri significaretur, quæ contra insulam prospiceret. Et rursus, cum nihil ex ea insula ad eum pertinere dixerit Pomponius, ad cuius agri frontem insula non respicit, quæ scilicet non sit contra frontem agri, vt inquit Proculus: intelligimus mutuum ex aduerso debere esse prospectum, frontis prædij contra insulam, & insulæ contra frontem prædij: quod est è regione, & ex aduerso se inuicem respicere. Vt in summa † ea sit vera prædij Latitudo, quæ propè ripam est, & ante, quæue ex aduerso contra insulam respicit, & contra quam vicissim ab insula respicitur. quod aliquantulum Baldum etiam sensisse animaduerti potest ex ijs, quæ scribit in Rub. de Rer. diuis. nu. 23.

15

Quod dicitur autem † de prospectu totius insulæ ad vnum tantũ agrum, & è contrario: idem dicendum venit de partium respect u ad

16

plures agros, & vniuscuiusque portionis insulæ ad vnamquanque portionem agri. quod iuris enim est in toto, quod ad totum pertinet, idem est in parte, quod ad partem l. quę de tota. de Rei vendic. de qua re inferius dicam.

17 ¶ Sciendum est insuper, quòd data † duarum frontium prædialiũ paritate, quæ contra insulam respiciant, rectæ frontis maior erit rationalis Latitudo, & obliquæ minor. Cuius rei demonstrationem deprehendemus ab actu respiciendi; quem actum nobis fuisse suggestum, & propositum à Pomponio, & Proculo, certus ille erit, qui superiora eorum verba expenderit. Quo enim alio certiore modo, quàm per oculorum sensum, & actum respiciendi scire vllus poterit, agri frontem contra insulam aspicere, & vicissim contra frontem agri ab insula respici? Sed ad rem.

Frontes agrorum aut rectæ sunt, aut obliquæ. omnes autem obliquæ dicuntur, quæ non sunt rectæ: recto enim opponitur obliquum.

18 Recta † frons agri in flumine ea dicitur, quæ linea recta contenta fuerit, & quæ recta linea ad lineam longitudinis fluminis comparara ei æquidistans, seu parallela fuerit: quam Bart. in Tyber. Par. 2. in Fig. 1. nouo vocabulo rectam omni rectitudine appellauit. Argumento sit hoc, nam cum ex plurium agrorum frontibus simul iunctis ambo fluminis latera constituantur: si quæratur, an latus alterutrum rectum sit, proculdubio ad rectam fluminis longitudinem respiciemus: ideo idem obseruabimus, cum de singulis agrorum frontibus quæretur. totius enim & partium eadem est norma, & disciplina, vt proximè

19 diximus. Obliqua † igitur frons agri ea nuncupabitur, quæ etiam si linea recta contenta sit, ad rectam tamen fluminis longitudinem cõparata ei æquidistans, seu parallela esse non poterit. Quæ sit autem recta, & vera longitudinis huius linea in flumine, in subsequenti Capite dicetur.

20 Data † itaque frontium paritate, frons agri recta maiorem, obliqua verò minorem habebit Latitudinem regularem, de qua hic quærimus. Vnde eò maior semper erit obliquæ frontis Latitudo, quò magis ea frons ad rectæ frontis positionem accedet. Hæc ita probo exemplo admodum simili. Fingas frontem agri esse frontem hominis (hoc enim fieri admonet locutio I. C. metaphorica) sicuti Pictor alicuius hominis recta, idest, in faciem, aut per obliquum ipsum Pictorem respicientis, eam frontis tantummodo latitudinem, seu longitudinem in tabula delineabit, quæ ab eo conspici potest: Vnde quò magis in faciem, idest, minus per obliquum homo pingen

dus

dus Pictorem respiciet, & à Pictore aspicietur, eò maior frontis longitudo, & spacium in tabula delineandum veniet. (Quod sat patet ad sensum.) Sicut igitur quò rectior fuit prospectus Hominis, maior in tabula, & quò magis fuit obliquus, minor semper cõspicietur frontis longitudo, latitudoùe. Ita data duarum frontium paritate, quæ ad insulam vti ad Pictorem respiciant, & ab ea respiciantur; frons agri magis recta maiorem, & magis obliqua minorem habebit Latitudinem, & eò maior erit obliquæ frontis Latitudo rationalis, quò minus obliqua fuerit. Quod exemplum, si rectè intelligitur, optimè deseruit nostræ intentioni. & hoc re ipsa conspicitur inferius in Figura Cap.8. in frontibus agrorum Florentini, & Proculi, quarũ data paritate recta frons Proculi maiorem, & Florentini obliqua minorem habet iustam Latitudinem. Maiorem itaque capiet portionem incrementi recta frons, quàm obliqua; & eò maiorem frons ipsa obliqua, quò minus obliqua fuerit; & eò minorem quò magis obliqua erit. Adeo quòd potest contingere, vt frons agri obliqua nullã consequatur portionem incrementi: Si adeo sit in secessu, & latebris, vt ad illam insula non possit respicere. Cuius rei exemplum videre potes inferius in eadem Fig. cap.8. in agro Trebatij. Sicuti nec Pictor Hominis frontem penitus auertentis nullam in tabula frontis Latitudinem, longitudinemùe delinearet. Quo circa, quanta sit in his frontibus obliquis rectæ frontis Latitudo, oportebit inquirere: & tum pro modo Latitudinis fiet diuisio. cuius rei inquisitio in subsequenti Capite demonstrabitur.

¶ Postremò scire oportet, sicuti attenditur Propinquitas, quæ fuerit in initio nati incrementi, vt diximus in cap. 2. huiusmet Libri; eadem pariter ratione illam Latitudinem † debere considerari, quæ eo tempore fuerit, cum primùm extitit incrementum. 21

Item quoniam nihil interest, qualis ager sit, propter cuius propinquitatem posterior insula cuius sit, quæratur, vt inquit Labeo in l. epistolam. §. pen. de Acquir. rer. dom. & eius rei argumẽto diximus in cap. 2. libri 2. Nihil itidem referre, qualis ager sit, pro modo Latitudinis, cuius agri insula aliudùe incrementum cuius sit, quæratur: Ea ergo Latitudo, & frons considerabitur, quæ fuerit in initio nati incrementi, prout de Propinquitate dicitur; etiam † si ante natum incremẽtum frons prædij alluuione fuisset amplior facta, ita vt procederet contra frontem agri superioris vicini, & inferioris; ea frons enim veniret attendenda perinde, ac si in initio nati postea incrementi frons antiqua prædij, eius longitudinis fuisset, arg. l. insula. in prin. eodem. 22

Cuius legis etiã argumento ſanè proximo rurſus dicimus, ſicuti incrementi modus, & longitudo, quæ ab initio fuit, attenditur; licet poſtea excreuerit: è contrario modum pariter Latitudinis agrorum, qui fuit in initio, † debere attendi; cum incrementi longitudo, & agri Latitudo ſint inuicem quodammodo relatiua: ac ideo locum habeat, l. fin. C. de Ind. viduit. toll. Quapropter modus Latitudinis, qui in initio magnus fuit, ſed poſtea diminutus eſt vi fluminis, ille veniet attendendus, ſicut ille, qui minor in initio fuit, licèt alluuione poſtea auctus fuerit.

23

ARGVMENTVM.

¶ Inquirendæ veræ Latitudinis, ac Propinquitatis, ſimulq; diuiſionis norma, & methodus pro modo Latitudinis proponitur.

SVMMAE.

1 Latitudinis modus legitimus Bartolo fuit ignotus.
2 Incrementi tota diuiſio ſimul, & ſemel debet fieri, & nu. 7.
Per lineas rectas. & nu. 8.
3 Ac inuicem parallelas. & nu. 11. 13. 15. 20.
4 Per inſulam in directum transductas. & nu. 12. 19.
5 Modus legitimæ Latitudinis eſt totum illud ſpatium, quod inter binas parallelas à punctis finalibus cuiuſlibet agri exeuntes continebitur.
6 Vnica huiuſce diuiſionis formula in iure eſt expreſſa.
7 Explanatio l. inter eos. de Acquir. rer. domin. & nu. 10. 11.
9 Vnica recta linea à ſingulis agrorum terminis ducta debet fieri diuiſio.
14 Parallelæ lineæ quæ ſint.
15 Parallelæ ſunt ducendæ à Latitudine prædiorum propè ripam, ab extremis ſcilicet punctis confinium.
17 Ita vt faciant rectos angulos cum ipſa Latitudine.
18 Quæ Latitudo omnium ſimul prædiorum, ad vnicam rectam lineam eſt reducenda. de qua re & nu. 25. & 31.
19 Linea in directum ducta dicetur, quæ rectos faciet angulos cum Latitudinis linea. & num. 21.
22 Mutuus ex aduerſo proſpectus qualis ſit.
23 Inſulæ portio ad eam agri frontem ex aduerſo proſpicit, à qua ducta linea recta cum ipſa frontis linea rectos facit angulos.
24 Ad hoc eſt exemplum Vitruuij.

26 *Pro Propinquitate prædiorum inuenienda, mensuram à fluminis, alueiùe latitudine oportet instituere.*

27 *In Latitudine cuiusq; prædij indaganda, à fluminis longitudine norma debet elici.*

28 *Superficiei alicuius latitudo regularis sine longitudine vix sciri potest, & è contrario.*

29 *Latitudo prædiorum assumi debet parallela lineæ Longitudinis fluuialis.*

30 *Propinquitatis linea lineæ Latitudinis fluminis debet esse parallela.*

31 *Ad inueniendam Latitudinem, & Longitudinem fluminis regularem, intra Quadrati, vel Parallelogrammi rectanguli figuram flumen illic est concludendum, vbi fuerit incrementum.*

32 *Buteonis obseruatio in hac re reprehenditur.*

33 *Iusta Latitudo prædiorum, vnius tantum lateris fluminis, ad rectitudinem reductione, non potest elici.*

CAPVT V.

HVCVSQVE cognouimus, qualem Latitudinem in agris propè ripam intelligat I.C. pro modo, seu mensura, cuius Latitudinis facienda est insularum diuisio. Eius inquirendæ rationem constituere, formulamq; diuisionis tradere, iam solum superest. Cuius rei inuestigatio nisi Geometrico more, hoc est certo constitutoq; suscipiatur, modus hic Latitudinis semper erit incertus (vt rectè inquit Buteo.) & ad omnem latitudinum, positionumq; varietatem in infinitum variabilis, & ob id infinitus, imò verò nullus, frustraq; & inscienter in lege positus, quod à Iurisprudentia Veterum I.C. prorsus est alienum. Vnde Bartolus, qui modum hunc ignorauit, quàm plures ideo diuisionum formas adinuenit, varias autem, & diuersas inter se prout diuersæ fuerunt agrorum positiones, quas mente illum concepisse, contigit. In quibus tamen (si finiti ad infinitum possit esse comparatio) ne millesimam quidem partem positionum in figuras redegit. Cum vnica autem sit Latitudinis norma, eaq; vniuersalis, & vnica pariter & vniuersalis diuisionis formula, eam ex intimis legum sensibus oportet eruere.

Illud igitur in primis sit constitutum, inter eos omnes, qui ab vna & eadem ripa de diuidendo agunt incremento, totam diuisionem per Lineas rectas, ac inuicem parallelas per insulam in directum transductas fieri debere, nec vllam aliam in iure datam fuisse formulam diuisionis. Vnde cum cuiuslibet agri frons intra duos terminos, & duo puncta finalia concluda-

tur; à quibus punctis duæ lineæ rectæ exeuntes per insulã sunt transducendæ: ideo † spatiũ, quod inter binas parallelas continebitur, illud erit modus Latitudinis legitimæ, & rationalis. Hanc vnicam † diuisionis formulam paucis, sed artificiosis verbis expressam habemus apud Paulum tantummodo in l. inter eos. de Acquir. rer. dom. Is ita inquit. *Inter eos, qui secundùm vnam ripam prædia habent, insula in medio flumine nata non pro indiuiso communis fit, sed regionibus quoque diuisis: Quantum enim ante cuiusque eorum iuxta ripam est, tantum (veluti linea in directum per insulam transducta) quisque eorum in ea habebit certis regionibus.*

Palam est † Paulum hic agere de diuisione secundùm vnam ripam inter plures facienda; ait enim *inter eos. &c.* & nihilominus vnicam tantùm diuisionis formulam proponit: inter omnes igitur ab eodem latere eandem normam diuisionis simul & semel oportebit instituere.

Item si inter plures facienda est diuisio; plures igitur lineæ ab agris trans insulam ducendæ sunt, vt pluribus certæ regiones demonstrari possint. Et hæ lineæ † erũt rectæ: neque enim potest in directum duci linea, nisi sit ipsa recta. Et ideo etiam (vt id obiter dicam) vnaquæque linea transducenda vnica † erit, quia recta. Cuius rei argumentum est, nam Paulus † singulariter inquit, *Linea per insulam transducta* per vnica ergo recta linea à singulis agrorum terminis ducta debet fieri diuisio.

Rursus si plures lineæ rectę in directum per insulam sunt transducendæ; necesse est, eas omnes lineas † esse inuicem parallelas, siue æquidistantes. Hoc inde arguitur, nam lineæ non solùm ad insulam sunt ducendæ, sed per insulam transducendæ, † id est, vltra insulam ducendæ. de eo ergo ductu, & ijs rectis lineis loquitur, quæ data in agris quauis frontium positione anfractuosa, & obliqua, semper duci poterunt trans insulam, vbicunque ea fuerit, dummodo contra frontem agrorum, nec vnquam concurrent, antequam ad insulam, atq; trans insulã perueniant. De lineis igitur parallelis † intelligit, quæ nusquàm, & nunquam possunt concurrere; etiam si in infinitum protrahantur ab vtroque capite. Lineæ enim † parallelæ, vt legere est in Definitionibus Euclidis, sunt rectæ lineæ, quæ in eodem existentes plano, & ex vtraque parte in infinitum productæ in nulla parte concurrunt. de quibus & Bar. in Tyber. Par. 1. in Fig. 1. & nos diximus in primo capite libri huius. Aliàs quandoque contingere posset, ni lineis inuicem parallelis † fiat diuisio: vt lineæ neque per insulam transeant, aut ad flumen perueniant, si fortè intercedat latior ripa. Quod vitium in quàm pluribus figuris Bartoli inferius ostendam in cap. fin. in quibus

ob id insula ad nullum pertineret. Quamuis ipsemet Bart. in Tyber. Par. 1. in Fig. 6. lineas semper ad flumen esse ducendas generaliter constituat. Lineis igitur parallelis tota diuisio facienda est, vti quæ nusquã concurrent, sed semper ad flumen, ad insulam, atque trans insulam peruenient.


Parallelæ † autem sunt ducendæ à Latitudine prædiorum propè ripam, ab extremis scilicet punctis confinium. Sed ita † ducendæ, vt rectos angulos faciant cum ipsa Latitudine. nam non simpliciter Paulus ait, linea per insulam transducta, sed in directum transducta. Si omnes igitur lineæ in directum sunt ducendæ, ergo cum prædiorum Latitudine rectos facient angulos, idest, cum ea iustæ Latitudinis linea, † ad quam omnes prędiorum frontes reducendas paulò post admonebimus, in vnica enim recta linea intelligi non potest, sed minimùm in duabus, an aliqua recta linea in directum sit ducta, vel in obliquum; vt diximus superius in primo capite Libri huius vbi quoq; qualis sit ductus lineæ in directum abundè demonstrauimus. Hæc porrò linea ibi constituenda est, vbi ductus Linearum exorditur, in ipsa scilicet prædiorum Latitudine propè ripam. Illa ergo linea † erit in directum ducta, quę ab agrorum iusta Latitudine in directum ducta fuerit, idest, quę cum linea Latitudinis rectos faciet angulos. Quapropter si lineæ ab agrorum Latitudine ad angulos rectos duci debent, omnes igitur, vt ex alio paulò ante diximus, erunt inuicem parallelæ † per Prop. 27. Euclid. Lib. 1. quę hęc est. *Si in binas rectas lineas recta incidens linea alternatim angulos æquos adinuicem fecerit: parallelæ adinuicem ipsæ rectæ lineæ erunt.* de qua & in Cap. 1. libri huius. Linea incidens est hic Latitudinis linea, binę rectę lineę sunt lineę transducendę, anguli coalterni sunt anguli recti, & ideo ęqui: ergo habemus propositum. Sed ad rem nostram redeamus, vnde digressi sumus.

Quod autem † parallelę lineę tum in directum legitimè dicantur duci, atque ex Iurisconsultorum intentione; cum ad angulos rectos cum ipsa Latitudine ducuntur optimèq; conueniat, vt eo casu insulę vniuscuiusque portio dicatur esse è regione, & contra frontem prędij, atque ex aduerso contra frontem agri respicere, quę scilicet inter parallelas ab ipsa Latitudine ad angulos rectos exeuntes fuerit cõprehensa: ex alio pręterea euidentissimè comprobatur; quod est huiusmodi.

Quoniam nihil, quod regulare sit, potest desumi à figura irregulari: pro inueniendo itaque mutuo prospectu † inter agrorum frontes, & insulas, qui sit è regione, & ex aduerso; finge flumen inter recta, & parallela latera constitutum, quale est illud, quod conspi-

16 17 18 19 20 21 22

cis in Fig. 1. Par. 2. Tyber. Batoli. si quis vti Lucius ab vno Latere existens in contrarium latus, vbi Caius est, prospiceret; contra eum tantummodo locum è regione, & ex aduerso prospicere nemo negarit super quo linea visualis consistens angulos cum eo latere vtrinque çquales, rectos scilicet faceret: vbi autem inçquales, idest recto maiores, vel minores angulos faceret, ad eum locum è regione esse, & ex aduerso prospicere minimè dici posset. si quidem cũ lineç visuales in rectas lineas ferantur, vt patet ex Perspectiua Euclidis in prima suppositione, & linea directè visui opposita illa dicatur, cui axis radialis perpendiculariter incidit secundum aliquod eius punctũ, ex Vitellone in lib. 4. suæ Optices, in definitione 3. manifestum est, quod asserimus, quod in propoposito schemate facilè intelligitur




de qua re in primo capite huius libri. Sic itaque ea pars † insulæ ad eã agri frontem dicitur è regione esse, & contra eum prospicere, a qua ducta recta linea cum ipsa frontis linea rectos faciet angulos. Amplius, quoniam Pomponius, & Proculus intelligunt de distincta incrementorum acquisitione, & diuisione; vnde legitur in ea l. inter eos. *non pro indiuiso. &c.* æquum est; vt sumant metaphoram à vera, & distincta visione; At visio distincta fit solùm secundum lineas perpendiculares à punctis rei visæ ad oculi superficiem productas ex Vitellone in lib. 3. suæ Optices. Prop. 17. & Alhazeno in Optices primo Propos. 18. ergo si qua linea ab insula ad agri frontem directè est producenda, vt distinctam faciat acquisiti incrementi diuisionem, eã omnino perpendicularis esse debebit.

23


24

Sic & Vitruuius †, quem refert Buteo, eam ædificij frontem ad Meridiem spectare dicit, cum qua linea Meridiei rectos facit angulos. Quapropter cum quis ædificij frontem ad Meridiem obuertere voluerit, normam hanc adhiberi iubet. Vt linea Meridiei per Gnomonis artificium ita in solo constituatur, vt ea linea ad lineam frontis cadat in directum, hoc est vt angulos rectos cum ea faciat. Tum enim ędificium secundum eam lineã frontis erectum, dicitur ad Meridiem spectare, & non aliter, nec alio modo, cuius rei schema hic proposuimus.



Et profectò, nisi ita intelligatur,

proculdubio nunquã discerni, aut verè intelligi poterit, quid sit insulam contra frontem agri respicere, vel non respicere. Quod & Ludouicus Carnola Scandianensis eximia artis Medicæ peritia, Philosophiæq; præceptis, ac Geometricis prætereа speculationibus vir admodum celebrandus comprobauit, cũ hæc illi vti meo in Geometria præceptori ostẽdissem Bononiæ, vbi maxima celebritate Medicinã practicã publicè profitetur. Iam constat ex superioribus, quod per lineas rectas inuicem parallelas, in directum per insulam transductas fit insulæ diuisio. Item constat illas lineas esse in directum iustè transductas, quæ faciunt angulos rectos cum prædiorum Latitudine, quæ propè ripam est. necessum est igitur, hanc Latitudinem vnica recta linea contineri. Nam si omnes lineæ diuidentes debent esse parallelæ, & hæ à terminis Latitudinis cuiusque prædij sunt in directũ ducendæ, ab alia ergo recta linea necesse est eas protrahi, cum qua angulos rectos faciant (vt supra diximus, & hanc lineam aliam non esse, quàm ipsam Latitudinem probauimus) ergo vnica erit recta linea ipsa Latitudo regularis, & legitima per Prop. 14. lib. 1. Euclidis, quę hęc est. *Si duæ lineæ à puncto vnius lineæ in diuersas partes exierint, duosq; circa angulos rectos, aut duobus rectis æquales fecerint; illæ duæ lineæ sibi directò coniunctæ sunt, & vna linea.* Hic singulæ duæ lineæ Latitudinis duorũ prædiorum à pũcto, & termino cõmuni vnius paralleli exeũtes, cùm duos circa angulos rectos faciant, ergo directò coniunctę erũt, & vna linea. cuius rei exemplum hic expressimus.



Et cum hoc, velis nolisue, concedas in duabus lineis duorum prædiorum, in cæteris quoque omnibus necessum est concedere. quod probo. Datis duabus rectis lineis inuicem parallelis ad eandem lineam in directum ductis, si qua alia incidens linea alterutri earum fuerit parallela, omnes inuicem sunt parallelæ per Prop. 30. lib. 1. Euclid. atque ideo omnes ad angulos rectos pariter productæ per Prop. 29. eiusdẽ libri. de quibus superius in cap. 1. huiusmet libri. Cum omnes itaque lineæ diuidentes fuerint inuicem ob id parallelæ: quinimo cum esse debeant, vt supra diximus; ac faciant angulos rectos super ipsa linea Latitudinis cuiusq; prædii: ergo omnes hę lineæ Latitudinũ directò coniunctæ erũt, & vna deinceps linea per eam Propos. 14. quod de duabus etenim dicitur, de pluribus pariter dictũ censetur. Sic & apud nos sæpius illud vsurpatur. Idem iuris est de toto quo ad totum, quod de

parte

parte quò ad partem, per vulgatam. l. quæ de tota. de Rei vendic.

Reducenda est igitur in primis, & ante omnia tota ipsa prædiorum omnium Latitudo, quibus insula communis erit, ad vnicam rectam li neam, cum qua parallelæ ab ea ductæ rectos angulos faciant. Hanc vnicam & rectam lineam ita inquiri, & rectè constitui, ac simul cum linea Latitudinis lineam Propinquitatis inueniri posse censeo: cuius rei norma, & formula sufficiet, atque cummunis erit tam pro diuiden dis insulis, quàm alijs incrementis; quorum ab eadem parte fluminis eandem & vniformem debere esse diuisionem, superius in cap. 2. huius libri comprobatum est. Ad rem redeo.

26 In primis quoniam pro Propinquitate † inuenienda, mensuram à fluminis, alueiue Latitudine institui oportere, superius diximus in cap.
27 3. huius libri. Consequens est etiam, vt è contrario pro Latitudine† cu iusque prædij indaganda, à fluminis longitudine norma desumatur. Longitudo autem fluminis simpliciter, & absolutè loquendo conside ratur secundùm procursum laterum continuum: latitudo verò secun dùm distantiam laterum. nam longitudo est cuiusque maior dimensio. Latitudo verò, minor.

28 Rursus quoniam, quanta sit alicuius † superficiei latitudo regularis, nullus ferè scire potest, nisi simul & semel de longitudine constet, & è conuerso: omnis enim superficies vtramque dimensionem præsupponit, eam scilicet, quæ est secundùm longitudinem, & eam quæ est secundùm latitudinem ex definitione Euclidis, quam videas superius in primo Capite huius libri. Ideo latitudinem, & longitudinem fluminis regularem intra spacium illud, in quo natum est incrementum, oportet in primis inuenire. Tum enim à linea fluuialis longitudinis desumetur, & requiretur hæc recta, & vnica linea Latitudinis prædiorum, quam quærimus. & è conuerso à linea latitudinis in flumine, norma, & Propinquitatis linea elicietur. ita
29 vt linea † Latitudinis prædialis ad longitudinis fluuialis lineam, ac li-
30 nea Propinquitatis † ad latitudinis fluminis lineam sit parallela, quod iam ad oculum ostendemus. & sanè, quod ad lineam hac Latitudinis prædiorum pertinet, Bartolum à longe eam fuisse subodoratũ, atque illuc animum intendisse, vt agrorum frontes ad vnam rectam lineam reduceret, cõstat ex eius Figuris. VIII. IX. X. & sequentibus. in quibus postremò ad hanc rectitudinem cõfugit. sed normam illius inuenien dæ haud assequi valuit. Sed ad longitudinem fluminis, & latitudinem regularem inquirendam, vnde digressi sumus, reuertamur.

31 In hoc, eam obseruationem † à mensore adhibendam puto, quam

in inuenienda regulari latitudine, & longitudine agrorum cuiusque irregularis figurę sint, solet adhibere. hoc est, intra Parallelogrammi re ctanguli figuram eam partem fluminis concludet, in qua parte incrementum fuerit ope Quadrantis, vel Astrolabij, vel cuiuscunque alterius instrumenti ad hoc munus apprimè idonei. cuius generis sunt ea, quę in quatuor rectas lineas orthogonaliter se inuicem secantes distri buta Agrimensoribus sunt in vsu. Sed nihil magis deseruire poterit, quàm inquisitio primùm lineæ longitudinis fluuialis, quæ recta ducatur, & in medio fluminis iustius, quàm fieri possit, cōstituatur ita, vt totum fluminis corpus, vel aluei in duas partes æquales diuidat. Sic.n. inuento medio regulari, facilè deinde erit, extrema quoque fluminis ad figuram hanc regularem redigere.

Mediam porrò partem fluminis accipio more Caij in l. adeo. §. insula. de Acquir. rer. dom. vbi ita scribit. *Insula, si mediam partem fluminis tenet, communis fit eorum, qui ab vtraque parte fluminis prædia possident &c.* Quæ scilicet non in puncto indiuisibili sit, sed spatium aliquod contineat. Vnde præterea non intelligo, licèt sinus & curuamina in alterutro latere fluminis fuerint: ob id desinere hanc lineam esse in media parte fluminis. Huiusce obseruationis formationes, & totius diuisionis schemata tam pro modo Latitudinis, quàm ratione Propinquitatis, iam propositis figuris afferemus; quò facilius vniuersa, quæ hucusque tradidimus super diuidendis fluuiaticis incrementis intelligi valeant. quoniam humanus intellectus ea facilius percipit, quæ fide etiam oculorum intelligit, quod & Iustianus tradidit in §. fin. Institut. de Gradib. cognat. Nullam sanè aliam obseruationem huic rei magis conuenire, cogimur certa penitus assertione fateri. nam si ad figuram regularem fluminis latitudo, & longitudo reducenda est; quæ alia figura conuenientior est, quàm Parallelogrammi rectanguli? cum de rectis lineis, de ducendis lineis parallelis ad angulos rectos, & de latitudine, & longitudine prædiorum vbique agatur? At Parallelogrammum rectangulum nihil aliud continet quàm angulos rectos, lineas parallelas, latitudines, longitudinesq́;.

Totum porrò illud fluminis spatium tantummodo intra Parallelogrammi figuram concludi æquum est, vbi natum fuerit incrementum, quod illic agris acquiritur: quoniam vulgata est in iure ciuili regula, in partium computatione non attendi, nec partem facere eum, qui ad partem non admittitur. Sic legatarius, qui ad acquisitionem nō admittitur, in legati diuisione partem non facit; vt habetur in l. planè. 1. §. si duobus, ac in l. huiusmodi. §. si Titio. de Leg. 1. Sic itaque in

diui-

diuisione incrementorum agros illos tantummodo attẽdi,& partem facere æquum videtur, quos ad eorum acquisitionem admitti perspicimus.

Per aliam, & diuersam obseruationem iustæ Latitudinis inquisitionem aggressus est Buteo in libello de Fluuiaticis insulis diuidendis. 32 sed ea † obseruatio in ea parte præsertim, qua cuiusque agri longitudinem, & latitudinem simul docet inquirere, nulli nobis ferè vsui esse potest: subobscura enim est eius rei demõstratio; & eò magis quoniam in genere eam tradidit, ad species verò ipsas nunquam descendit in suis diuisionum figuris. Præterea in inuenienda Latitudine, & fronte, agrorum recta, quæ ab insula respiciatur, non possumus id assequi 33 vnius † tantùm lateris ad rectitudinem reductione, sed amborum simul laterum & vicissim consideratione. Vnde hæc norma, quam tradimus, & facilior est, & iustior; in vtroque enim latere simul rectam agrorum Latitudinem, & vlterius Propinquitatem inquirit, docetq;. Ad quam Buteonem etiam animum intendisse euidenter colligitur ex eius figuris, licèt assequi non potuerit. propius tamen accessit, quàm noster Bartolus. Sed de his satis.

ARGVMENTVM.

¶ De diuidendis incrementis inter eos, qui ab vtraque parte fluminis prædia possident, Canones proponuntur.

CAPVT VI.

ANTEQVAM diuisionum formas aggrediamur; non inutile futurum puto, breues ex latè hucusque disceptatis regulas, & diuisionum Canones depromere, tam qui ad Propinquitatis rationem, quàm qui ad Latitudinis normam pertinent: ob sui enim breuitatem & facilius intelligemus, & tenacius memoria complectemur.

I Inter eos, qui ab vtraque parte fluminis prædia possident, fit diuisio ratione Propinquitatis. ex cap. 2. nu. 1. libri huius.

II Ab vtraque parte adhuc esse dicuntur, cum fit diuisio, qui in initio ante natum incrementum fuerant. ex eodem cap. nu. 7.

III Inter eos agros vicinitatis ratio non procedit, in quibus frons simul & iusta prædij Latitudo non concurrit. ex eodem cap. num. 2. & 5.

IIII Quatenus propius est incrementum, eatenus acquiritur. ex eodem Cap. nu. 8.

v Quatenus Latitudo, & frons prædij concurrit, eatenus ad acquirendum ratione Propinquitatis admittitur. ex eodem Cap. nu. 9.

vi Propinquitatis controuersia ad initium nati incrementi referenda est. ex eodem Cap. nu. 6.

vii Ea sola Propinquitas attenditur, quæ secundùm fluminis latitudinem desumitur, non quæ secundùm longitudinem. ex Cap. 3. nu. 8. huius libri.

viii Mensura Propinquitatis ab agris non est inquirenda, sed ab ipsa fluminis, siue eius aluei latitudine, quæ fuerit inter ea loca, quibus incrementum acquiritur. ex Cap. 3. nu. 2. eod. lib.

ix Per medianam fluminis diuisionem Propinquitas semper inquiritur. ex eod. Cap. nu. 3. & 7.

ARGVMENTVM.

¶ Canones diuisionis inter eos, qui ab eadem parte fluminis prædia posident.

PARAGRAPHVS I.

i Inter eos, qui ab eodem latere fluminis prædia habent, fit diuisio pro modo solùm Latitudinis cuiusque prædij, nulla habita Proportionis, Propinquitatis, aut Cohærentiæ ratione. Ex Cap. 2. §. 1. nu. 1. 2. & 3. huius libri.

ii Inter plures agrorum frontes æquales non debet esse necessariò æqualis proportio incrementi acquisiti. sub eodem nu. 3.

iii Vera prædij Latitudo est, quæ propè ripam est, & ante, quæue ex aduerso contra insulam prospicit, & contra quam vicissim ab insula respicitur. Ex Cap. 4. nu. 15. Eod. lib.

iiii Latitudo ea attenditur, quæ fuerit in initio nati incrementi. Ex eod. Cap. nu. 21 & nu. 23.

v Insulæ, aluei, & alluuionis par est & vniformis diuisio ab eadem parte fluminis, eisdemq́; met lineis instituenda. Ex Cap. 2. §. 1. num. 11. Eod. lib.

vi Incrementum, quod meo adijcitur paulatim, meum est citra diuisionis ministerium; etiam si contra frontem aliorum processerit; vel etiam si alteri propius accedat. ex eod. §. 1. nu. 9.

vii Data duarum frontium prædialium paritate, quæ contra insulã respiciant, Rectæ frontis maior erit Latitudo legitima, & Obliquę minor. Ex eod. cap. 4. nu. 17. & 19.


viii Pro Latitudine indaganda à fluminis longitudine mensura de-


bet institui, ita vt linea Latitudinis lineę longitudinis sit parallela. Ex Cap. 5. nu. 27. & 29. eod. lib.

VIII Vnica recta linea à singulis agrorum terminis ducta debet fieri diuisio. Ex eod. Cap. nu. 10.

IX Lineis inuicem parallelis in directum ductis, incrementi totius simul diuisionem fieri oportebit: scilicet vt rectos faciant angulos cum ipsa Latitudinis linea. ex eod. Cap. nu. 1. & seq.

¶Non est autem silentio prætereundum, legitimos diuisionum Canones aliter conuenire non posse, nisi inter duo latera ipsa diuisio instituatur. quod apertè præsupponunt Caius in l. adeo. §. præterea. Proculus in l. insula, ac Labeo in l. pen. de Acquir. rer. dom. vbi semper agunt de diuidenda insula in flumine nata, non in fluminibus nata, atque ideo inter duo vnius fluminis latera. Quinimo Caius in illo §. præterea. hoc euidentissimè nobis insinuat; vbi generaliter traditurus normam insulæ diuidēdæ hęc scribit. *Si quidem mediam partem fluminis tenet* insula, *communis fit eorum, qui ab vtraque parte fluminis propè ripam prædia possident pro modo Latitudinis cuiusque prædij.* & paulò post. *Quòd si alteri parti proximior sit, eorum est tantum, qui ab ea parte propè ripam prædia possident.* Hucusque Caius. Hæc ergo eius norma inter duas tantùm partes, seu duo latera alicuius fluminis locum habebit, nam dictio (vtraque) duorum tātummodo distributiua est secundum Grammaticos. & ita Caium, & hanc dictionem interpretatur Bart. in Tyber. Par. 2. super verbis *qui ab vtraque.* & hoc sensu accipitur in l. si duos. de Euiction. ac in l. si quis duobus. de Leg. 2. quod & Accursius probat in §. idem placet. versic. non solùm. Institut. Per quas person. nob. acquir. Hoc idem præterea suadetur ob dictionem (alteri) quæ de duobus pariter ex propria significatione prędicatur. l. nonnunquam. de Iudic. l. si duobus. de Bonor. poss. contratab. & vtrobique Gloss. de qua re Bar. in l. ancillæ. C. de Furt. vbi Bald. nu. 3. refert, cum alias tres fuisset accusati, atque in libello accusatorio dictum foret, vnum alteri auxilium præstitisse; ob incertitudinem accusationis ab ea dictione (alteri) procedentem, eos fuisse absolutos, & rectè vt ille inquit. Cur autem hi Canones nisi inter duo vnius fluminis latera valeat conuenire: quisquis scire cupit, adeat ea, quæ inferius in fine capitis ab hinc secundi latiore stylo proposuimus.





ARGVMENTVM.

¶Formula diuisionis inter eos, qui ab vtraque parte fluminis prædia possident.

CAPVT VII.

VIA Propinquitatis, atque Latitudinis prædialis in superioribus longè lateq; constrata, recta tandem accedamus ad ipsas diuisionum formationes. & iuxta superiorum ordinem à mensura instituenda inter eos, qui prædia habent ab vtroque latere fluminis, exordiamur.

Ponamus ergo in Taro, quo non alius torrentior fluuius Parmensium agros interlabitur, insulam esse natam inter latera hæc, vt vides, inæqualia, & flexuosa. Ab vlteriori latere prædia possident Paulus, Pomponius, & Callistratus; à citeriori autem agros habent Proculus, Celsus, Caius, & Alphenus. (hæc sunt antiquorum I. C. nomina, qui de his incrementis frequentius egerunt) inter quos de diuidenda insula in flumine nata disceptatur. Mensuram ita instituendam dico. In primis quoniam ab irregulari figura nihil, quod certum sit, potest elici: & cum proculdubio Caius, Proculus, & cæteri, vbi nobis Propinquitatis ratione faciendam esse diuisionem edixerunt, reliqua omnia habilia præsupposuerint: hoc est, quanta foret riparum inæqualitas, bene conscij, in figuram regularem eam primùm inęqualitatem emendandam nobis tacitè suggesserint: iccircò laterum sinus, & curuamina in rectam figuram emendabit mensor ea obseruatione, & eo modo, quem (vt dixi in cap. 5. libri huius) adhiberet in inuenienda latitudine, & longitudine agri alicuius sic inæqualis. Hoc est intra Parallelogrammi rectanguli figuram concludet eam partem fluminis, in qua natum est incrementum. vt hic ostenditur in figura A. B. C. D. adiumento lineæ E. F. quæ totum fluminis corpus in partes æquas disper titur secundum longitudinem. quæ figura ideo extra flumen in ripa ipsa describitur, ad docẽdam faciliorem operationem: in aqua enim signa ponere, incommodum & difficilè admodum esset. à cuius lineæ. E. F. & ob id figuræ totius recta dispositione, recta diuisio pendet penitus. ideoq; maximam mensoris prudentiam exigit. cuius arbi trio hoc totũ committitur: certa enim non potest in re hac assignari regula. Quòd si fortè flumẽ eius magnitudinis fuerit, vt difficulter hisce lineis comprẽhendi valeat, qualis est fluuiorum Rex Eridanus: tum,

propius, quàm fieri possit, accedat mensor ad hanc obseruationem. sic etenim eò iustiorem semper diuisionem instituet. Ad rem redeo.

Hic lineæ A. D. & B. C. longitudinem fluminis regularem in vtro que latere designant. at lineæ A. B. & D. C. latitudinem. à linea longitudinis sumenda est linea veræ Latitudinis prædiorum, de qua re in subsequenti capite; à linea verò latitudinis fluuialis lineam legitimæ Propinquitatis oportet inquirere, de qua in præsens agitur: cui latitudinis lineæ linea Propinquitatis debet esse parallela, vt paulò ante diximus.

Ducatur igitur ab alterutra linea citerioris, vel vlterioris lateris linea siue maius funiculus in directum, qui ad contrarij lateris lineam perueniat; ita vt vtrique lineæ latitudinis fluuialis, scilicet. A. B. & D. C. sit parallelus. & hic sit funiculus. *a. b.* in quo inueniatur punctus, qui illic designet medium fluminis; per medianam enim fluminis diuisionem Propinquitas inquirenda venit. & hic erit punctus. *c.* atque isto modo linea A. B. sępius per insulam ad lineas A. D. & B. C. in directū ducta, ac notato vbique medio fluminis, plures designabit lineas, & plura puncta in suo situ mediam partem fluminis ostendentia, vt punctum *e.* in linea *d. e*, punctū *g.* in linea *f. g.* & hæc quod ad partē vlteriorem pertinet. quod verò ad citeriore attinet, designabit punctum *h.* in linea *h. i*, punctum *k.* in linea *k. l*, punctum *m.* in linea *m. n*, atque punctum *p.* in linea *o. p. q*, quæ vtrique lateri communis est. Et quo crebrius hæc puncta disponentur, eò exactior erit diuisio, ac iustior linea, quæ medium fluminis designabit. quæ erit in hac figura linea transiens per puncta *h. e. k. c. g. m. p. s.*

Pro faciliori autem operatione poterit mēsor suis lineis, idest, funiculis ad fluminis latera intensè applicatis, & exinde duplicatis, vbi extremo suo duplici contingent insulam, in ea signum defigere. prout hanc operationem conspicis in linea *a. b.* intensè primùm applicata, exinde duplicata in linea *t. c. u.* Ita enim medium fluminis in quolibet situ comperiet facilè.

¶His lineis ita constitutis, Dico insulæ diuisionem vti inter eos, qui ab vtraque parte fluminis prædia habent, rectè & legitimè factā esse. Hic primùm diuisio fit ratione Propinquitatis, quam Propinquitatē mediana fluminis diuisione vbique locorum inquisiuimus: vt quatenus propius esset incrementum, eatenus vnicuique acquireretur. Præterea secundùm fluminis latitudinem, non longitudinem lineam Propinquitatis instruximus, ita vt hæc linea lineæ latitudinis fluminis esset parallela. Lineam autem Propinquitatis *a. b.* cum cęteris in directū

ducen-



ducendam diximus, idest, vt cũ vtriusque lateris linea rectos angulos faceret:tum quia certior est,& vniuersalior norma,nec aliter duci potest hæc linea,vt sit lineæ latitudinis fluminis parallela:tum quia vt,ex quo inter eos agros Vicinitatis ratio non procedit, in quibus frons simul, & iusta prædij Latitudo non cõcurrit, vt inquã, & legitima Propinquitas, & iusta vniuscuiusque prædij Latitudo simul & semel describeretur.De cuius Latitudinis inquisitione latius, & apertius in sub sequenti capite dicetur. Quo circa nihil ex insula ad Proculum pertinet in hac figura, licèt eius ager insulam propè contingat: quoniam contra frontem agri illius insula non respicit.& modicum ex ea Paulo acquiritur,eatenus scilicet, quatenus contra frontem agri illius insula respicit. Proinde quicquid inter duos parallelos à terminis cuiusque prædij productos in vtroque fluminis latere comprehenditur,singulis eorum dominis ratione Propinquitatis acquiritur.

Et postremò, quoniam mensura Propinquitatis ab agris non est inquirẽda,sed ab ipsa fluminis,siue eius alvei latitudine:sic & nos operati sumus, ne sequeretur illud absurdũ, quod sæpe superius diximus euenturum ob ripæ latitudinem ab alterutro latere fluminis fortè exituram: quòd scilicet punctus medius inter agros nec ad flumen quidem perueniat, sed in ripa ipsa cõsistat.quod inconueniens conspicitur in linea *o.p.q r.* ab agro Callistrati ad agrum Alpheni producta.vbi punctũ *q.* medium inter agros illos,ripam non egreditur.rectius igitur in eadem linea punctum *p.* annotauimus, qui illic medium fluminis designat.Recta igitur & legitima diuisio est.quod erat propositum.

Quæ autem dicta sunt de insula diuidenda, eadem repetita intelligantur,si alueus inter hos foret diuidendus, totumq́;,quod hic flumẽ est & insula,foret alueus à flumine derelictus:Cuius diuisioni figuram propriam non elaborauimus: quoniam vnica sufficit, cum par sit & vniformis diuisio insulæ, & aluei inter eos, qui ab vtraque parte fluminis prædia possident, vt diximus in cap. 2. libri huius.

ARGVMENTVM.

¶ Formula diuisionis inter eos, qui secundùm eandem ripã fluminis prædia posſident.

CAPVT. VIII.

POTVISSEM, ſicut vnica eſt & communis norma inquirendæ Propinquitatis,ac Latitudinis ; in eadem figura in ſuperiori capite propoſita de diuiſione inter eos,qui ab eadem parte flumi-

nis prędia possident, agere: sed quò dilucidius res intelligi posset, consultò in duabus separatis Figuris de vtraque diuisionis norma agere constitui. Hic vides igitur agros quàm plurium descriptos ab vtroque latere fluminis, non ea intentione, vt ob id fiat diuisio ratione Propinquitatis, quinimo pro modo Latitudinis: sed vt vnica Figura varias agrorum formas, ac varias diuisiones cōplecteremur. quibus ea, quæ superius proposita fuere, oculis ipsis subijcerentur. Ab vlteriori latere agros habent Paulus, Callistratus, Pomponius, & Labeo, à citeriori Celsus, Caius, Florentinus, Alphenus, Trebatius, ac Proculus. Item vides in flumine plura hinc inde incremēta insularum, aluei, vel alluuionis. Rursus vides in vtroque fluminis latere frōtes agrorum obliquas, flexuosas, & penitus irregulares. veruntamen cùm nihil, quod regulare sit, possit ab irregulari figura desumi, vt etiam in superiori capite diximus: de regulari verò, certa constitutaq; Latitudine agrorum sint proculdubio locuti I.C. quorum mos est nihil incertum, nihil vagum nobis tradere: ideo pro emendandis in rectum his lateribus, rursus adhibenda est à mensore diligenter ea obseruatio, & operatio, quam (vt supra dictum est in cap. 5. libri huius) consueuit adhibere in inueniēda latitudine, & longitudine agrorum quantumcunq; irregularium. Nam & hic à regulari fluminis latitudine, Propinquitatis inueniendæ norma deprehenditur; quod in superiori capite effectum est. à longitudine verò, quis sit modus legitimæ Latitudinis cuiusque agri propè ripam, facillimè cognoscitur. de qua latitudine nunc agitur.

Concludet itaque mensor, adiumento lineæ E. F. quàm poterit, iustius totum fluminis spatium, vbi incrementum est, intra figuram Parallelogrammi rectāguli, prout in hac Figura *a.b.c.d.* cōspicitur. quæ iterum repetita est extra flumē in ipsis agris in Figura A.B.C.D. ita vt latera A.D. & B.C. essent lateribus *a. d.* & *b. c.* parallela, ea ratione, vt hinc ostenderem, nihil interesse, an in flumine, an extra flumen id fiat si ita commodius, & iustius fieri potest diuisio. Item vt harum binæ lineæ A. D. & B. C. longitudinis fluuialis lineam vltra citraq; flumen in ipsis lateribus designarēt, & *a.d.* & *b. c.* lineam Latitudinis prædialis ab vtroque latere describerent. cui lineæ longitudinis fluuialis lineas Latitudinis prædialis oportet esse parallelas ex traditis in cap. 5. Libri huius. Sit igitur vnica Latitudinis linea ab vlteriori latere linea *a.d.* à citeriori *b.c.* agatur deinceps hinc in directum ex singulis terminis agrorum vnica recta linea ita, vt omnes hæ lineæ ab vnoquoque latere sint inuicem parallelę: quæ sint ab vlteriori parte *e. f, g. h, i. K, l. m,* à citeriori autem *n. o, p. q, r. s, t. u,*

¶ Dico

¶Dico hanc diuisionem ritè, & rectè factam: & quod ex incremen tis insularũ, aluei, seu alluuionis interceptum est à singulis duabus parallelis, illud ad singulos agros in vtroque latere pertinere: & illum ob id esse modum verum & legitimum Latitudinis cuiusque prædij, qui à singulis duabus parallelis abscinditur à lineis, *a. d, & b. c.*

Quòd legitimè facta sit, facilis est demonstratio. hic fit diuisio per vnicam, & rectam lineam à singulis agrorum terminis excitatam, vt vides in linea *e. f, n. o,* & reliquis. quæ lineæ sunt inuicem parallelæ, & rectos faciunt angulos cum linea Latitudinis vtriusque lateris: vnde in directum ductas constat. quæ linea Latitudinis vnica est in citeriori, & vlteriori parte fluminis, vt cõspicitur in linea *a. d,* & linea *b. c,* itemq; secundùm fluminis longitudinem, & defluxum constituta, ita vt eius longitudinis linea, & hæc sint inuicem parallelæ.

Rursus, quoniam insularum, aluei, & alluuionis par est & vnifor mis diuisio ab eadem parte fluminis, eisdemq; met lineis instituenda: ideo ita semper lineas duximus in diuidenda alluuione, vti si insula in medio flumine constituta fuisset diuidenda: ac eisdem lineis alluuionem & insulam simul diuisimus, vbi extitit vtrunque incrementum. Ergo ex superioribus latè propositis constat, hanc diuisionem ritè fa ctam, & per consequens etiam rectè. Quòd & in specie certius ostendam.

Quoniam inter eos, qui ab eadem parte fluminis prædia habent, fit diuisio pro modo Latitudinis, non ratione Propinquitatis, aut Co hærentiæ: proinde in vlteriori latere nulla est assignata portio in insula G. prædio Labeonis, licèt ei sit proximior. & in citeriori pariter latere, quamuis incrementum H. totum cohęreat agris Celsi, & Caij: pro modo tamen Latitudinis diuisum est inter Celsum, Caium, Florentinum, & Alphenum. de qua re latius paulò post dicam in cap. 12. ad Figuram 11. Bartoli.

Rursus, cum Proportionis ratio in diuidendis incrementis sit admodum fallax, quoniam non est generalis, nec habet locum, nisi par sit incrementi mensura contra plurium agrorum frontes æquales; quod perrarò continget, vel nunquam fortassis: iccircò vides Callistra ti Latitudinem prædialem multò maiorem, quàm sit Pauli Latitudo in eodem vlterioriori latere; minorem tamen mensuram ex alluuione vtriusque prædio adiecta consequitur, quàm ipse Paulus habeat. Quod itidem in citeriori latere conspicitur in agro Alpheni & Proculi. Vt inde certum sit, inter plures agrorum frontes æquales non debere necessariò parem esse Proportionem incrementi acquisiti.

Constat hic præterea, quòd licèt prædia Florentini, & Proculi parẽ habeant Latitudinem; quoniam Recta est frons Proculi, & Obliqua Florentini: ideo maiorem habet Recta frons legitimam Latitudinem, & minorem frons Obliqua. verum est igitur, quod alias diximus, Data duarum frontium prædialium paritate, Rectæ frontis maiorem, & Obliquæ minorem esse Latitudinem regularem. vnde eò minorem incrementi portionem capiet frons, quò magis Obliqua fuerit. Adeò quòd contingere potest, vt nullam portionem consequatur; si frons penitus sit auersa. quod prædio Trebatij contigisse intelligis hic in citeriori latere. Nam cum ille sit modus legitimus Latitudinis cuiusque prædij, qui propè ripam est, & ante, atque ex aduerso insulã respicit, vicissimq; respicitur: qui mutuus prospectus deprehenditur per lineam ductam ab insula ad agri frontem & Latitudinem, ita vt cum ea rectos faciat angulos: iccircò Trebatius, cuius agri frons, licèt propè ripam sit, ante tamen esse, ex aduersoq; insulam I. respicere, & ab ea respici vicissim dici non potest: nihil ex ea insula consequitur, sed tota inter Alphenum, & Proculum dispertita est, ad quorum agros tota respicit. Et consequenter, cum par & vniformis sit diuisio insulæ, & alluuionis ab eadem parte fluminis, eisdemq; met lineis simul instituenda: non modò vllam in insula I. habebit portionem Trebatius, quinimo nec in ipso incremento alluuionis, vel aluei frontem eã auersam, vt vides, contingenti; vt par sit, & vniformis diuisio incrementi illius & insulæ. Proinde linea *t.u.* quæ diuidit insulam I. inter Alphenum & Proculum, excluditq; Trebatium, eadem diuidit pariformiter illud incrementum, ac ab eo Trebatium similiter excludit.

Quapropter & vltimò conspicimus in vlteriori latere Pomponiũ ex insula G. eatenus consequi, quatenus est modus Latitudinis agri illius, contra quem insula respicit, tandundem scilicet, quantum à duabus parallelis *g.h.* & *i.k.* intercipitur. quamuis totius Latitudinis maior sit modus, vti qui ad lineam *l.m.* vsque perueniat. Cuius modus reliquus, ille videlicet, qui inter parallelos. *i.k.* & *l.m.* continetur, quoniam antè non est, vt respiciatur ab insula L. propterea ex illa nihil consequitur Pomponius; sed tota pertinet ad Labeonem, contra cuius agri frontem insula nata est. Et vice versa incrementum illud, quod inter duas Parallelas *i.k.* & *l.m.* concluditur, totum ad Pomponium pertinet excluso Labeone, licèt illius prædio etiam cohæreat: quoniam vbi prædium Labeonis contingit incrementum; illic nulla frons legitima dari, vel considerari potest; cum sit in agri parte non anteriori, sed po-

ſteriori. Quod de Pomponij fronte dici nequit: antè enim eſt, & legitimam habet Latitudinem. quæ, ſi prædium Labeonis non intereſſet, in diuidenda quoque inſula L. admitteretur: quod ſufficit ſecundùm illud axioma vulgatum, Rei naturam potius & aptitudinem attendi, quàm alicuius emergentis qualitatem. de quo Gloſſ. ait in l. védicatio. de Rei védic. Et propterea reliquum increméti, quod in angulo & ſinu agri Labeonis à linea *l. m.* intercluditur, totum ad ipſum Labeoné pertinet pro modo Latitudinis, quam illic agrum eius habere cognoſcitur. quæ Latitudo ea ratione legitima cenſenda eſt, qua & illa Pomponij, quæ inter lineam *i. k.* & *l. m.* continetur. Recta igitur eſt iſta diuiſio. quod feciſſe oportuit.

¶ Cæterùm illud ſcire oportet, hæc omnia benè tum ſeſe habere, ſi ſimul & ſemel in initio incrementum tam ſeparatum, quàm connexum natum ſit huius longitudinis, & quantitatis, cuius in figura deſcriptum vides. quòd ſi paulatim portio aliqua poſtea vti per alluuionem adiecta ſit: tum quod meo adiunctum eſt, meum erit, etiam ſi incrementum hoc proceſſerit poſtea contra frontem agri ſuperioris vicini, vel inferioris. vel etiam vt propius eſſet fundo eius, qui trans flumé habet. ſic ait Proculus in l. inſula. in reſpon. 1. de Acquir. rer. dom. & per eum textum, & Glo. ibi ita diſtinxiſſe Paul. de Caſtro in conſ. 373. *Licèt Iudex.* in fine. in Antiq. poſt hæc noſtra comperimus. Sed de his ſatis.

¶ Hæc ſunt, quæ de legitima incrementorum diuiſione peragenda habuimus tam Propinquitatis ratione quàm Latitudinis. Quæ ſi rectè intelliguntur, data quauis fluminum poſitione naturali, diuiſioné legitimam in eis facilè inſtitutam iri cenſeo. Quapropter per infinitas fluuiorum conuexitates, & ſinus vagari, & varijs deſcriptionibus ac figuris membranas occupare conſulto noluimus. alioquin res in infinitum proceſſiſſet. Nǫ negarim autem aliquos caſus poſſe confingi, quibus hæc norma, & hi diuiſionum Canones non videantur penitus cóuenire: crediderim tamen nullú reipſa contingere conſueſſe, cui per hæc non queat afferri legitima diuiſio. Vel ſi caſus huiuſmodi aliquando accidiſſe, & rurſum accidere poſſe fateamur; illud tamé perraro eſt, & quibus ex ſuperioribus etiam poterit ex multa parte ſatiſfieri. Plerunque veró, quę tradiderunt I.C. locum habebunt. quos credibile nó eſt vti longo rerum vſu edoctos, & multarum rerum ſcientia excellentes aut fluuiorum naturam non nouiſſe, aut quicquam, quod huius rei perfectæ cognitioni neceſſarium eſſet prætermiſiſſe. Minimè illis profectò ignotú fuit, fluminú, & incremétorum, quæ in illis nata ſint, va-

rias,quin infinitas species posse confingi,& posse interdum existere;at raro. sed Legislatorum mos est huiuscemodi casus contemnere.Nam iura constitui oportet (vt dicit Theophrastus) in ijs, quæ plerunque accidunt:& ad ea potius adaptari ius, quæ frequenter & facilè, quam ad ea, quæ perrarò eueniunt. vt expressim legitur apud Paulum in l. quoniam.apud Pomponium in l. iura constitui. atque apud Celsum in l.nam ad ea.de Legibus.Quicquid sit: hoc vnū mihi satis est in præsens,quæ in iure ciuili accepimus ad hanc rem, rectè esse explicata:atque hanc solam,quam tradimus,& non aliam esse legitimæ diuisionis normam.

Antequam autem è tabula (vt aiunt) manus tollantur, maleuolorum voculis,si quas circunferri cōtigerit, hic occurrere opportunum est.Inquient illi fortassis, nos contra receptum iuris prudentum morem multa sine legum ipsarum auctoritate dixisse, multa constituisse: illud præsertim, quòd in inuenienda iusta Propinquitatis linea,ac vera prædiorum Latitudine, quæ vnica recta linea contineatur, normam esse desumendam diximus per lineam longitudinis ac lineam latitudinis fluuialis, ita vt ad lineam longitudinis huius sit parallela Latitudinis prædialis linea;ac lineæ latitudinis fluuialis parallela constituatur Propinquitatis linea. Item quòd diximus de reducendo flumine intra figuras Parallelogrammas rectangulas. & si qua alia sunt huiuscemodi. Cæterùm hisce oblocutoribus hinc me satisfacturum, aut saltem os obstructurum existimo. Nō eo ego inficias hoc totum,quod impingunt, meum esse commentum. sed nec tamē pro lege esse obseruandum constitui. Verùm, quoniam irregulares figuras fluminum necessariò ad regulares reducere conuenit: has ideo formulas proposui,vti cæteris figuris Geometricis aptiores,ac visitatiores, vtpote quas vulgò adhiberi perspicimus à nostris agrimensoribus in cōcludendis intra regularem figuram quibusuis agrorum areis flexuosis, & inæqualibus. Si nostra hæc obseruatio legum auctoritate expressa non communitur:tacito sanè earum consensu, ac Geometrica veritate ipsam fulciri constat ex superioribus: seq; præterea ipsa sui facilitate,& conuenientia commendat. Quod ipse aggredi sum ausus;omnibus patet, & licet.sine pertinacia enim hæc assero, æquo passurus animo ea reici: si quis fortè doctior alius aptiores huic rei figuras expromere valuerit.dummodo legitimi diuisionum Canones sibi locum in eis vendicare possint. alioquin ab hac nostra operatione minimè esse recedendum audacter constituo.

ARGVMENTVM.

¶ De Bartoli figuris, ac earum omnium vitijs generatim.

CAPVT. IX.

QVò certius sit, eam, quam tradidimus, methodum legitimam in diuidendis fluuiaticis incrementis sine vlla prorsus hæsitatione esse obseruandam ab eo, qui ius suum vnicuique tribuere voluerit: operæpretium futurum existimo de Figuris, & diuisionibus Bartoli omnibus simul disserere, & vnamquanque deinde separatim refellere, ac rectam diuisionem in earum singulis subinde describere.

Vnicam diuisionis normam pro diuidendis fluuiaticis incrementis tam ratione Propinquitatis, quàm pro modo Latitudinis cuiusq; prædij, in iure traditam legimus à Paulo, & Proculo præ cæteris I. C. de qua superius pluribus actum fuit. Quæ formula rectè intellecta adeò certa, & facilis, adeò vnica & vniuersalis est: vt omni positionum varietati in agris optimè possit inseruire. Si enim tam multiplex esset diuisionis ratio, quam Bartolus tam artificiosè (vt multis videtur) edocuit; Geometricaq; Schemata, linearumq; ductus tam varios requireret: Ius ciuile contra Iustiniani attestationem de imperfectione proculdubio posset redargui: vt pote quod tam necessarium diuisionum partem summo vix digito attigisset. Quamobrem magis est, vt credamus, eam formulam, quam tradidit Paulus, & Proculus, & sufficientē & solam esse obseruandam; at ita intelligendam, vt omni agrorum quantumcunque variæ positioni possit inseruire. Quod nisi fiat, vt supra docuimus, nunqum (ni fallor) illud assequi poterimus.

Huc addas ea, quæ disserit Hieronimus Magius in Miscell. lib. 4. cap. 2. ad finem capitis. Nempe si tam varias, & diuersas diuisionum formulas res hæc requireret: Iulius Frontinus maximus Geometra, qui sub Diuo Nerua Imperatore mensurarum rationem, ac opera exercebat, in libello proculdubio de Iure, & controuersijs limitum, (cuius in priore libro & nos mentionem fecimus) nō omnino omisisset, quę ad hanc rem pertinerent, cum de alluuione, de alueo fluminis veteri, ac insula fluuiatili nonnulla ibi scripserit. Quin Aggenus Vrbicus in Commentario ad Frontini ipsius libellum, cum agat pluribus de alluuione, eorum, quæ Bartolus communiscitur, saltem particulam attigisset.

Cum itaque vnica sit nobis tradita diuisionum formula tam in ra-

tione inquirendæ Propinquitatis, quàm in inueniendo modo Latitudinis cuiuſque prędii: opus inprimis fuit, & neceſſarium Bartolo vnicam methodum nobis in vtroque caſu exprimere, & adeò ſtatam, & vniuerſalem, vt nulla poſitionum varietate poſſet variari, & omni varietati deſeruire: hoc eſt, oportuit ſecundùm Geometricum morem Propinquitatis normam, & modum Latitudinis inquirere. Nam ſi ſingulis agrorum varietatibus & flexubus ſingulas, & proprias afferre oportuerit diuiſionem formas: (in quo laborauit Bartolus plurimum) illud immenſum, & infinitum erit. Certum eſt quidem, (vt ait Buteo & nos alibi diximus) Bartolum, licèt quadraginta propè Figuris menſuras diuerſas inſtituerit: ne milleſimam quidem ſui propoſiti partem aſſequi potuiſſe. (ſi tamen finiti ad infinitū poteſt eſſe cōparatio) Quis enim ignorat, eam eſſe fluminum naturam, vt angues lapſu imitentur ab obliquos riparum perpetuos inflexus? Vnde Ouid. in lib. 1. Metamor. de ſummo rerum opifice Chaos diſtinguente ita ſcribit

Fluminaq́ obliquis cinxit decliuia ripis.

Hinc ideo ſecundùm Magium Dij, qui fluminibus præeſſe exiſtimati ſunt, cornuti fingebantur propter riparum, alueorumq́; curuitates, ac flexus ad ſimilitudinem cornuum taurorum. Quamobrem Virg. libro Georg. 4. Eridano cornua, vultumq́; taurinum tribuit.

Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior influit vndis.

Viden' igitur cui vſui nobis eſſe poſſint Bartoli figuræ, cum neque ex eis certam, & generalem regulam poſſimus elicere: & ſi vnaquæq́; earum fuiſſet rectè diuiſa: vix eſt tamen, vt quiſquam vllo tempore ſimiles agrorum poſitiones ſit inſpecturus. Alias enim frontes prædiorum rectas, alias angulares, rectis tamen lineis contentas, reliquas circulares, ſemicirculo ſcilicet maiores, vel minores effinxit, quales agrorum formas neque ipſe fortaſſe vidit, nec vllus vnquam eſt viſurus. Aliud eſt Bartoli ſine defenſione vitium: vtpote qui voluerit (& in hoc rectè ſanè) inſulas, alueos, & alluuiones inter eos, qui ab eadem ſunt parte fluminis, eodem modo, & eadem forma debere diuidi, pro modo tantùm Latitudinis: inter eos verò, qui ab vtroque latere fluminis prædia poſſident, iure maioris Propinquitatis: nihilominus horum propè immemor in diuidenda alluuione inter eos, qui ab eadem parte fluminis ſunt, diuiſionem ratione Propinquitatis inſtituit.

Rurſus, cum ipſe in 6. Fig. rationem hanc afferat, cur in diuidendis incrementis non ſint ducendæ lineæ iuxta rectitudinem linearum

finalium, quoniam non protenderentur vſque ad flumen: vnde palàm eſt, eum præſupponere, ita ſemper lineas duci oportere, vt ad flumen peruenire valeat, antequam cócurrant. & rectè profectò: in nonnullis tamen Figuris ab eo malè obſeruatur.

Præterea cum in inſula diuidenda pro modo Latitudinis, regiones in ea ſingulorum linea (vt ait Paulus) in directum tranſducta deſignari, & limitari debeant: ipſe tamen in pleriſque figuris, vbi de diuidenda agit alluuione, cuius eadem eſt norma diuiſionis cum incremento inſularum: non vnica recta linea, ſed duabus, & interdum pluribus incrementi portiones diſtinguit. Item quoque, cum lineis parallelis fieri debeat diuiſio: at apud Bartolum, prima & altera excepta, nuſquam prętcrea.

Inſuper (quod maximè cauendum fuit) in pleriſque figuris lineas quaſdam iuxta flumen conſtituit maximi ſanè momenti: cur tamen, & qua ratione ſit ducendæ, ne verbum quidem. vt non ab re liceat ſuſpicari, ſenſu potius oculorum, quàm legum artiſuè ratione ad deformandas eas figuras ductum fuiſſe Bartolum.

Adde poſtremò, quod & ait Buteo: Bartolũ ita ſuas diuiſiones ſemper diſponere, tanquam nulla ſit vnquam ab agris ad flumen latitudo riparum. Vnde fit ſæpius, vt cũ in aliquam ripę latitudinem inciderint lineæ, ſi fiat diuiſio inſulæ pro modo Latitudinis, non ſolùm ad inſulã, ſed nec ad flumen quidem perueniant. Vt ſæpius contigere oporteat, quòd inſula nec ad vlteriores, nec ad citeriores pertinebit. Quæ res quàm ſit abſurda, nemo eſt, qui nõ videat. quod ſuo loco inferius oſtẽdendum reſeruo.

Quanta igitur in caligine huiuſce cognitionis verſatus ſit Bartolus; hinc facile conijcitur, & apertius paulò poſt deprehẽdetur. vt reuera mirandũ ſit de tanto viro. Ego quidem libentius ad eam opinionem confugerem, vt Tyberiadis opuſculum non ex Bartoli, ſed ex alterius potius cuiuſpiam officina prodijſſe diceretur: qui illud, (vt Magius inquit) quò vendibilius eſſet, Bartolo aſcripſiſſet. quæ bibliopolarũ quorumdam impoſtura eſſe ſolet. quod ex eo potiſſimùm ſuaderi videtur; quoniam Bartolus in toto titulo de Acq. rer. dom. vbi parciſsimè ſcripſit nũquã ad hoc opuſculum ſe retulit, præter morẽ ſanè ab eo cõſtanter in ſuis cõmentarijs obſeruari ſolitũ Verumenimuerò ad aliud credendũ me etiã inuitũ impellunt ipſiuſmet Bartoli verba in Par. 2. Tyber. ſuper verſ. *Quòd ſi ex vno latere*. nu. 5. vbi ad ſua cõmẽtaria in l. omnes populi. de Iuſt. & Iure. atque in l. ſolemus. de Condit. & demõſtrat. expreſſim ſe refert. ni fortè & hoc eſſe impoſtoris vitium dicimus. Sed

Additur Baldi testimonium Bartoli ipsius auditoris (vt ipse testatur in Repet.l.edita, nu. 118, C. de Edendo) qui in Rub. de Rer. diuis. hoc opusculum vt Bartoli passim agnoscit, agnoscunt item cæteri postea omnes, quot quot ad hanc vsque diem de hac re scribere contigit. adeò vt tam antiqua, & tam constans opinio nos ferè cogat, & hoc opusculum inter cætera Bartoli opera numerare.

Eò magis autem licet admirari; cum extremo vitæ suæ tẽpore Bartolus illud opus cõscripserit, ediderítq;, anno videlicet MCCCLV. vt ipsemet inquit in fine Proœmij ad Tyberiadẽ. quo anno mortuus est, annos iam quinquaginta sex natus secũdùm F. Iacobum Philippum Bergomensem in Chronicorum suorum vniuersalium Supplemento. Vel grandæuus sanè edidit; etiam si dicamus ex Io. Baptista Caccialupo de Modo stud. in vtroq. iure, in Docum. 5. illum obijsse anno Domini MCCCLX. ætatis verò XLVI. Sed ad rem nostram redeamus.

ARGVMENTVM.

¶Singulæ Bartoli figuræ ad diuisionem alluuionis pertinentes refelluntur; atque earum recta diuisio describitur.

SVMMAE.

1 *Bartoli lapsus in figuris vnde processerit. & nu. 3.*
2 *Elementa Geometrica à Bartolo tradita redarguuntur.*
4 *Lineæ diuidentes ad flumen debent peruenire, saltem ex aptitudine.*
5 *Lineæ diuidentes ab extremo contractu linearum finalium propè ripam sunt ducenda.*
6 *Additum addito acquiritur, sicut additum antiquo prædio.*
7 *Explanatio l. insula. de Acquir. rer. dom.*
8 *Incrementum, quod eodem tempore extiterit, non particulatim, pluribúsve vicibus, sed vnica diuisione totum simul est diuidendum.*
9 *Propinquitatis ratio non minus attenditur in diuidendo incremento annexo, quàm in incremento à prædio separato.*
10 *Incrementum omne, quod meo cohæret, non semper ad me potest pertinere, nisi paulatim adiectum fuerit. & nu. 11.*
11 *Explanatio l. 1. §. si insula. de Flumin.*
12 *Insulam ad neminem pertinere debere conuincitur, si fit diuisio secundùm Bartolum.*

CAPVT X.

De Prioribus quinque Figuris.

ACcedo iam ad singulas Bartoli figuras. Is in tradendis Geometricis quibusdam principijs in prioribus quinque Figuris, quoniam Paulus ait in l. inter eos. de Acquir. rer. dom. diuisionem fieri debere linea in directum per insulam transducta: super ea cognitione primùm laborauit, quę nam sit linea recta in directum ducta; multaq; perperam tradidit. à quo erroris fonte † omnes eius in figuris defectus effluxerunt. Magna enim (vt inquit Buteo) principiorum ignorãtia lapsus Bartolus super lineis istis, quas parallelas, & cathetos, idest, lineas perpendiculariter ductas ex definitionibus Euclidis nuncupamus; ineptè admodum, & præter Geometricæ disciplinæ morem ita disputat, vt velit lineam rectam inspici, ac distingui tribus modis. *Primo an sit recta secundum se. Secundo an sit recta alterius lineæ respectu, super qua cadit. Tertio an sit recta respectu alterius puncti, qui est in angulo duarum linearũ.* Rursus voluit esse aliquas *rectas omni rectitudine*. Sed huius generis † distinctiones frigidas, & inconstantes Geometria non solùm recipit; sed nec vllas omnino patitur. in qua certis statisq; terminis, ac suis definitionibus omnia cõcluduntur; vltra quas egredi non est legitimũ. Nihil enimuero apud Geometras, à quorum tanquam in arte peritorum elementis, & regulis non est recedẽdum, & à quibus præsertim ab Euclide has, & cæteras demonstrationes haurire profitetur Bartolus: nihil, inquam, est rectius recto, & quicquid semel est rectum, nusquam, nec vllius ratione desciscit à recto. Id quod autem in vltimo membro distinctionis dixerat, an sit linea recta respectu puncti, qui est in angulo duarum linearum, exemplis declarat in quinta figura: vbi multis conatur ostendere, quomodo linea perpendicularis ad angulum quemlibet duci possit. quod est inauditum apud Geometras; talis enim linea non nisi in lineam rectam, vel in planum subiectum duci potest. Quam ergo lineã rectam secundùm se nuncupat Bartolus, ea apud Euclidem in definitionibus dicitur simpliciter recta linea. quæ est à puncto ad punctum breuissima extensio. quam verò lineam rectam dicit respectu alterius lineæ, super qua cadit, ea perpendicularis, vel cathetos appellatur. Item quod dicit, ducere lineam rectam respectu puncti in angulo constituti; hoc Problema saniore, & magis propria oratione apud Euclidem ita concipitur in Prop. 9. lib. 1. *Datum angulum per æqualia secare.* Et postremò quam rectam lineam omni rectitudine nuncupat in Fig. 6. habito respectu ad lineam prædiorum, quæ est in contraria prædio-

1

2


rum parte, eam parallelam rectius, & magis propriè dixisset. Per hanc † porrò inusitatam nominum mutationem, & inauditam vocabulorum varietatem nihil aliud egit Bartolus, quàm quod & ipse sibi, & cæteris Geometricæ disciplinæ expertibus lapsum parauit, & errorum tenebras obduxit maximas. Super his falsis igitur, & leuibus fundamentis superstructæ diuisionum formulæ, quàm facilè subrui possint, videamus.

De Sexta figura.

¶ Omitto sextæ figuræ descriptionem, quę prima est earum, in quibus de diuisione agitur: nam iustam in ea diuisionem instruxit Bartolus per lineas scilicet parallelas in directum ductas; & lineam Latitudinis prædiorum parallelam præsupponit lineæ longitudinis fluuialis. Duo autem hic tradit Bartolus. alterum est, quòd lineæ diuidentes † ita ducendæ sunt, vt semper ad flumen perueniant, nec ante concurrant: parallelis igitur diuisionem oportet facere, quæ nunquam possunt concurrere. Alterum est, quòd ea prædij Latitudo attenditur, quæ propè ripam est; vnde lineæ diuidendes † semper ab extremo contactu linearum finalium propè ripam ducendæ sunt. Rectè Bartolus in vtroque. Illud tantùm scire oportet; & si hæ lineæ ad flumen interdum peruenire non poterunt, quia impedimentum aliquod intercedat: tum rectè etiam ductas debere iudicari, dummodo inuicem sint parallelæ, & in directum ductæ in sui origine, & aptæ, quæ sublato impedimento possint eò peruenire. quoniam in iure ciuili rei natura potius, & aptitudò, quàm contingens qualitas considerari solet. l. vendicatio. de Rei vendic. quod & in cap. 8. huius libri iuxta finem in his terminis tradidimus.

De Septima figura.

¶ Hæc figura, licèt in ea lineæ diuidentes sint parallelæ, & in directũ ductæ ad lineam Latitudinis prædialis; ex alio tamen reprehendenda venit: quoniam ea Latitudinis linea, ad quam in directum ductæ sunt lineæ, obliqua est, non recta, si fluminis longitudini comparetur. Vnde pro recta diuisione peragenda, debuit in primis hic iusta & recta Latitudo inueniri per lineam longitudinis fluuialis, quæ scilicet Latitudo foret parallela lineæ longitudinis in flumine consideratæ, vt in cap. 5. paulò ante docuimus; & prout in recta huius figuræ diuisione factum conspicitur. Cuius rei norma & demonstratio quoniam per se patet, & iam ex superioribus euidens est: eam consultò breuitatis gratia omit-



to. quod & in ſequentibus faciam. Vitium proinde in figura Bartoli ex eo maximè deprehenditur, quando ex inſula A. contra regionem agrorum Titij & Caij nata, nihil ad Titium pertinere poteſt, ſtante iſto linearum ductu in directum ad frontem obliquam. Iuſtior eſt igitur noſtra diuiſio.

De Figura octaua.


Multò pluribus laborat erroribus octaua figura. tres autem præcipuè ſunt redarguendi. In primis nulla ratione nec lege, quinimo contra l. inter eos. de Acquir. rer. dom. fit in ea diuiſio non vnica recta linea in directum ducta, ſed duabus ab eodem agri termino productis, quæ ſunt lineæ A.B, & B.C. Item Latitudo prædiorũ non eſt ad vnicam rectam lineam redacta. Tertium vitium eſt contra Geometricam diſciplinam: nam lineam D E. ducendam iubet: cur autem, aut qua auctoritate, quoùe artificio id fieri debeat, minimè nos docet. quoddam tantummodo axioma promit erutum ex l. inſula. de Acquir. rer. dom. ſcilicet, *quod iuris eſt in eo, quod prædio primo adijcitur, idem eſt in eo, quod ipſi addito adijcitur:* vt eo defendat hanc ſuam bipartitam, & duabus vicibus factam diuiſionem.

6 Si de † acquirendo eo, quod poſtea additum fuerit incremento priori, tractamus, vt in his terminis reſpondit Proculus in ea l. inſula. ibi *quæro, quod accreuerit, vtrum meum ſit:* & ego quoque Bartolo aſſentior; vt ea ratione & eo iure, quo adiectum incrementum prædio pri-

mo mihi acquiritur, eodem pariter illud, quod ipsi incremento adiectum postea sit, quæratur. Nam nihil interesse inquit etiam Labeo in l. si epistolam. §. pen. Eodem. qualis ager sit, propter cuius propinquitatem posterius incrementum insulæ cuius sit, quæratur.

Quòd si non de acquisitione, an scilicet incrementum posterius incremēto priori acquiratur; sed de ratione & norma diuisionis agimus; de qua Bartolum hic intellexisse certum est, tum ex subiecta materia, tum quia in decima figura hoc idem axioma his verbis cōcipit *additum addito diuidendum est sicut additum antiquo prædio*: Bartolum hallucinatum puto; quoniam (vt proximè dixi) in l. insula. non de diuisione, † sed de acquisitione sermo est. imò nec potest esse, cum illic de incremento alluuionis agatur, quod ordinario iure diuisionem non recipit, vt in cap. 2. §. 1. & in cap. 8. libri huius declarauimus. Sed esto, illic agi etiam

7



de diuisione: de diuidendo tamen eo incremento agi, necessum est fateri, quod priori postea accessit, vt constat ex verbis illis. *& postea aucta est paulatim, &c.* At hic Bartolus diuisionem eius incrementi molitur, quod eodem tempore extitisse præsupponit. vnde ex diuersis non infertur per vulgatas leges. Et sanè non modo iure nōn probatur incrementum † eodem tempore natum, vel diuidendum, per plures vices & plures lineas, particulatimuè posse diuidi: quin expressim hoc reprobatum coniicimus ex l. inter eos. de Acq. rer. dom. quo loco Paulus vnicam diuisionem vnica linea in directum ducta à singulis agrorum


8

termi-

terminis fieri debere nos admonet. qui quoque *linea* singulariter dixit adhoc, vt vnicam lineam diuidentem esse oportere nobis insinuaret, vt in cap. 5. diximus. Postremò, si verà esset opinio Bartoli, res in infinitũ procederet: nam qui particulam incrementi eodem tempore nati occu passet primò in diuisione, reliquum omne facilè foret occupaturus, & in concursu plurium res esset penitus inextricabilis.

De Nona figura.

Eisdem laborant vitijs figura nona, decima, atque vndecima, quo superiores, & alio euidétiori. superiora vitia in figura nona constant ex ductu lineæ. A. B. sine demóstratione, & ex ductu linearũ C. D. & D. E. cõtra l. inter eos. de Acq. rer. domin. cũ linea diuidens vnica esse debeat. Nouum verò vitium est huiuscemodi. nam Bartolus hic fatetur, quod




negare non potuit; inter eos, qui ab eadem ripa, & parte fluminis prædia possident, diuisionem fieri oportere pro modo Latitudinis, nõ Propinquitatis intuitu: quoniam, (vt ille ait,) ab eodem latere fluminis sunt duæ ripæ, inter quas continetur relicta alluuio: ita vt videatur fieri diuisio inter eos, qui sunt ab vtraque parte fluminis, non ab eadem. Duas ripas intelligit Bartolus prædiorum frontes in sinus, secessusq; fluminis incursu excauatas. quàm nouo autem & abusiuo vocabulo, nemo est, qui non videat. Quandoquidem si per solos riparum inflexus latera fluminis debebunt multiplicari: illud erit infinitum, & rarò diuisio pro

modo Latitudinis locum habere poterit.

De Figura decima.

Quod ad figuram decimam pertinet: in ea præterquàm quòd fit diuisio ratione Propinquitatis, & lineis in directum non transductis: pro vnica etiam recta linea diuidenti à termino agrorum ducenda fit diui-



sio tribus lineis. A.B, B.C, & C.D. Insuper ducendas ait lineas E.F, & F.G, cur autem, & qua norma: ne verbum quidem, licèt maximi sint momenti in ea diuisione.

De Vndecima figura.

Accedo ad figuram vndecimam, in qua præter erroneam diuisionē, & præter id, quòd Bartolus alluuionem secundò adiectam diuidit iure Propinquitatis; duas etiam proponit regulas iuri sanè contrarias. Ius Propinquitatis primùm, inquit, tantùm attendi, quando illud de quo acquirendo ageretur, neutrius fundo adhæreret, vt insula. Hoc falsum reuera constat esse ex ipsiusmet Bartoli verbis in Fig. 9. in prin. Par. 2. Tyber. & expressius ex traditis ab eo in Par. 3. super verbis. *Qui prope ripam. &c.* vbi locorum contēdit, & rectè, alueum dimissum ex totius flu minis recessu diuidi ratione Propinquitatis: & tamen prædijs vltra & citra flumen positis adhæret.


9

Secundam regulam proponit, quòd incrementum vnius prædio ex

pluri-

pluribus ad hærens semper illi cedit, cuius prædio cohæret, nec alterius proximitas attenditur per l. insula. de Acquir. rer. dom. Labitur † in hoc Bartolus profectò, vti qui asserit omne, quod meo prędio cohæret, meũ esse: tum ex eo, quoniam nulla alia norma diuidendorum incrementorũ tradita est, quàm ratione Propinquitatis, vel pro modo Latitudinis; tum quia, si interdum meo additum mihi acquiritur, hoc non ordinario iure contingit, aut simpliciter verum est, sed ita demum, si paulatim hoc incrementum meo adijciatur, per alluuionem scilicet. vt in hac specie locutus est Proculus in ea l. insula. in prin. in cuius responso vim fecit Bartolus. de qua re nos latius in cap. 2. §. 1. huius Libri. Et quò certius oculata etiam fide hoc demonstretur: finge vt in figura capitis octaui peninsulam H. eodem tempore natam in flumine, quæ agros Celsi, & Caij contingat, & contra frontem prædiorum Florentini, &

10



Alpheni protendatur. proculdubio, cùm ab eadem parte fluminis sint ea prædia, fiet diuisio pro modo Latitudinis cuiusque prædij, non aliter, ac si insula nata fuisset, lineis in directum per peninsulam transductis, & inuicem parallelis. vnde ideo Florentino, & Alpheno suas in ea regiones assignamus. Nam si tota foret Celsi, & Caij, quorum agris adhæret: quomodo eam inter se partiri possent lineis parallelis in directum per insulam transductis? Et secundùm prædicta intelligendum est illud, quod ait Vlpianus † in l. 1. §. si insula. de Flumin. ibi. *illa enim insula aut occupantis est, si Limitati agri fuerunt, aut eius, cuius ripam contingit.*


11

Neque

Neque enim ideo credas eius fieri, quia contingat: sed quia propior est, cum contingat ripam; ideo illi acquiritur.

De Figura duodecima, & tertiadecima.

Vtraque ex his figuris eo primùm laborat vitio, quo & superiores; qm̃ inter eos, qui ab eadem parte & regione fluminis sunt, fit diuisio iure Propinquitatis. Item linea diuidens non est vnica. Rursus hæ lineæ diuisoriȩ non sunt inuicem parallelȩ, neq; ad flumen peruenium, cõtra l. inter eos. de Acquir. rer. dom. & contra eam regulam, quam Bartolus ipse proposuit in superiore Fig. 6. Quocirca necessum est, absurdissimum quid contingere: vt insula illic nata ad neminẽ pertineat: quod iam oculata demonstratione probabimus. Palàm est & ex legum auctoritate, & de consensu Bartoli inter eos, qui ab eadem parte fluminis



prædia possident, eodem modo, forma, eisdemq; lineis diuisionem insulæ, alueí, & alluuionis fieri debere. Hic vides Fig. 12. (quam solam hic sufficit proponere, cum tertiadecima ei sit admodum similis) finge igitur insulam D. in flumine natam ita, vt ei lateri proximior sit, vbi prædia sunt Lucij, Titij, & Caij, at contra frontem agri Titij, vt nihil excedat longitudinem prædij illius. Si diuisionem † Bartoli rectam esse defendimus, non solum ad Titiũ ex ea insula quicquam pertinebit, sed ad neminem alium insula iure spectare poterit. Exploratum est, his, qui trans flumen prædia possident, nullum in insula ius compete-


12

re:

re; cum citeriori lateri proximiorem præſuppoſuerimus: ad Titium ex Bartolo non pertinet, licèt tota ſit contra agri illius frontem; lineæ enim A.B. & C.D. ad flumen non perueniunt, nedum ad inſulam; ad Caium verò, & Lucium nequaquã poteſt ſpectare, quoniam ad frontes eorum inſula non reſpicit, prout requiritur ex l. ergo. in prin. de Acquir. rer. dom. & ſuperius probatum extitit: ad neminem ita que pertineret inſula. Iuſtior eſt igitur noſtra diuiſio.

De Quinque figuris circularibus.

Quinque poſtremę figuræ circulares eiſdem met vitijs laborant, qui bus præcedentes: fit namque diuiſio alluuionis ab eodem latere Propinquitatis ratione, vbi debet fieri pro modo Latitudinis; & eo ductu linearum, vt non ſolùm non ſint parallelæ, ſed ad flumen vix peruenire



poſſint. Item lineas vnamquanque circuli portionem claudentes nullo iure, nulla norma ſtata aut ducit, aut ducendas docet. Et iccirco vna tantùm ex eis propoſita, & rectè diuiſa, facile erit in reliquis, qualis de beat eſſe iuſta diuiſio, cognoſcere: cum earum etiam vniformis ferè ſit apud Bartolum diuiſio. Ea ſit proinde Fig. 19. in qua vides ductam lineam A. B. quæ ſemicirculum claudit. ſed qua norma generali, nullum verbum. Item vides lineam C.D. deſcriptam pro linea diuiſoria, ſed qua ratione, non edicit; cum tamen vnaquæque linea diuidens vnica eſſe debeat, & ab agrorum terminis ducenda ſecundùm

ipſummet

ipſummet Bart. in ſuperiore Fig. *6*, quod legis auctoritate latè nos diximus in cap. 5. huius libri. Reliqua vitia per ſe patent. Et hæc ſunt, quæ ad figuras diuiſionem alluuionis concernentes pertinent. In quibus refellendis omiſi ea omnia, quæ ad Geometricas demonſtrationes ſpectabant, licèt multa quoque contra artis præcepta egerit Bartolus; hæc enim vnicuique Iuriſperito ſufficient, quos præcipuè alloquor. à quibus, ſi artis huiuſce ignari ſunt, impoſsibile foret intelligi, quæ in his redarguendis dicerentur: intelligentibus autem ſatis ex ſe patent ipſa vitia & in his Figuris, & in ſequentibus, ad quas hic dicta referimus.

ARGVMENTVM.

¶ Vnaquæque ferè Bartoli figura in diuidendis inſulis redarguitur; & recta diuiſionis formula cuique earum ſubnectitur.

SVMMAE.

1 Explanatio l. pen. §. ſi qua inſula. de Acquir. rer. dom. & nu. 2.

3 Diuiſio inſulæ natæ inter aliam inſulam primò natam, & inter contrariam ripam.

PARAGRAPHVS I.


SVPEREST, vt reprobatis figuris diuiſionem pro modo Latitudinis præſeferentibus, illas aggrediar, quæ in Par. 2. Tyber. à Bartolo deſcriptæ ſunt; in quibus agitur de diuiſione inter eos, qui ab vtraque parte fluminis prædia poſſident, ratione videlicet Propinquitatis.

De Figura prima.

Prætermitto deſcriptionē primæ figuræ, cū in ea ſit iuſta & recta diuiſio: quoniā fit per medianā fluminis diuiſionē, & ipſa fluminis latera lineis rectis, & inuicem parallelis contenta præſupponuntur; quæ latera recta omni rectitudine appellat Bartolus. totumq; poſtremò flumen, vbi inſula eſt, ad figuram Parallelogrammi rectanguli redactum eſt. ita vt omnia conueniant, quæ in cap. 7. neceſſaria hic eſſe, & obſeruari debere propoſuimus pro inſtituenda iuſta diuiſione ratione Propinquitatis. Proinde ad hanc figuram regularem ſemper oportebit reducere laterum anfractus, & ſinus; vt iuſta poſſit inſtitui diuiſio iure Propinquitatis. quod ſi feciſſet Bartolus, hoc munere nos exemiſſet.

De Figura secunda.

Paucis agam de figura hac; vti quæ si non ritè, rectè saltem factam, habet diuisionem, vitium agnouit Bartolus in ductu linearum *a. b.* & *c. d.* quæ secundùm fluminis latitudinem ductæ fuerunt, sed emendare nesciuit, ad latera enim in directum ducendas in priore figura profitetur, hic variata tantillum fluminis latitudine, nouam diuisionis




formulã describit. Ad Parallelogramini igitur figuram, quod rectangulum fit, reducatur flumen; atque ita linea & ratio Propinquitatis inquiratur, vt in figura nostra.

De Figura tertia.

Ad figuram tertiam aggredior, quàm Bartolus ad declarationem l. pen. §. si qua insula. de Acquir. rer. dom. apposuisse profitetur. Sed profectò nihil magis per eam declarat, quàm (vt inquit Buteo) se eam Pauli legem non intellexisse. Scribit autem Bartolus, I. C. dicere insulam primò relictam in flumine habere ius in alijs insulis postea natis ex iure Propinquitatis: quod minimè verum est simpliciter, vt inquit Buteo, & rectè: sed ita demum, si talis insula posterior inter insulam priorem, vt ait Paulus, † & contrariam ripam nata est. Et hoc est quod dixit Proculus in l. insula. Eodem. contra frontem agri insulam

nasci, & esse intra regionem prædij; & Pomponius in l. ergo. in prin. Eodem. ad frontem agri insulam respicere. Nec enim alias Vicinitatis ratio procedit, si non & frons prospectusq; concurrat, vt in cap. 2. huius libri concludimus. Vnde palam est Bartolum in hac figura haud rectè expressisse sensum. I. C. insulæ enim B. & C. non possunt dici natæ inter priorem insulam A. & contrariam ripam Caij,



2 vel Seij. quod secus est in nostro schemate, † vbi insula. D. verè dicitur nata inter priorem insulam. E. & contrariam ripam, vbi ager est Caij.

Non minus autem erroneam diuisionis rationem tradidit Bartolus, quàm contra Pauli mentem figuram delinearit. priusquam enim aliquã ponat, aut probet æqualia, *Si ab æqualibus*, inquit, *æqualia adimas: quæ remanent sunt æqualia.* infert deinde, *sed constat, quod tantùm circulus vnus distat à suo centro, quantùm alius circulus à suo. Ergo &c.* quod perinde vanum est, ne dicam ridiculum; ac si quis dicat, quantum distat Luna à suo cœlo, tãtum distat Sol à suo. vel tantum distat capitis vertex alicuius hominis à suo vmbilico, quantum alterius vertex à suo. quæ distantia quanta sit, alio prius non docto, sciri impossibile est. Sed ad rẽ.


3 Insulæ † igitur prioris in flumine natæ attenditur Propinquitas in insulis postea natis diuidendis, si & fronte, prospectuq; comitetur: aliàs secus.

ſecus. Vnde quatenus contra frontem, & regionem inſula poſterior reſpicit, eatenus Propinquitas conſideratur. quod in omni caſu ſuperius, generali propoſito Canone, obſeruandum diximus. Vbi autem frons prioris inſulæ deficit, abinde eorum prædiorum Propinquitas attendetur, quorum frontes erunt contra illius inſulæ reſiduum. Cuius rei exemplum vides in noſtro ſchemate, vbi finximus inſulam F. primò natam in flumine propiorem fundo Seij. contra cuius inſulę frontem ex parte, nata eſt poſterior inſula G. quatenus ergo contra priorem poſterior inſula reſpicit, & propior eſt: eatenus illi acquiritur. Porrò Propinquitas inquiritur per medianam fluminis illius diuiſionem, quod flumen eſt inter priorem inſulam F. & contrariam ripam Titij. vt hic demonſtrat linea *c. d.* quę in ea parte medium fluminis deſignat. vnde portio inſulæ G. quæ vltra lineam *c. d.* relinquitur, ad Titij prædium pertinet; quę verò citra eſt, ad inſulam F. ſpectat, & ideo ad Seium, cui inſula F. vti propior acquiſita fuit. Reſiduum autem inſulę G. ad quod inſula prior nõ reſpicit, inter Mæuium & Sempronium debet diuidi, inſtituta mẽſura Propinquitatis, vt aliàs generaliter, per medianam totius fluminis diuiſionem; vt oſtenditur hic in linea *e. f.* Huius porrò diuiſionis ratio in hac figura par eſt, & eadẽ propemodum, ac ſi prædium Seij procurreret in flumen vſque ad eum locum, quem occupat inſula F. tantundem enim ex inſula G. ratione Propinquitatis conſequerentur Seius, & Titius, Mæuiusq́;, atque Sempronius. Quocirca palàm eſt, quàm malè in figura ſua Bartolus ius Propinquitatis tribuat inſulæ A. primò natæ, ad occupandas portiones vllas in poſterioribus inſulis B. & C. Si enim frons prædij Titij, cui prior inſula A. tanquam propinquiori acquiſita eſt, procurreret & perueniret ad eum locum, vbi inſula eſt: nulli dubium eſſe poteſt, quòd ad eum nihil ex inſula B. pertineret; cum ad frontem eius inſula non reſpiciat. cuius rei exemplum etiam videre potes in figura cap. 7. in prædio Proculi. Sic in propoſita ſpecie ad inſulam A. eadem ratione non poteſt quicquam pertinere ex inſula B. poſteriùs nata, nec ex inſula C. quoniam contra eius frontem illæ inſulæ non reſpiciunt. Quicquid ergo vltra lineam *a. b.* eſt, ad Lucium & Titium vlteriores pertinet pro modo Latitudinis: quod citra eſt, ad Caium & Seium citeriores. proinde portio in inſula C. Titio acquiritur alia ratione, quàm Propinquitatis inſulæ A. Norma porrò inquirendæ frontis in inſula primò nata facilis eſt: nam tanta eſt frons inſulæ, quanta ipſa frons prædij, cui ſoli acquiritur, & contra quam reſpicit. in prędijs verò frontem inuenire ſuperius docuimus in cap. 5. huius libri.

Conclude ergo; si quęri contigerit, quod ius ratione Propinquitatis habeat insula prius nata ad posteriorem: vbi frons & prospectus legitimus non concurrent, ibi nulla Propinquitas considerabitur. Quapropter Propinquitatis mensura semper instituetur secundùm fluminis latitudinem, per medianam scilicet fluminis diuisionem, prout generaliter debere fieri, sępe diximus. vt in linea *a. b,* & linea *c.d,* ac linea *e. f.* factum vides; non autem secundùm fluminis longitudinem. qualem obseruationem hic in sua figura adhibuit Bartolus contra iuris pręcepta.

De Quarta figura.

De quarta figura paucis agam: quia rectam habet diuisionem. in hoc tantùm (quod maximi tamen est momenti, & in quo rectę diui-



sionis norma consistit) reprehendendus est Bartolus. nam ducendam inquit lineam vniformiter ab vtraque parte ripę, in qua punctum in medio eius signatum sit: qua tamen ratione iste ductus linee, vt vniformis sit, fieri oporteat, & quemadmodum cum ipsa ripę linea debeat conuenire, minimè docet. quod est docere sine principijs. Cuius rei in primis, cum varij ad infinitum vsque sint riparum flexus, debuit tradi certa, & generalis norma, omniũ; riparum positioni deseruiens. Si pręsupponit Bartolus ad angulos rectos super ripę linea conuenire debere hunc funiculum ab vtroque latere vniformiter ductum; quod


illum sensisse ex ipsius figura hac potest deprehendi: & quę re uera est vnica ratio huius rei: & adhuc superest, quod eum docere oportuit. qua scilicet ratione, cum ripa sit flexuosa, ea sit ad rectitudinem rationalem reducenda. Nos autem superius abundè docuimus, & exemplum hic proponimus.

De Figura septima.

In hac figura illud in primis displicet, quoniã ad Titium nihil ex hac insula pertinet: cum & prędij illius propinquitas sit euidens. vt omittã oportere, si hęc diuisio sibi locum habet vendicare; vt agrorum, & riparum positio omnino huic, ad amussimq; conueniat; alioquin deseruire minimè poterit. quod & de sequentibus figuris dici oportet. Quas positiones nunquam fortè quisquam inspecturus est: & ideo frustra fere in eis diuidendis elaborasse Bartolum, fateamur necesse est. Huius autem figurę descriptionem sciens, & volens prætereo: quoniam nihil in præsens de eius recta diuisione sum dicturus; cum tria duorum fluminum præsupponat latera, atque ideo sit ex eis, in quibus legitimi diuisionum Canones locum habere non posse videntur; & quas (vt in fine capitis ab hic secundi diximus) nobis curiosà potius inuentione confingimus, quàm quòd re ipsa vnquam extiterint. de quo genere etiam (si Deus aderit) me quandoque tractaturum fore polliceor.

De Tribus ex postremis figuris octaua, duodecima, & decimaquarta.

Vsu venire solet, vt merę proximi quàm celerrimè cursum conficere studeant. ideo & nos optato fine iam potituri tres ex postremis Bartoli figuris, quas ingeniosori artificio, diuersimodè tamen diuisit, paucis perstringemus: ac vnica regula per ipsummet Bartolum proposita omnes simul refellemus. Inter cętera autem illud pręsertim omitto, in eis diuisionem fieri norma vnicuique figuræ particulari, non ad omnes simul vniuersali, quod nos pollicemur. Ait Bartolus in Par. 2. Tyber. in verbis *communis fit eorum*. insulam, quatenus vnicuique agro, seu lateri propior est, eatenus illi cedere, & acquiri, arg. l. Stichum, qui meus erit. de Leg. 1. Propinquitas autem sumitur inter contraria, & inuicem opposita prædiorum loca; vt iam ex superioribus constat. nam sicut tota insula prædio tum demum acquiritur, si contra eius frontem tota respiciat. l. insula. in prin. de Acquir. rer. dom. ita pariter vnaquæque portio insulæ illi solùm cedit, contra quod respicit, & cui propior est insula: totius enim & partium eadem est norma, & iu-



dicium, vulg.l.quæ de tota.de Rei vendic.

His ita constitutis, facilè constat, Bartolum non tribuisse vnicuique agro, & agrorum vnicuique parti eatenus, quatenus insula illis propior est, & quatenus contra respicit. vt ex ipsius figuris, & nostris simul comparatis potest perspici. quas simpliciter rectè diuisas propono breuitatis caussa. Qua namq; ratione sit instituenda mensura, satis superq; in superioribus fuit demonstratum.

Hęc

Hæc habui humaniſſimè Lector, quæ de vniuerſo Alluuionum iure, de Fluuiaticis ſcilicet incrementis cognoſcendis & acquirendis, amittendis, ac diuidendis diſſererem. in quo opere ſi quid boni inueniſti: Deo Opt. Max. gratias habeto, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Quodcunque autem offendiſti, quod tibi penitus non arrideat: illud nihilominus æqui boniq; conſulito, vt potè quod tuæ, & alterius cuiuſque non malignè ſentientis correctioni, & iudicio ſubeſſe voluerim.

FINIS.

INDEX, RERVM ET VERBORVM IN SVPERIORI OPERE ADNOTANDORVM.

De Litera A.

De Agrorum antiquis conditionibus.

Alluuio vt verbum substantiæ quid sit.

De Alluuionis acquisitione.

De Alluuionis diuisione.

Alluuionis verbaliter acceptæ significatus.

Cognitio.

Probatio.

Alluuio vt verbum iuris quid sit.

In quibus locis agnoscitur.

Quibus locis non competit ius Alluuionis.

Quæ hoc ius impediant.

De Adimendo iure Alluuionis.

Alluuionis effectus.

Quæ res alluuionis iure quærantur.

De Alueo publico.

Alueus priuatus.

De Alueo acquirendo.

Alueo

Aluei diuisio.

B

C

D.

De Incremento ex opere manufacto.

Incrementa quibus acquirantur.

De insulis cognoscendis.

De Insulis acquirendis.

De Insulis diuidendis.

Leges explanatæ. ex ff. veteri.

Ex Infort.

Ex ff. nouo.

Ex Codice.

Ex Feudis.

Leges emendatę.

Leges conciliatæ.

De legitima augenda.

M

N

FINIS.

Errata Corrigenda.

Fac.9. Lin. 24. Err. ſde. Corr. ſed. 15. 15. Sciſmatis. ſchiſmatis. 29. 16. alicui. alicuius. 44.
16. pericum. periculum. 49. 36. concesſio. conceſſo. 60. 4. ſnſu. ſenſu. 66. 19. hæc. hæ.
68. 9. dicturum. dicturus. 69. 3. claude, etur. clauderetur. 7. Auguſtinus. Auguſtus. 72.
24. militionibus. militibus. 24. aſsignatibus. aſsignationibus. 75. 36. turbatis. turbati.
98. 33. à domi-. a dominio. 101. 32. territorium. territoriorum. 105. 29. mutati. mutari.
109. 6. quo ad. quod. 114. 2. territorium. territorio. 116. 23. tranſlatis. trãſlatio. 134.
16. dominium. dominum. 135. 29. contractus. contractu. 137. 26. quæratur. que
ratur. 142. 12. il-. illis. 143. 8. mortis. morte. 147. 3. reſeruationem. releuatio-
ne. 150. 3. ſice nim. ſic enim. 151. 7. feudario. feudatario. 29. florum. Horum.
154. 33. dominij. dominum. 159. 20. Velerianus. Valerianus. 160. 14. continge-
rit. contigerit. 162. 11. recepi. recipi. 165. 6. ſpectarent. ſpectant. 167. 3. mil-
les. mille. 169. 20. deſieit. deſierit. 170. 4. Sylicet. Salycet. 171. 17. ſterilitem. ſte
rilitatem. 174. 22. eccesiſtica. eccleſiaſtica. 175. 14. pendere. penderet. 177. 12.
ephyteoſi. emphyteoſi. 180. 15. interitu; sideo. interitus; ideo. 192. 21. partis pa-
tris. 196. 17. reuocati. reuocari. 197. 11. æſtimetur. æſtimentur. 198. 34. huic. hæc.
203. 23. inſtituius. inſtitutus. 206. 29. conſeruati. conſeruari. 212. 22. annorum.
annorum ſpatio. 218. 2. ſacti. facti. 21. eſt. ex. 219. 24. intereſt. intereſſe. 220. 7. igno
raſq;. ignoranſq;. 8. paritur. pariter. 221. 18. opertur. operitur. 223. 21. 'reden
dum. recedendum. 130. vlt. æquipari. æquipararari. 240. 3. ferit. fuerit. 19. fundundum.
fundum. 241. 20. modo Latitudinis. pro modo Latitudinis. 247. 11. ſecetur autem.
ſecetur autem bifariam. 250. 34. plurimum. vt plurimùm. 251. pen. fon tem. frontem.
260. 32. nullum. nullum ius. 265. 9. ſue. pendentis. ſub. pendentibus. 270. 20. per
vnica. vnica. 295. 17. non ſolum recipit. nou ſolùm non recipit.

REGESTVM,

† †† A B C D E F G H I K L M N O P Q R
S T V X Y Z. AA BB CC DD EE.

Omnes ſunt Terniones, præter ††, & CC.
qui ſunt Duerni.